Sodalis
parthe



GASPARIS LECHNERI
E SOCIETATE IESV
THEOLOGI.

SODALIS
PARTHENIVS.

LIBRI TRES
QVIBVS MORES SO-
DALIVM EXEMPLIS
INFORMANTVR.

Editio secunda multis auctior.

DILINGÆ

Formis Academicis.

Sumptibus CASPARI SVTORIS.
ANNO M. DC. XXVIII.



PERILLVSTRI DOMINO DOMINO

GASPARI

BERNARDO COMITI RECHPERGIACO ET RVBRI LEONIS,

BARONI IN

HOHENRECHBERG DOMINO AICHEMII,

Sacræ Cæsareæ Maiestatis,

SERENISSIMORVM ELECTORIS BAVARI, ARCHIDVCIS LEOPOLDI CONSIliario & Camerario,

&c.

Domino meo Obseruandissimo.





Ompendiosa ad virtutem via est, *in aliorum vitas tanquam in speculum inspicere*, perillustris Comes, *atq; ex alijs sumere exemplum sibi*, vt Comicus quidam aduertit. Nam & vitia nobis aliena magis displicent, atq;, vt sunt, odio digna iudicamus: & virtus ab alijs exercita nobis addit animum eadem audendi, quæ tanquam ab homine alieniora horruissemus. Vnde non nemo Marianos Sodales speculum iure appellauit: quod hi sint omnibus ad imitandum propositi, multo-

rumque ad vitam sanctè agendã hortatores, qui vt olim S. Franciscus fecisse scribitur, agendo tacitè concionentur. Horum ego cùm præstantia seorsim in libris exempla legissem, quædam etiã corã inspexissem, operæ me precium facturum iudicaui, si tanquam odoriferos flosculos è diuersis pratis collectos in corollam consererem, vnoq; in libello omnibus inspicienda proponerem. Quo futurum mihi polliceri poteram, quod multi virtutis iucundissimo odore pellecti, quę legissent imitari facereq; vellent sua; quo Diuinam gloriam insigniter propagatum iri, plurimosq;

honestæ vitæ cultores extituros inde augurabar. Atq; hac spe hic mihi libellus natus est. Quem Perillustri Dominationi tuæ dicandum putaui. Primò quòd olim adolescens in Dilingano Sodalitio & ipse florueris, multisq; virtutum exemplis alios incitaueris ad æmulationẽ, cùm octiduanas exomologeses aliaq; pietatis officia inter primos frequẽtantem viderent. Deinde quod ex Perillustri tua Rechbergiaca familia multi Sodalitatem nominibus suis illustrarint. Inter quos Rudolphus Cognatus tuus eminuit, quem Dilinga dolens à se dimisit adolescentem morum il-

lustrissimorum, & nunc Roma magna animi voluptate intuetur, Patres purpurati amāt, Summus Pontifex inter Camerarios suos adscriptum ad magnos honores destinat, vt omnes magnam Germaniæ spem cum ipso adolescere non vanè ominentur. Omitto virtutes alias tuas, Prudentiam, Magnanimitatem, Munificentiam, Eruditionem, quæ separatim scriptores possunt allicere, vt sub Illustri Tuo Nomine librorum suorum patrocinium quærant. Omitto rationes illas, ob quas maximi orbis Principes te consilijs suis adhibere voluerunt; ad nostra venio. Beneuo-

lentia tua maxima, qua ſuperiore anno me complexus fuiſti, liberalitas quo Collegium noſtrum fouiſti; amor tuus aduerſus Societatem vniuerſam, hoc, qualecunque id eſt, munuſculum à me flagitarunt, vt eo teſtatum facerem, beneficiorum tuorum memoriam nobis alte impreſſam hærere manſuramq; ſemper, cum aliud reponere nequeamus.

Accipe igitur Perilluſtris Comes, hunc affectus erga te noſtri indicem paruum illum quidem, ſed maximi tamen affectus indicem, quo tuis obſequijs Tuoque Nomini nos deuouimus. Atque vt omnes tui ſumus, Teque Pa-

tronum agnoſcimus, ita noſtra porrò tueri fouereq; perge. Deus Perilluſtrem Dominationem veſtram Imperio diu ſeruet incolumem. Dilingæ XI. Cal. Auguſti, M.DC.XXVIII.

Perilluſtris Dominationis Veſtræ

Seruus in Chriſto

GASPAR LECHNERVS Societatis IESV.

SO-

SODALIBVS ROMANIS ET CONFOEDERATIS.

SEptennium est, OPTIMI SODALES, *cùm Ingolstadiensis Sodalitatis Academicæ præses libellum hunc primo conscripsi, atque late per omnes ferme Societatis nostræ prouincias misi, tum vt quam plurimis prodesse me velle ostenderem, tum vel maximè, vt ab omnibus impetrarem si quid in edito corrigi, si quid addi vellent, ad me mitteretur. Quod quidem ab aliquis præstitum est; ab aliis etiamnum exspectatur. Interim cum plures vrgerent, vt denuo Sodalem Parthenium in lucem ederem, nolui desiderio iusto deesse, &*

quæ postea contigisse reperi, aut quæ ab aliquibus perscripta sunt adieci.

Stribendi autem iterumq; edendi Causas Fidem, Modum, Ordinē, quisquis hæc leges, prius te docebo, quàm ad hunc libellum perlegendū accedas. Neque festinanti id molestum esse debet. Sic enim & vtilius & expeditius leges: vtilius, si cognoris, quo fine scriptus sit: expeditius, si fidem, si scribendi rationem perspexeris; namq; horum ignarus, hærebis subinde, dum de veritate ambigis, dum miraris, dum indignaris multa interseri, quæ historiam abrumpunt.

Causæ multæ sunt: Princeps, B. MARIÆ *Virginis honor est, quam causam è cæteris perspicies. Altera, vt optimorum Sodalium præclarissima facta in lucem proferantur. Ex quo fiet, vt Sodalitatis dignitas incla-*

inclarescat quod ex illa, quasi Atheneo quodam, prodeant omnibus virtutibus præditi; quodq́; B. VIRGINIS *patrocinio ad præstantia quæq; gerenda moueantur. Tertia fuit, vt breuißimè Sodalem ad virtutem educeremus. Nam Sodalem Parthenium multi ante nos excellentibus præceptis ad eam vitæ degendæ rationem, quam Leges describunt, efformauere. Nos doctrinæ compendium quæsiuimus,* EXEMPLA: *quibus vbique, quam maximus orbis est, Sodales ad omnem virtutem nobis breuißimam viam patefecere. Nam multi mortalium ita comparati sunt, vt præcepta à rebus separata ad se parum pertinere arbitrentur; & Naturæ infirmitas sapè obtenditur, cum præcipi videntur homine maiora. Sed vbi aliorum vsu atque exerci-*

tatione agitari ea conspiciunt, quæ difficilia videbantur, imbelles animos ad audendum exuscitant; atq; paria, & non rarò fortiora perpetrant. Atq; ita, quæ præceptorum vi nunquam fierent, illa Exemplorum virtute præclarè gerũtur. Deniq; Stimulum Virtutũ hunc libellum esse volui. Nam sæpe audiui ego, *ait Sallustius,* Q. Maximũ, P. Scipionem pręterea ciuitatis nostræ pręclaros viros solitos ita dicere, cum maiorum imagines intuerentur, vehementissimè animũ sibi ad virtutem accendi scilicet nõ ceram illam, neq; figuram, tantam vim in se habere sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregijs viris in pectore crescere: neq; prius sedari quam virtus eorum famã

atq; gloriam adæquauerit. *Ita Sodales nostros cogitaturos puto. Cũ enim tot Modestiæ, Religionis, Fortitudinis, Misericordiæ, Charitatisque exempla; cum in edomando corpore feruorem, in meditando assiduitatem, in iniurijs ferendis patientiam; cum deniq; perfecti Sodalis formam quandam ante oculos eorum cõstitutam inspexerint, præclarissima flamma vehementissimè in pectoribus illorum accendetur atque crescet; neq; prius sedabitur, quam eorum virtus famam atque gloriam aliorum adæquauerit. Nec diffiteor præcipuam hanc mihi scriptionis causam fuisse; optimaq; spe teneor Sodales nostros, vt ad externos mores componendos libenter aliena exempla imitantur, ita ad animi compositionem & ad cultum Parthenium alacriter exterorum*

quo-

quoq; factis vsuros. Nam vera virtutis imitatio laudem habet, ex quocunque sumpta sit.

Alterum caput erat, vt tibi fidē probarem meam. Quàm id procliue foret, si viros grauissimos, quos auctores habeo, nominare vellem? sed tacendi causas habeo, atq; exemplū C. V. Iusti Lipsii, qui in Exemplis Politicis tempore & loco rei gestæ contentus, cætera omisit. Fateor alia Lipsij ac mea conditio fuit: scripta eum sua tutantur & notum nomē. Mihi ab his necdum adminiculum est: sed fide eâdem hæc scripsi. Notaui annum: locum designaui: in Sodalium, apud quos ea gesta aut euenisse cōmemoro, manus venturum hoc opus noui; quorum ego censurā merito vererer, nisi bonæ fidei conscius mihi forem. Ex singulorum Sodalitiorum actis ad se perscriptis

An-

Auctores descripsere; inde ego excerpsi: quæ de Ingolstadiensibus & Dilinganis narro vel egomet vidi, vel in Commentarijs Congregationum reperi. Errorem non omnem excuso; neq; enim Deus sum. Quantum tamen licuit, euitare laboraui.

Modus fuit, vt succinctè factũ narrarem, & in similium historiarum concursu leuandi tædij causa gnomen aliquam adspersi: subinde causas, modosq; virtutis acquirendæ, aut vitij extirpandi attuli, vt in omnibus Lectori prodessem, si facti lectione excitaretur ad imitandum, sciret qua id ratione posset. Genus scribẽdi facile & sine fuco secutus sum, non tamen eneruè nec horridum, vt in Lectoris animum iucundè rerum cognitio vtiliterq; influeret. Quæ properanti aliisque in rebus occupato præter voluntatem

tur-

turbatiora aut incultiora elapsa sunt, patienter feret Lector, dum meliora edantur. Quod omninò futurum spero, si Sodalium Romanorum, & Duacensium qui noua huic editioni multa præclara suppeditarunt, exemplum imitati fuerint aliorum quoque locorum Sodales; atque vt in priore editione rogauerã, suggesserint, quæ vel addenda vel detrahenda iudicauerint. Quod vt faciant, iterum illos obtestor.

Ordinem denique hunc secutus sum, quem ante oculos pono.

DIVISIO.

Liber primus Sodalis Parthenij ea quæ ad Sodalitiorum originem, leges, cõsuetudines, celebritates pertinent, complectitur. Adieci persõnas quæ vel sanguinis Nobilitate, vel vita sanctitate Sodalitia illustrarunt, quod ad commune Sodalita-

litatum nomen celebrandum spectare indicaui.

Liber secundus virtutum singularium Exempla continet ea methodo, vt post Humilitatis exempla illa ponantur, quæ circa Deum sunt; tũ quæ operantem instruunt; denique quæ officium erga alios edocent.

Liber Tertius Beneficia explicat, quæ vel in Sodales collata, vel eorum precibus in reliquos deriuata sunt. Pœna quoque contemtoribus aut negligentibus seu desertoribus Sodalitatum irrogatæ describũtur.

Hæc te, Lector amice, monere volui. Fruere ac faue, ac Magnam Matrem MARIAM *Virginem, per quam bona omnia in mortales descendunt, nobiscum lauda atque ama.*

§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§

INSPICE ET FAC SECVNDVM EXEMPLAR.

Quisquis Parthenium vereres Solem
Magnæ Virginis ore contueri;
Atque illius radiisq; flammulisque,
Atque illis facibusq; splendidisq;
Vultus vreris emicantis astris;
Tantiq; impatiens Nitoris, inde
Nictantes oculos reducis, inde
Pupillæ procul abstines acumen,
Huic dones oculum, licet Libello.
Quas in Virgine flammulas, facesq;
Et quos tu radios potentiores
Formidas, vitreas velut per vndas
Nulli noxius exhibet videndas.
Dum casto Iuuenes Pudore tinctos,
Et quicquid Comitum sequi Pudorem
Virtutum solet, inclytos amictu.
Nec solis Titulisq; Nominisq;
Contentos phaleris, sed innocentem
Iuratamq; operam Deo Ter Vni
Et stipendia Virgini merentes
Toto, quà patet, edit vmbilico.
His ergo, his age merge lumen vndis.
Vel sic Parthenij valebit Astri
Si felix oculus videre Lucem,
Aut est, aut Aquilinus inde fiet.

AP

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ INGOLSTADIENSIS.

PARTHENIVS hic Sodalis ad veræ Christianæque virtutis ac bonæ mentis decus aspiranti, ad imortalem supremæ felicitatis coronam anhelanti fidum se ducem præbet, Comitem facundum. Virginis Deiparæ clientem sanctè instituit, quid ab ea secundùm Deum haud fallaciter sperare, quid timere salutariter, quid cautè declinare, quid Sapienter agere debeat, legibus admonet, rationibus indicat, exemplis euincit, ignarum ac rudem omnes officij partes docet, languenti calcar subdit, currenti vires animumque suggerit. Itaque tu quisquis es Mariæ cœli terræque Reginæ ac Dominæ Augustissimæ deuotus cultor, Virgineum hunc Sodalem vel præcurrentem sequere vel vnâ gradienti comitare. Quod vbi strenuè præstiteris reapse intelliges, clientelam Marianam nihil

hil minùs quam ſeruitutem , nihil magis quam Regnum quoddam exiſtere, hoc eſt honoris omnis ac dignitatis, opum ac deliciarum omnium ſpiritualium ſummam quandam affluentiam; neque hac de re cuiquam certiorem, quam ipſi tibi vtique iam experto fidem habebis. Ingolſtadij, Anno Virginei partus 1621. ad 6. Id. Maias.

Ioannes Mocquerius Societatis IESV S. Theologiæ Profeſſor, hoc tempore Facultatis Inclytæ Decanus.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS SOCIET. IESV PER SVPERIOREM GERMANIAM.

EGO Gualterus Mundbrot per Superiorẽ Germaniam Societatis Iesu Præpositus Prouincialis iuxta priuilegia à S. C. Maiestate eidem Societati concessa, facultatem do Gaspari Sutori, vt in Academica Dilingana Typographia poßit curare imprimendum sumptu suo Sodalem Parthenium

à P.

à P. Gaspare Lechnero Societatis nostræ Theologo conscriptum & approbatum: vt proinde nulli per S. R. imperium aliasque ditiones suæ Maiestati subiectas eundē recudere liceat, nisi pœnas in Cæsareo diplomate comprehensas incurrere velit. In cuius rei fidem hoc manu mea sigilloq; confirmatū testimonium illi dedi. Augustæ Kalendis Iunij CIↃ. IↃCXXVIII.

Gualterus Mundbrot.

SO-

SODALIS PARTHENIVS.

LIBER I.

COMMVNIBVS SODALIVM OFFICIIS instruitur.

CAPVT PRIMVM.

DE SODALITIORVM PARthenianorum Origine.

I.



VI primi Sodalitia piorum hominũ constituerunt, illi mihi videntur rem humanæ vitæ vtilem apprimè atque commodam reperisse. Nam si vel solam horum Cœtuum naturam intueamur, habent in se vim admirabilem, *Magna Sodalitiorum emolumẽta.*

bilem, bonum omne animis humanis inferendi. Cùm enim Virtutis exercitatio honestissima quidem ea sit & homine dignissima; amaritie tamen quadam suâ, & primâ difficultatum fronte, plurimos à se auertit, improuidos, aut immemores, *Dulcissima ex amaris generari.* Sed momenti multum habet ad timorem hunc pueri-
1. *Impellũt ad imitandum.* lem peruincendum ea cogitatio, NIHIL *nimis arduum esse, quò Sodales tui euadere potuerunt.* Animamur igitur exemplis: subinde pudore impellimur, & socordes videri nolumus, cùm strenuè alij rem gerunt: Vt illud quoque hic locum habeat:

Æneid. 2.
Festinate Viri: nam quæ tam sera moratur
Segnities? ALII *rapiunt incensa, feruntq;*
Pergama; Vos celsis NVNC PRIMVM *à nauibus itis?*

l. 8. conf. c. 11. Sic S. Augustinum, *Casta dignitas Continentiæ, serena & non dissolutò hilaris, honestè blandiens, vt veniret eò, quò transire dubitabat,* hortabatur;

ex-

extendens pias manus, plenas gregibus bonorum Exemplorum, & cunctantē, *irridebat irrisione exhortatoriâ : Tu non poteris, quod Isti & Istæ?* Ab illicitis scilicet voluptatibus animū córpusq; continere : Quod generosissimè faciunt *Tot Pueri & Puellæ, Iuuētus multa, & omnis ætas, & graues Viduæ & Virgines*; id tu Vir nequeas? Atque illud verò ipse post fecit. Ita prima è Sodalitate aliorum vtilitas existit, Prouocari ad imitandum.

Deinde molestiarum ac fastidij certum remedium inde petitur, cùm plures laboris socios aspicimus: & vt ferè Voluptas solitaria diu neminem tenet; sed eius quadam communicatione, ac, si aliter non possimus, narrando saltē iuuat gaudij nostri augmentū capere: Ita in doloribus ærumnisq; non parum leuamenti habet Societas; & plurimū delectat Honestas inter optimos Sodales culta. 2. *Sociati labores iucundi.*

Iam reliqua Congregationū emolumenta, quæ à Deo in vnius quasi Corporis membra diffunduntur, & mu- 3. *Multa à Deo,*

Patronis, Legibus cōmoda. Innumera alia.

mutuo cōmercio fouentur; aut quæ Beatissima VIRGO MARIA, alijque Tutelares Diui Clientibus suis accumulant, quæque à sapientibus Institutis, atque Legibus emanant; quòd sint quædam Virtutis Gymnasia, morum sanctissimorum Scholæ, quòd in ijs Diuinus cultus, cæterorum verus ac prudens Amor, sui vincendi, domandique pius ardor conseruetur, atque augeatur; quòd magnâ cum spe Beatitudinis, Patronorumq; suorum præsidio tuti è vitâ abeant. Quis enumeret omnia? Mihi hoc propositum non fuit. Præstiterunt id Viri doctrinâ atque pietate clarissimi, inter quos est R. P. Petrus Antonius Spinellus è Societate IESV, in suo opere, quod de B. V. laudibus scripsit, vt nō sit opus, actum ab alijs, iterum agere. Illud tantùm ad originem Sodalitiorum pertinere iudicaui, maximæ vtilitatis indè prouenturæ spem, eorum erigēdorum causam præbuisse. Quo verò loco & tempore ortum habuerint, nunc dicendum est.

II. So-

II. Sodalitatum Institutio non nuper adeo inuenta est: Ferme ab ipso vsque Christianæ Religionis exordio cæptas fuisse, vero similiter suspicari possumus. Nam cùm principiò Christiani Hierosolymis atq; Antiochiæ facultates suas conferrent, atq; communibus victitarent; cæpit ea sensim consuetudo penes Religiosos residere, multitudine ipsa diuisionē bonorum aliquam exigente. A vero tamen nequaquam abhorret, Christianos veteres, vbi ab ea primâ viuendi ratione discesserunt, communitatis ac Societatis dulcedine illectos, aliquem eius vsum retinuisse, atque inter se confœderatos, peculiaribus officijs Deum coluisse. Quod vt credibile mihi sit, faciunt varij cōuentus in diuersis Martyrum gestis relati; multiplices item cætus, qui in Religiones tandem abierunt: tum quod circa ea tempora apud Romanos Collegia & Sodalitia paucorum etiam & inter se coalescentium, quos fratres & Sodales nominat Ca-

Instituta olim Sodalitia incitant ad noua fundanda.

Primi Sodales. Act. 4. a Hier. in Philone.

Vide Baron. Anno 57. Romanorum Sodalitia.

L. final. ff. de Colleg. L. 1. ff. eodem. l. 1. §. Quibus autē ff. Quod cuiuscũque vniuersi nomine. L. 3. §. in summa & l. final. ff. de Colleg. Anno 44. n. 88. l. de sacrã. c. 94. Communio bonorum operum speciatim olim vsitata.

ius, fuisse non tantum negotiationis, sed religionis quoque causa, testatur Marcianus, qui ad exemplum Reip. habebant res cõmunes, arcam communem, vt ait Caius, quæq; auctoritate Principum aut Senatus institui debebant; legibus tamen proprijs vti poterant, dummodo ne quid ex lege publica corrumperent. Credibile ergo est, Christianos eum morem in suos transtulisse, cùm cętera Gentilium instituta tam diligenter imitati sint; è quibus quidem Dei honor promoueri, animarumq́; lucrum augeri poterat, vt multis ostendit Baronius. Deniq; Tho. Waldensis multis argumentis laborat euincere, SS. Paulum, Ioannem, Iudam Apostolos, Timotheum & Siluanum precum suarum atque bonorum operum portionem cum quibusdam interiore amicitia sibi coniunctis cõmunicasse: idem ab alijs ex pacto factitatum, ac forsitan statas quasdam preces certaque opera mutuis studijs atq; animis indicta fuisse, perquam procliue est creditu.

Sed

Sed in re incerta nihil amplius pronuncio. Illud certius est, à Constantino Magno institutam esse quandam Sodalitatem pro mortuis sepeliendis, illi persimilem, quæ nunc Romæ *Cõfraternitas Mortis* dicitur, quæ deinde ab Anastasio, & Iustiniano Impp. confirmata & prærogatiuis atq; exemptionibus donata est, vt refert Baron. *ex Nouella Const. XLIII. de Officinis seu tabernis, & Nouel. LIX. de debitis impensis in exequijs defunctorum.* Año deinde Christiano 984. aliud quoddam coaluit Sodalitium Clericorum, de quo Baron. eodẽ año. Circa annum vero millesimum septuagesimum à S. Annone Coloniensi Archiepiscopo Sodalitatem quandam Immaculatæ Virginis erectam Coloniæ, indeque in alias vrbes deductam commemorat P. Ioan. Bonifacius ex historia cuiusdam Cænobitæ Sigebergensis. Sed celebertima atque in primis nota est illa piorum congregatio, quam S. Dominicus Prædicatorum auctor contraxit, ac Ro-

Sodalitia mortuis sepeliendis erecta.

Anno Christi 336. in fine.

Cætus Clericorum.

Sodalitas B. Virginis.

L. 2. Histor. Virgin. c. 14.

Rosarij. Rosarij nomine insignitam latè per orbem propagauit. Secuti sunt deinde plures ad pietatem se exercentium cœtus Florentiæ, Senis, Romæ, Neapoli, è quorum Societate præclarissimi quique Viri extitere. Atq; ex Florentino quidem, Ordo Seruitarum originem traxit; è Senensi, quam *Confraternitatem disciplinatorum B. Mariæ Virginis* dixere, Ioannes Columbinus Iesuatorum fundator, Bernardus Ptolomæus, Patritius Patritij, Ambrosius Picolomineus, Ordinis Oliuetani prima germina; S. Bernardinus Senensis sanctitate, & rebus gestis celebris prodierunt. Sodalitas Romana *Confalonis* S. Bonauentura instructore gloriatur; & illa altera *Diuini amoris* Clericos Theatinos protulit; Neapolitana Clericos Regulares Minores progenuit: Vt ab omni memoria huiuscemodi Sodalitia sanctissimorum hominum incunabula quædam fuisse comperiantur.

Varia alia. De his Spinellus c. 40. n. 10. 11. 12.

III. His itaque animorum emolumen-

lumentis atque illustribus virtutum exemplis ante oculos positis, Societas Iesu suo instituto in animarum lucrum intenta, hos tales cœtus cogere incepit. Primus autem omnium, quod quidem cognosci potuit, Parmæ institutus fuit à P. Petro Fabro primo S. P. IGNATII Socio viro sanctissimo, anno Christi millesimo trigesimo nono, de quo cętu hæc Nicolaus Orlandinus. *Sane ea Sodalitas etiamnum viget, & Sexagesimum iam annum, & eo amplius Fabri præceptis sese alit, atque sustentat. Ac progrediente die tantum roboris est adepta, vt eorum quoque patrocinium susceperit, quos & à mendicando deterret pudor, & quos inscitia, ignoratioque diuinæ legis tenet, & quos Carnifici patibuloque leges addixerint: eademque semper fuerit quasi quædam procreatrix ac parens plurimæ variæque in ea vrbe pietatis, plurimæque item Sobolis, quæ ex communi vulgarique vita ad cænobiticam Religiosamque se transferret.* Quæ autem illa præcepta fuerint

De Sodalitatibus erectis à Patribus Societ. IESV.

l. 2. histor. Societ. n. 111.

 rint

n. 108. & seqq. rint recenset copiose idem Auctor.
Alterum deinde Sodalitium anno quinto & quadragesimo supra sesquimillesimum erectum est Fauentiæ à P. Paschasio Broëtto, vno è decem primis Societatis patribus, quē S. IGNATIVS Angelum ob innocentiam morum vocare consueuerat. De quo Sodalitio plura Nicolaus Orlandinus. Tertium denique
l. 5. hist. n. 19. & quartum Neapoli constitutū est, añō Christi, 1554. vt refert Nicolaus Orlandinus in historia Societatis Iesu. Ac priori ab S. Eucharistia nomē
l. 14. n. 56. inditum est: alterum ibidē fœminarū *Iesu deuotarum* excitatum. Horum duorum cœtuū officia describere hic supersedeo, quia ad nostrāB. Virginis Sodalitatem pertinere non videntur, vt qui ante inchoati, suis legibus & meritis viuere voluerint. Nostræ itaque Parthenianæ Congregationis initia, tenuia illa quidem, sed quæ maximis incrementis Dei opt: & Beatissimæ Mariæ Virginis, quam patronā atque aduocatam sibi delegit, fauore

in

in immensum excreuit, memorare aggredior. Rem totam Franciscus Sacchinus sic narrat: *Inchoata est pia quædam Sodalitas, auctore Ioanne Leonio Belga infimæ Rudimentorum Grammaticæ classis Magistro, inter inferiorum classium adolescentes, ex his qui præcipuo studio sociare cum literis pietatem cuperent. Cœpere diebus singulis, post missos cæteros, in vnam è Scholis, in qua altare pulchrè ornauerant, congregari, ibi aliquamdiu orabant vniuersi: deinde vnus è pio libello quidpiam legebat audientibus cæteris, diebus verò Dominicis ac Festis etiã vespertinas de more Ecclesiæ, modico cum cantu, peragebant preces. Ex his rudibus initijs sodalitates, quæ deinde B. Virgini præcipuo studio dedicatæ, tam insigni cum iuuentutis, atque aliorum bono certis formatæ institutis, latè per omnes mundi oras fusæ sunt, emanârunt. Quamquam non Romæ primum hi simplices discentium cœtus exorti. Nam ante hunc annũ Genuæ ac Perusiæ mentionẽ eorũ reperi.* Hæc

In Laine seu historia Soci-et. IESV t. 2. lib. 7. n. 7.

Sodalit. Virginis Annuntiatæ primordia.

 ibi.

Lib. 8. n. 37. ibi. Deinde inter ea quæ anno 1564. sunt gesta, idem Sacchinus de hac ipsa Sodalitate Romana narrare, sic pergit: *Quæ capta superiore anno sodalitas discentium erat, ea Beatissimæ Virginis subiecta hoc anno tutelæ est; iisque constituta legibus, quibus magnam partem hodieque regitur. Finis propositus in pietate, literisq; progressus! sodales ad Septuaginta numerantur: quaq; hebdomade confiteri: quoque mense Christi corpus sumere: singulis diebus Sacro interesse, Virginisq; vel Rosaria vel preces è libello iussi percurrere. Vespere è schola dimissi congregati quartam horæ partem meditationi; alteram autem, partim excipiendis capitibus, quæ die postero meditarentur, partim conferendo breuiter, quæ agitauerant, consumebant. Diebus Festis à prandio post decantatas vespertinas preces, alij ad visendos in Nosocomiis ægrotos, alij ad salutandas Diuorum reliquias, alij ad alia pia munia mira ibant alacritate. Omnibus vnus è Societate præerat, qui cum*

Ratio viuendi primorũ Sodaliũ.

cæte-

cætera moderabatur, tum diebus dominicis adhortationem habebat. Ex sodalibus vnus, qui praeesset cæteris, lectus est, cui Præfecti appellatio indita: duodecimque præterea, inter quos cura reliquorm distributa, vt nullus negligeretur: quoque paucioribus quisq; intentus esset, hoc absolutius cuncta procederent. In cæteris commoditatibus huiusce sodalitatis, illa non fuit è postremis, quod inter se agentes pari animo & pietate adolescentes, vitabant improborum consuetudinem, qua molli improuidæq; ætati exitium nullum est certius. Hæc Sacchinus. Verè *ex ore infantium & lactentium perfecit laudem suam Humilis Virgo,* quæ penè in puerili ætate, tantæ & tot præstantissimorum virorum dignitate illustris Sodalitatis, fundamētum ponere voluit: vt iam principio disceremus, neminem sodalium ad insignem aliquam virtutem hocque cœtu & tanta Patronâ dignam euasurum, qui puerorum modestiam & gloriæ neglectum nollet æmulari, vt *Humilitate crescit Virtus.*

 bene

bene monuerit S. Augustinus: *Magnus esse vis? à minimo incipe: cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita Humilitatis.* Sed quo successu in tantam molem ex imis assurrexerit Virginis ANNVNCIATÆ Sodalitium, memoriæ prodere iuuat.

Serm. 10. de Verbis Domini.

IV. Cum ad Romani huius Sodalitij formam *in diuersis Mūdi partibus & præsertim insignioribus Europæ ciuitatibus*, qui in collegijs Societatis IESV literis operam nauabant, *Optima deuotionis & piorum operum huiusmodi exercitia feruenti studio imitari, & exinde multiplices fructus ad Dei gloriam ipsiusque diuini nominis cultum ac Beatæ Mariæ Virginis honorem prouenire cæpisse* intellexisset Gregorius XIII. Pontifex Maximus, iamque ante id temporis IV. Id. Sept. CIↃIↃLXXVII. ad Sodalium feruorem fouendum, eisdem gratiam delictorum, quas Indulgentias vocamus, impertiuisset: vt vberior fructus, quasi à capite latius in corpus

In Bulla Erectionis Primariæ.

pus dideretur, primarium Sodalitium sub titulo ANNVNTIATIONIS B. MARIÆ auctoritate Apostolica erexit atque instituit, Præpositoque Generali dirigendum commisit: insuper condonationes pænarum liberalissimè indulsit: ac deniq; eidem Præposito Generali alia eiusdem nominis Sodalitia vbiq; terrarum in Collegijs Societ. auctoritate Apostolica erigendi, instituendi, Romano primario, tamquam membra capiti cõiungendi, ijsdemq; Gratiarum & Indultorum, quibus Romanum gaudet, beneficium conferendi, amplam fecit potestatem, vt Diplomate anno 1584. Nonis Decemb. edito continetur. Eam deinceps facultatem Sixtus V. Pontifex Maximus, nõ tantum Scholares collegiorum, sed quęuis hominum genera in quibuscunq; Domibus Societatis sub quocunque titulo congregandi & Romanis adscribendi auxit, Diplomate ad id año 1586. Non. Ianuarij expedito. Quod vt in Residentijs quoque fieri posset, *Primaria Romana Institutio.*

Clemens VIII. indulſit anno 1602. III. Cal. Septemb. Atq; ab his initijs Romana Primaria Congregatio nata adoleuit. Placet hic añectere, quæ de Congregationis illius Primariæ præſtantia, cùm primùm iñotuit æſtimatio paſſim apud omnes concepta atque in quanto precio fuerit. Idque ex ipſiuſmet Sodalitatis ad Ingolſtadienſes, à quibus *Sodalem Parthenium* ſibi dedicatum acceperat, datis literis (quarum in decurſu frequentius meminero) excerpam. *In primis igitur, vt à Maioribus noſtris incipiamus,* inquiunt, *illud habetote, Sodalitatem hanc quo tempore habuit exordium, & multis annis deinceps, & Sodalium numero & egregia eorum in Deiparam Virginem pietate magnoperè floruiſſe. Teſtantur hoc ſenes aliqui ex eo cætu adhuc viuentes: teſtantur complures doctrina, & vitæ probitate inſignes, qui ex hoc loco ad ſummam nominis amplitudinem peruenerunt. E quorum numero Marianus Perbenedictus, qui à Sixto V. poſt Præ-*

fectu-

fecturam Vrbis in sacrum purpuratorum Patrum Senatum cooptatus fuit, primum dignitatis aditum huic sacræ sodalitati acceptum retulit. Cùm enim in Clientela B. Virginis apud nostros esset virtute & pietate præcipuus, apud Gregorium XIII. à Patribus Societatis IESV *eo nomine commendatus Canonicatum S. Angeli in foro Piscium primum, deinde Episcopatum Marturanensis Ecclesiæ meruit obtinere. Tanta erat huius Sodalitij existimatio, & tam bonus odor, vt ex relatione seniorum satis constet adolescentem Romæ nobilissima stirpe à patre increpitum, quòd contubernium Parthenium deseruisset, ad illud per comminationem exhæredationis redire compulsum fuisse; nec receptum nisi publica pœnitentia peracta. Pedes enim omnium introeuntium & egredientium in limine osculari iussus paruit magno edito Christianæ humilitatis exemplo. Audiuisse se à Sodali grandæuo, qui ante multos annos è viuis excessit, narrauit nobis vnus ex nostris, qui huic Epi-*

stolæ

ſtolæ ſubſcripſit: Illum cùm Verona iter faceret, ad familiarem quendam in Sodalitio hoc ſibi notum Auguſtini Valerij Cardinalis & Veronenſis Epiſcopi acceßiſſe. Cùm verò in ædibus Epiſcopi ab eo digreſſus eſſet Cardinalem caſu hominem conſpicatum quæſiuiſſe è familiari, cuias eſſet: vtq; cognouit vnum eſſe è Romano Sodalitio ſtatim accerſiri iuſsiſſe, & hoſpitio exceptum liberaliter tractaſſe nō ſine inſimulatione familiaris, quod id non antea ſua ſponte feciſſet. Duo etiam argentea candelabra cum ſuo Crucifixo, quæ noſtræ Sodalitati Sereniſsimus Bauariæ Dux Guilielmus ante complures annos donauit, hodieq; apud nos extant, non minus piam tanti Principis munificentiam, quàm huius ſacri conuentus egregiam apud externas etiam gentes exiſtimationem atq; Deiparæ Virginis in eo præſidentis venerationem teſtantur. Hæc Romani Sodales de primariæ Congregationis cùm adoleſceret flore atque apud omnes inſigni odore memorant. Nunc quàm multæ

inde

inde piorum hominum Sodalitates excreuerint videamus.

CAPVT II.

DE VARIETATE
& multitudine Sodalitiorum.

I.

AB hac deinde stirpe innumeri surculi pullulârunt; institutæque sunt Congregationes Clericorum, Religiosorum, Nobilium, Studiosorum, Ciuium, Opificum, Iuuenum, Adolescentum: aliæ Assumptæ, Cōceptæ, Natæ Virginis titulo, quædam Angelicæ, aliæ Angelorum, aliquæ Apostolorum, nonnullæ S. Spiritus, aliæ Venerabilis Sacramenti nomine insignes, aliæ alijs Tutelis nuncupatæ prodierunt. Indulsit enim Sixtus V. vt memoraui, in Bulla, qua potestatē erigendi congregationes à Gregorio XIII. factā extēdit vt Patres Societatis possint Romano Primario Sodalitio aggregare alias Con-

Ab vna propè innumera alia enascuntur.

Ratio tam diuersarū.

Congregationes *tam sub eodem Beata Maria Annunciata, quàm alio quouis titulo & inuocatione.*

II. Neque verò cuiquam mirum videri debet, quare tanta sit varietas atque in titulis & personarum discrimine Congregationum differentia, vt sub alio nomine Nobiles, sub alio plebei conueniant, alicubi seorsim Sacerdotes, seorsim ciues, seorsim adolescentes; seorsim maturioris ætatis sodales cætus suos agitent: graues enim illius discriminis caulæ afferri
1. possunt. Nam cùm omnium quidem huiuscemodi Sodalitatum finis sit, Christianæ pietatis incrementum; in specie tamen aliquæ præterea alios certos sibi terminos præfixerunt, vt mox referam: hinc, quò via commodiore eo, quo volebant, deducerentur, variatione quadam legum atque alijs Institutis distingui debuerunt; ne alioqui officiorum confusio, diuersique nonnihil fines animos pari-
2. ter fructumque distraherent. Modus quoq; ipse regendi & sacra præcepta tra-

tradendi, ſeparationem quandam requirebat! neq. enim omnibus eadem conueniunt; & diuerſæ ætates diuerſum animi cultum exigunt. Ob eam rem in pleriſque locis id Sodalitium, quod è literarum ſtudioſis cōflatum eſt in Maiorum atque Minorum cœtus diſpertiri placuit. Eadem ex cauſa Tirocinia alicubi fundata reperio, vt tenera ætas diſciplinæ ſublimioris inſolita, primis rudimentis imbuta, paulatim ſolidiori virtuti inſueſceret. Alibi Sodales communibus exercitijs minimè contenti, ſeparatim inter ſe ſtrictiorem conſuetudinem inierunt, quâ ad pia colloquia agitanda conuenirent & alijs officijs Patronam ſibi ſuam amplius demererentur, quos cœtus Colloquium appellant. 3. Vniuerſim quia ad impellendos in vtramque partem animos maximum momentum adfert, pares ætate, genere, vitæ ſtatu, tum eodem ſtudiorum aut munerum cōmercio congregari, maioremque ea ſimilitudo voluptatem parit; idcirco in 4.

tot

tot diuerſos cœtus ſimilium inter ſe hominum, optimè genus omne Sodalium ita diuiſum eſt, vt diuerſa valdè membra vno ſub capite ab vno Spiritu vegetentur, ac cõcordiſſimâ diſſimilitudine vitam non diſſimilem agitent.

Multitudo Congregationum.

III. De multitudine verò Sodalitiorum quæ per orbem, quàm latiſſimè patet, ſparſa ſunt, poſſem multa commemorare. atque adeò in priore Editione Catalogum bene longum pertexueram eorum, quæ ab anno 1581. vſque ad annum 1612. inſtituta repereram publicis monumentis prodita, omnino ſupra quadringenta, neque tum tamen antiquiora vel recentiora attigeram; plurima quoque eius temporis ſilentio inuolueram, quòd literæ diuerſarum prouinciarum ad nos perlatæ non fuiſſent. Nec dubito quin ſyllabus ille tot Sodalitatum plurimis lectu iucundiſſimus fuerit, cum cognoſcerent inde & Deum Deiparamque Virgi-

Virginem à tot in diuersis terrarum plagis tam singulariter coli, & tot precum meritorumque communione beatos se viderent. Et certè cupiuissem illa voluptate lectorem non priuare, nisi me grauis illa ratio flexisset ad omittendum, quòd facilè aduerterem, multorum me offensam incursurum, si quam plurimis præteritis, nonnulla nominarem, cùm & potior mihi ratio suppetere non videretur, cur aliqua præ aliis ponerem & omnia nominandi copia non foret. *Cur syllabus earum non edatur.*

IV. Ex eo tamē de numero Congregationum promptè poterit quiuis conijcere, si locorum, quæ Societas IESV colenda suscepit, multitudinem ante oculos sibi ponat. Nam quocunque pedem illa intulit secuta est è vestigio vna aliqua Sodalitas. Imò quibus locis Tyrannorum crudelitas Christianorum virtutē grauibus tormentis exercet, & Societatis nostræ patres vel omnino proscribit, vel in obscurissimas latebras detrudit

Soda-

Sodalitates nihilominus nobilissimæ existunt. Ita quandam S. Ignatij nomine inter viros initam in vltima Iaponja, atque ibidem inter pueros Angelorum coaluisse reperio in illis literis, quæ fortissimorum Athletarum P. Caroli Spinolæ & Sociorum gloriosissimam pro Christi Religione defendenda inter lentos ignes initam pugnam victoriamque morte obtentam memorant. In quibus cōplures velut in vmbra ad palum pugnare docti postmodum in arenam contra furorem omnem hostilem descendere ausi sunt, vt in ijsdem literis, atque alijs de Iaponum triumphis editis historijs proditur.

V. Neque vnus locus à Nostris coli cæptus vna tantum aliqua contentus est areola. In plerisque binæ, ternæ, quaternæ euirescunt. Nostra hæc Dilinga non magna vrbs, quaterna tamen Sodalitia patrum Societatis labore curat: tria vetera Studiosorum atque Religiosorum, & quartum venerabilis Sacramenti & sancti

Ber-

Bernardini, quo Viri Primarij Aulici cIↃ.
ciuesq; continentur, non ante mul- IↃc.XVI.
tos adeò annos excolendum accepit.
Anno 1611. numerantur in Insula
Chio à quatuor Sacerdotibus quinque Congregationes curatæ. Bæzæ
in Bætica 1609. à totidem patribus
septem administratas reperio. Sola
Neapolis à P. Spinello censere quindecim perhibetur. Iam de 798. domicilijs, quæ añó 1626. habebat Societas, ac de innumeris Excursionibus quiuis facile cōiecerit, quantum
numerum Sodalitiorum passim stantium par sit æstimare. Quid quærimus? Vnus P. Gregorius Cisnerus,
qui anno 1611. in Collegio Cuzchēsi è viuis abijt, trecenta sub Nomine
IESV constituisse Sodalitia memoratur Vt propemodum operæ pretium fuisse arbitrer, ad nostram notitiam
pauca adeò peruenisse, ne pro libro
Catalogum edere cogeremur.

Multitudo Cōgregationum.

Cæterum Sodalis noster Parthenius, quem optimis exemplis instituendum suscepimus, cum inter tot

Socios se repererit, & è comuni fructu inde ad se deriuato voluptatem capiet, & sedulo pro se faciet, ne ipse sit asymbolus: nec eo contentus, quod inter bonos nomen professus sit suum, conabitur quoque aliena tam pulchra facinora imitando sua facere: sed iam ad alia transeamus.

Inter tot bonos turpe est inutilem hærere.

CAPVT III.

QVIBVS LEGIBVS *vtantur Sodales.*

I.

Lex est anima Reipubl.

OMnis Respublica suo quodam Corpore atque animo constat. Multitudo illi mortalium pro corpore; bonæ leges in vicem animæ sunt. Ac quemadmodum membra sensim putrescere atque à se inuicem resolui incipiunt, quando anima abijt: ita multitudo cohærere diu nequit, si legum expers sit. Vnde sapienter Sodalitiorum Moderatores legibus

gibus ea deuinxere. de quibus nunc ordine agere conuenit, postquam de corpore abunde dictum est: Sed paucis id exequar, quod in omnium manibus & notitia versatur.

II. Leges aliæ communes omnium sunt, aliæ quorundam propriæ. Nam vt quæque Congregatio præter pietatem Christianam, quam communibus tuetur atque exauget, fines sibi proprios seorsim præfigit; ita ad eum obtinendum proprijs rationibus, quæ decretis singularibus continentur, vtitur. Ac communes quidem sunt, *B. Virginem præcipua veneratione atq; honore persequi, morum integritate* imitari, in animis suis atq; aliorum *excitare cupiditatẽ sanctissimi illius nominis extollendi:* Magistratui & Moderatori è Societate dato parere in ijs, quæ ad Sodalitij officia spectant: peccata vitæ totius in primo ingressu, & tùm certis diebus festis, ac prima quaq; mensis Dominica explicare illi, quẽ P. Rector Collegij assignarit; Diuinoq; epulo accũbere: Leges communes Sodaliũ. I. II. III. IV.

V. VI. Dominicis diebus, & ſubinde quoq; alijs vnum in locum, quaſi in ſacrum lycæum, itare, ibique de Sodalium officijs vel diſſerere ipſos inter ſe vel audire diſſerentem aliquem, aut le-
VII. gentem attendere: Sacrificio incruento quotidie aſſiſtere; *Diebusq; conſtitutis Euchariſtiam ſimul accipere*; ac pòſt vnum horæ quadrantem piæ cuipiam commentationi vel preca-
VIII. tioni impendere: Statas preces matutino tempore, alias veſperi dicere, dieiq; exacti rationes à ſeipſis repoſcere: Denique omni virtutum exer-
IX. citio pollere: Abſentiæ à conuentibus ſolitis cauſas idoneas aut pœnas
X. dare: In celebritatibus atque apparatibus pro honore Sodalitatis & bono exemplo niti: Sodales ægros viſe-
XI. re; & ſi quidem è vita migrent eorum funus alios efferre, alios exequias ire, omnes quà publicè quà priuatim piacularia vota Sacrificiaque procu-
XII. rare. Qui peregrè abeunt, conſcijs Præſide Præfectoque proficiſci, munitos ijs literis, quæ fidem faciant eos ſtipen-

ſtipendia Mariana meruiſſe, vt ad eadem ſigna, vbi vbi miles noſter eſt, admittantur: vbique Duce ſuo ac Commilitonibus Parthenijs digna gerere: Imbelles, ignauosque diſciplinæ oſores, quique ingenio malo prauoque ſunt auerſari, fugere lites, aleam ganeamque deteſtari: ipſos inter ſe neceſſitudinem atque amicitiam colere, ſtrenuiſſimum quemque ad imitandum proponere; pulcherrimis denique factis Maximæ Patronæ ſe clientes probare: Ad extremũ leges pernoſcere atque accuratè ad earum normam vitam inſtituere, non tantum earum, quæ Communes ſunt & cum Præfectus Magiſtratum init publicè recitantur, ſed quas ſibi peculiares quæque Sodalitas ſanxit. XIII.

III. Sunt deinde aliæ Magiſtratuum leges; aliæ de admittẽdis ijs, qui ſe cœtibus his adiungere poſtulant; aliæ de ratione creandi Magiſtratus; aliæ de rebus in deliberationem adducendis diſcutiendiſque conditæ; quas referre nihil opus eſt. Demum

ſuas ſibi quodlibet Sodalitium leges propriumque ius condit. quæ omnia non modo prolixum eſſet deſcribere, ſed nec noſcendi quidem copia ſuppetit. pleraque ex ijs, quæ proximis capitibus, ſub nectam, intelligi poterunt.

IV. Atq; hæ leges Ingolſtadij 1588. V. Idus Aprilis primùm promulgatæ ſunt. Et vt maius robur ab acceptatione Sodalium haberent, quotquot tunc aderant ijſdē manu ſua ſubſcribere iuſſi ſunt, ſi quidem Sodaliū nomen ac locū retinere vellent. Paruerunt omnes animo alacri, ſuaq; ſubſcriptione poſteris exemplum atque documentum reliquerunt, Congregationem in ſuo flore tamdiu futuram, quamdiu apud eam legū amor atq; cuſtodia in precio foret: vbi earum curam poſt alia habitura eſſet, ſplendorem perdituram. Quo magis par eſt nos eniti, vt quam optimè inſtitutam accepimus, eandem ad poſteros florentem ſtudijs & officijs omnibus perfectam tranſmittamus.

CAPVT

CAPVT IV.

DVBIA DVO CIRca Sodalitatis administratio-nem expediuntur.

I.

NVnc quærat quiſpiam, cùm Sodalitates Rem quandam publicã dixerim, *cuius illa imperio pareant, ac penes quem ſuprema in eas ſit Iuriſdictio?* Nõ magni laboris erit quæſtionem euoluere, legenti, quæ Maximi Pontifices Gregorius XIII. & Sixtus V. ſuis Diplomatis conſtituerunt. Nam ſi ſupremam poteſtatem penes illum Iuriſperiti iure merito ore vno collocant, qui *ſtatuta, conſtitutiones, decreta condere, immutare, corrigere, moderari, reformare, ac communitati ferre poteſt*; cuique fas eſt, *decreta ad examen reuocare, eaque approbare vel abrogare*; qui *communitatem erigendi, inſtituendi, luſtrandi, ac denique diſſoluendi vim atque*

De Superioribus Congregationũ.

Arg. l. 2. §. poſtea ne diuinae & §. Et cũ placuiſſet. ff. de orig. Iurũ. &

auctoritatem obtinet: dubium nemini esse potest, Præpositum Generalem Societ. Iesv supremo iure Sodalitates administrare, cui totum illud *ius erigendi, dissoluendi, lustrandi, decernendi, aliaque faciendi,* Pontifices tribuerunt. Gregorius XIII. Sic loquitur: *Præterea eidem Præposito seu Vicario Generali pro tempore existenti, vt in quibusuis alijs dictæ Societatis Collegijs extra Vrbem prædictam, per vniuersum orbem, nunc & pro tempore erectis & quascunque alias seu quacunque alia Scholarium ibidem literarum studijs insistentium, & aliorum Christi fidelium ipsi Societati deuotorum Congregationes, seu Sodalitia sub eo titulo Annunciationis Beatæ* Mariæ, *quæ ab ipsa primaria Congregatione, seu primario Sodalitio tanquam membra a capite dependeant,* Auctoritate nostra *sine tamen Societatis aut Collegiorum & Ecclesiarum huiusmodi præiudicio* Erigere, & instituere &c. *Nec non tam primariam; seu primarium, quàm omnes & singulas ei aggre-*

l. 12. C. de legibus.

Præpositus Generalis Societatis Iesu Congregationum est supremũ caput.

In Bulla Erectionis. CIↃ.IↃ.LXXXIV.

Præpositi Generalis Societ. IESV *in*

aggregandas Congregationes, seu omnia & singula ei aggreganda Sodalitia huiusmodi Per se *vel* alium vel alios eiusdem Societatis presbyteros *idoneos ad id ab eo deputandos* Visitare, *& pro earum felici statu, regimine & directione*, quæcunque statuta, constitutiones, & decreta, *licita tamen & honesta sacrisq; canonibus, & Cōcilij Tridentini decretis non contraria: nec nō ab ipso Præposito seu Vicario, si per alium vel alios deputādos huiusmodi fiant*, examinanda & approbanda edere; *ac postquam edita fuerint, quoties pro eorum & temporum qualitate, aut aliàs expediens ei videbitur* immutare, corrigere, moderari, & reformare, *aut* alia ex integro condere *liberè & licitè valeat, eisdem* Auctoritate Apostolica *& tenore perpetuo concedimus & indulgemus: decernentes statuta, constitutiones & decreta huiusmodi, postquam edita, immutata, correcta, moderata, reformata & condita fuerint, ab omnibus Sodalibus prædictis* Inuiolabiliter obseruari debere.

Primarium & alia omnia ei cōnexa Sodalitia potestas.

Leges ab ipso Con. dita, mutata, Correcta, reformata seruari debent.

bere. Hactenus Pontifex.

In Bulla Extensionis. CIƆ.IƆ. LXXXVI.

II. Quæ Sixtus V. Sic ad alia Sodalitia etiam in Domibus Societatis erecta & instituta extendit, *vt omnia in illis* Gregorij XIII, literis *contenta, & præsentibus literis huiusmodi cõcessa, indulta, elargita, ac si specialiter de verbo ad verbum eisdem præsentibus inserta, eorumque toti tenores expreßi forent, concessa esse intelligantur.* Et infra: *Volumus autem quod si dicta Congregationes aut Sodalitia; vel eorum quæcunque aliquo modo eidem Societati vel Domibus seu Collegijs aliquod impedimentum, seu præiudiciũ pro tempore attulerint; idem Præpositus vel Vicarius, illas vel illa aut eorũ singulas vel singula,* dissoluere *poßit.* Ita Sixtus V.

Præpositus Generalis potest erectas Congregationes dissoluere.

III. Ex quibus omnibus conficitur, Præpositum Generalem Societ. Iesu supremam potestatem in Sodalitates huiusmodi à Sũmis Pontificibus consecutum, easdem erigere, lustrare, dissoluere, legibus ac decretis munire; si ipsæ quid statuant, examinare, approbare, improbare posse: cui

cui proinde in illis, quæ ad Sodalitij profectum pertinent, parere teneantur ij, qui in cœtus hos adlecti nomen remq; Sodalium retinere volunt. In manu tua est, an Romæ viuas: Si viuas, illius more viuendum, aiunt.

IV. Quod ipsum Romana primò Primaria Sodalitas, cui reliquæ per orbẽ veluti surculi quidam suæ arbori insertæ sunt, testatur, dũ de dubijs subinde enascentibus consulta, se eadem ad Præpositum Generalem Societatis IESV retulisse, atque ab eo sic resoluta, vt ipsi perscribebant, memorat. Sic illa Eistadianæ respondet, vt statim referam. Sic cum Lugdunensis Assumptæ Virginis Cõgregatio 10. Iunij 1619. de Indulgentijs lucrandis dubiũ proposuisset, Romana Primaria eodem año. 25. Augusti rescripsit dubij resolutionem, prout triennio ante ab eodem Præposito Generali, eandem acceperat. Eã resolutionem infra cõmodius referam.

V. Sed nũc alterã quoq; dubitationẽ quæ torquet aut perturbat, hic dis-

An ex lege Sodales nostri cogantur nomen dare Cõfratriæ Rosarij.

ſoluamus: *Verumne ſit, Sodalitatem noſtram dependere ab eo cœtu, qui* Roſarij *titulo floret, neminemq; in noſtram poſſe adſcribi, qui illi nomen prius ſuum non dederit?* Sic enim quoſdam diſputare publice priuatimque intelleximus. Id olim ita fuiſſe M. SS. Annales Ingolſtadienſes produnt, in quibus alicubi notatum inuenio Sodales iuſſos fuiſſe nomina ſua Sodalitio *Roſarij* inſcribenda dare. Reperies etiam in Manuali Sodalitatis quod R. P. Franciſcus Coſterus primo edidit, leges Sodalitatis, quibus olim vtebãtur, quando primùm fuit à Gregorio XIII. anno 1577. ditata prærogatiuis, inter eas illa ſecunda fuit, de nomine in *Fraternitatem Roſarij* prius dando, quàm in hanc noſtram admitterentur. Sed hæc lex primis tantum annis viguit. Nunc enimuero poſtquam Gregorius XIII. Primariam Romanam erexit, tanquam aliarum id genus Congregationum caput, eamque Præpoſito Generali Societ. IESV regendam ſubiecit, nouæque

Olim debebant.

uæque leges, ita vti Generali fas erat, conditæ sunt, desitus est mos ille obseruari: neque post id Sodales nostri ex præscripto iam necesse habent Rosarij Sodalitium frequentare. Nã antehac cum Sodalitates à Patribus Societatis erigi solitæ, singulæ seorsim sine certo aliquo capite agerent, vti se satis tutari possent, primariam aliquam Sodalitatem quæsierunt, cui se annecterent, in eaque se sustentarent; ad eamque rem opportunissima ea visa est, quæ & maximè diffusa & tempore antiquissima esset Rosarij Sodalitas: atque idcirco in eam certatim recipi petiuerunt. Sed vbi Primaria alia pro his talibus à Summo Pontifice instituta est, visum est Caput vnum sufficere, à quo dependerent; ad cuius leges & ipsæ vitam cõponerent suam, & quæ in illud Pontifices beneficia contulerunt, illorũ emolumentum aliquod acciperent; suis iam legibus & gratijs locupletes, Igitur ab alterâ illâ *Rosarij* se segregarunt, non contemptu aliquo aut

Iam ex præscripto non tenentur.

negligentiâ, sed opinione, Præstare ex vnius formulâ rectè mores instituere, quam neutrius officijs satisfacere; cùm plerumq; animus pluribus intentus, nusquam integer sit.

VI. Atque hæc ipsa dubitatio est, quam Primaria Romana dissolutam Congregationi Eistadianæ transmisit; literæ sic se habent.

PRIMA PRIMARIA B. VIRGINIS ANNVNT.

congreg. Perillustri Congregationi B. Virg. Annunc. Eystad. Salutem & Gratiam Deiparæ.

QVoniam nullâ negligentiâ intermissa est, neque obliuione muneris nostri contigit, vt ad Vos citius literas nō remiserimus, ideo sera nostra hæc responsio à DD. Vestris reprehendenda non videbitur. Multis enim grauissimisque negotijs detenti curam dedimus R P. pro Germania Assistenti apud Reuerendissimum

mum Præpositum Generalem Societatis Iesv, vt ipse dubiæ rei certiores vos redderet; confirmaretque fortissimos maximique animi viros. Quamobrem licet ille prouinciam hanc pro dignitate subierit: quod tamen & interuallum temporis iam satis longum intercessisset & virtutem vestram mentisque magnitudinem diligentius essemus nobiscum recordati, non existimauimus alienum esse institutis nostris breuiter hæc ad vos scribere. Nostram hanc Romanam Partheniorum Congregationem Summorum Pontificum liberalitate Primariam esse, nullique hactenus subordinatam, nemo est, qui ambigat: dummodo diplomata Erectionisque Bullas vel etiam superficie tenus cognouerit. Quod si quis hac de re dubitat, adhuc nostræ ditionis fines in ijsdem priuilegijs recognoscat necesse est. Ita enim & ipsi ab onere iniustè suscepto desistent, & vos eximiæ laudis homines probatæque prudentiæ vi-

viros vestra cum pietate veraéq; Religionis cultu quietos esse sinent. Valete Romæ in Oratorio nostro apud Collegium Romanum X. Augusti M.DC.XX.

Petrus Marionus I. V. D. Præfectus.

Ioannes Baptista Laurus Secretarius.

Quidam nunc aliter videntur sentire. *l. 2. de frat. Ros. c. 8. n. 7.* *Quo fundamento.*

VII. Neq; aliter sentire arbitror Recentiorem quendam, à quo quidam videntur inducti; vt dictitare vellent, Nos etiamnum obligari apud se nomen profiteri. Perplexè ille quidem loquitur, vt satis nequeas iudicare, quid velit. Quid enim vrget, *Idem numero institutum, eundem numero eiusdem Instituti modum. Hoc institutum, dicti Instituti veterem formulam, esse modum & conditionem concessionis Indulgentiarum*; Generalem Societatis accepisse potestatem edendi & immutandi statuta, *pro regimi-*

gimine & directione, non pro confirmati instituti derogatione? Nam illud si dicit, Primariam Congregationem ita institutam, vt primis legibus eam vti necesse sit, adeoque etiam illam, quàm è P. Costero refert, de nomine nostrorum Sodalium in album *Rosarij* referendo, etiamnum vigere; non fore alioqui idem institutum; contendit: meâ quidem sententiâ à vero multum ille aberrat.

VIII. Idem enim Institutum rectè id esse dicitur, quod certis capiti- *Saluo Instituto*
bus rerum gerendarum præscriptis *potuit id*
captum, deinde aliquibus, quæ in eo *statutum*
præcipua sunt, retentis, propagatur; *abrogari.* 1.
etsi alijs atque alijs mutatis, demptis,
additis, nonnihil varietur. Quæ enim 2.
alioqui Religio eadem esse censebitur; cùm temporibus exigentibus subinde aliqua dempta vel adiecta sint? Nec illa ipsa celebratissima Ro-
sarij Sodalitas iam eadem erit, si ve- 3.
rum autumas, quæ alijs atque alijs ex *Anno*
parte regulis vtitur. Nam R. P. Iaco- CIↃ.
bus Spenger, Ordinis Prædicatorum CCCC.
LXXVI.

Pro-

Miscel. 5. de psalt. & Ros. n. 2. Prouincialis aliquas addidit ijs, quæ primo factæ fuerant: his iterũ deinde alias appositas fuisse, notat Nauarrus. Quid igitur? an ideo eadem esse desijt? vanum dictu est. An verò cùm additio Instituto nihil officiat; aliqua detractio, cum in tuâ potestate est, officiat? difficile creditu est.

4. Iam illa lex de Inscriptione, fuit Sodalium nostrorum, *mera voluntas ac deliberata pietas*, ait ille: Sit igitur *mera voluntas* quoq; eandem abrogare. *Omnis enim res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur.* Neque dubitatio illa eiusdem: *An quod & altior accesserit auctoritas?* ne paullo quidem momento in aliam partem inclinat. Quam enim facile est illud quærere, tam inficiari promptum est. Quod enim argumentum coactionis? quis coëgit? quem? P. Costerus leges obtulit, inter eas illam, de quâ ambigimus, confirmari petijt; confirmatæ sunt; verbum nullum de coactione. Præterea cuilibet Sodalitio suis legibus suo arbi-

l. c. n. 6.

c. 1. extra, de Reg. l. arg. l. 1. C. Quando liceat ab Empt.

Liberè statutum illud omnino irritant.

l. fin. ff. de Colleg.

arbitrio factis viuere licet, dum Reip. non noceant: Et nobis igitur liceat. Denique si Generali Societatis non licuit è veteribus statutis aliquod tollere, quæ ergo potestas ei facta est, *immutandi, corrigendi, moderandi*, ALIA EX INTEGRO CONDENDI? nisi forsitan, *mutare, corrigere, alia cōdere*, nihil aliud sit, quàm vetera sinere esse imota? nemo id dixerit. Quæro enim liceatne tollere aliquam è veteribus legibus instituto saluo, necne? si annuas, bene est; factum; sublata est illa, pro quâ lis tam sero mouetur: si abnuas, quid igitur Pontifex indulsit? Alias poterat is tollere. Eodemnê instituto? cur non & istam? Quid multis opus est? Pontifex nouit leges nostras, & sic quietè nos sinit viuere. Sinant & alij, nec nodum in scirpo quærant. 5.

Certum itaque sit, Romanam Primariam, eiusq; membra suis iam Iuribus stare, & à Rosarij Sodalitate nihil mutuari, neque in eam nomen suum inserere debere. Si qua lex olim *Sodalitas Annunciata V. omnino à Rosarij*

alia

Sodalitio separata est. alia fuit, eam nunc, vt iure potuit, abrogatam esse: Vt proinde quiescere porro possint, qui secus sentiunt aut loquuntur: Sua quemque agere, alienis non admiscere, id in omni vitá esse optimum iudicamus.

CAPVT V.

QVIBVS MORIBVS *viuant Sodales.*

Arist. 2. polit. c. 6. l. de quibus ff. de Legib. LEges Moribus vsuque firmari, apud Iurisconsultos receptissimũ dictũ est: quin tanta in vsu vis inest, vt illo & leges fiant, & illustrentur, atq; quod in illarum vel multitudine vel difficultate asperum prolixumq; est, *Vsus leges mitigat.* quasi compendio mitescat, DVM quod fit ab omnibus, facile videtur. Postquam igitur Leges Sodalitatum enarraui, operæ precium est, subnectere earundem exercitia atq; exempla, siue illa è Legibus efformata sint, siue in Leges post abierint. Neque ea quidem hoc loco omnia, sed quę toti ali-

alicui Sodalitio præter aliorum morem, vel certè insigniori aliqua ratione consueta sunt, reiectis in secundum librum quamplurimis, & præsertim illis, quæ ad singulos Sodales attinent.

I. Vallisoleti instituta Sodalitas Iureconsultorum & Aduocatorum est. Ea carcere detentis suppetias solatiumque affert. Bini per hebdomades ad eos itant, prandium apparant, capita Religionis Christianæ explicant, causas illorum cognoscunt ac pro æquo tuentur: Si quando opus, Medicos Sacerdotemque accersunt, qui corporibus animisque medeantur. In orbem vices officiorum istorum recurrunt. Hispali quaterni his vinctis quotidie inter prandendum assistunt, piaque lectione animos illorum reficiunt. Triginta inter se pacti, fercula ijsdem subministrant, suo quisque die: vnus ex ijs constitutus, qui pauperum aduocationes suscipiat, cętera eis cum Vallisoletanis communia. Idem Talabricæ & Madridij in

Sodales miseris succurrunt.

Anno CIↃ.IↃ.LXXXIX.

Atque in primis Captiuis.

An. CIↃ.IↃCIII.

in Hiſpania factitant, idem Drepani in Sicilia.

Anno CIↃ. IↃ. XCVI. *Aegrorũ cura.* II. Abulæ Nobilium, Clericorum atque Laicorum cœtus, è præſtantiſſimis quibuſque conſtat. Illorum inſtitutum eſt, ægris egentibusque opitulari; in eam rem ciuitatem omnem in ſuas quaſi curias, quibus ipſi ſinguli pro Curionibus præeſſent, partiti ſunt. *Certamẽ honorũ.* Sicubi ægrotos per vias ſtratos inueniunt, in Noſocomium deferunt. Si vnus reperit, ſolus in humeros ſublatum ante omnium ora atque oculos deportat: ſi duo incidant, geſtatoriâ ſellâ in eum vſum paratâ ferunt: ſi plures; certatur, qui ferant; tam pulchri oneris nemo vult expers eſſe. In pauperum funeribus efferendis idem ardor, eademque contentio, beatior ſibi quiſque videtur, ſi feretro liceat ſuccedere, quam qui olim Iunonis ferculo ſuperbierunt. Aliqui illorum Feriæ quintæ noctem in honorem ac memoriam Myſterij Euchariſtici peruigilem precibus tranſmittunt. Alij

ſub-

ſubſequenti Feriā tres horas pomeridianas in acerbis Chriſti tormentis meditandis collocant. Quidam pridie huius diei mendicum domi ſuæ excipiunt, ſitum ſqualoremque corporis eluunt, pedes exoſculantur, veſtes reſarciunt, ſtipem largiuntur, atque ad generoſiorem de ſe ipſis Victoriam reportandam, eodem ſubinde lecto ſomnum cāpere ſinunt, vel vt verius loquar, cogunt. Et hæc Nobiles faciunt; rati pulcherrimum eſſe, in eo potius excellere, quod Virtutis, quàm quod Naturæ eſt: illa enim Nobilitas propria; hæc aliena & fortuita eſt. *Villagarcia idem praſtitit. Anno CIↃ. IↃCIII.*

III. Simili in egenos ſtudio flagrant Sodales Mediolani & Craconiæ, quod nomine quoque ſuo teſtatum eſſe volunt. Illi enim *Pietatis* titulo coaluerunt, & nexis ſubſidio ſunt: Hi *Miſericordiæ* appellationem re comprobant: ſtipem in commune conferunt, & quod memoratu iucundiſſimum eſt, ad Templorum fores etiam corrogant, pro ijs, quos vel *Anno CIↃ. IↃ. LXXVI. & LXXXV. Noui mēdici.*

vel morbus vel Verecundia ab alienâ ope impedit. Familijs ad paupertatem redactis ex instituto suppetias veniunt Tiburtini.

Anno CIↃ.IↃ. LXXXIII. IV. Idem Misericordiæ nomen munusque sibi sumpserunt Compostellani Socij. Inter quos Archiepiscopus, Magistratus & Nobilissimus quisque accenseri voluerunt. Diebus Dominicis Canonici duo & totidem è Magistratu stipē colligunt ijs, quos vetus prosapia & noua inopia publico remouet. Eodem studio flagrant CIↃ.IↃ. LXXXIV. Mexicani in India. His, pro vicis oppidi, in singulas hebdomadas, ægrorum ministerium curaque diuiditur. Vbi sua cuique Vico recurrit hebdomas, exeunt è suis ædibus omnes Viri feminæque cum liberis ac domesticis, obseratisque foribus, ea secum ipsi deferunt, quibus per hebdomadam pascant ægros, nihil vt in eos præter id, quod Sodalium charitas domo attulit, impendatur.

Anno CIↃ.IↃ. LXXXVI. V. In eius fortunæ homines año vno tributi aurei mille trecenti à Sodali-

dalibus Virginis Natæ Neapoli. Alibi quinquaginta vinculis adstrictos, quà suis, quà corrogatis pecuniarum subsidijs annum ipsum aluêre. E quibus itidem nonnulli valetudinario seruitium suum addixerunt, quando Bacchanalium licentiâ pleriq; mortales flagitijs, vel, vt leuissimè dicam, inertiæ insaniæque operantur. *Murciæ in Tolet. Prou. Anno* CIƆ.IƆ. LXXXV.

VI. Hispali capite aperto, flexisque genibus id genus obsequia deferunt, qui Natalium splendore illustres sunt, hoc ipso professi, aliquid inesse homini illustrius, quod etiam Nobilitas veneretur. Similia studia in nexos ægrosque impensa, reperies Lugduni, Turone, Palentiæ, Granatæ: solenne id est Senensibus, Messanensibus, Malacitanis, Burdegalensibus, Sassaritanis, Catacensibus, Aletinis. Sed de hoc genere plura sequēti libro afferam. *Anno* CIƆ.IƆC. III. *Anno* CIƆ.IƆ. LXXXII. III.

VII. In Monte Leonis Sodalitatem institutam ad prauam iurandi consuetudinem tollendam, infra memorabimus. Eius Sodales hanc CIƆ.IƆ. XCVI. CIƆ.IƆC. IIII. VIII.

C sibi

Vitia oppugnant. sibi legem dixerunt, vt si quando palam temerè iurauerint, pœnæ loco, *Anno* ibi vbi adstant, illicò publicè terram CIↃ.IↃ. deosculentur. Quæ lex ab ijs sanctissimè obseruatur; efficax linguæ coercendæ remedium. LXXXII.

Anno CIↃ.IↃ. XCIII. *Sodales pacis Studiosi.* VIII. Romæ inter complura Sodalitia erecta, illius, quod ab Assumptâ Virgine nomen obtinuit, & ex Optimatibus contractum est, præcipuum institutum est, dissidentes animos inter se reconciliare, euentu plerumq; felici. Multæ enim ac graues è vulneribus contumelijsque susceptæ inimicitiæ, inter viros nobiles atque illustres, industriâ Sodalium sunt depositæ. Solent autem in eâ pacificatione capitali odio distractos obtestari per B. Virginem, vt ius iniuriamque omittant. Et sua vis obsecrationi ineſt. Quam enim Tigridem non emolliat tam pium nomen? Dant plerique manus & in fœdus iungunt. In tabulis deinde, quæ de pace factâ testantur, perscribi solet: *Pacem Deipara caussa datam.*

Atque

Atque vt latius pateat instituti huius Vtilitas; Curiones ac Parochi Vrbis omnes præmoniti, vt simul atq; in eorum Curijs simultas inter aliquos extiterit, rem ad Sodales deferant: Qui certiores facti, per Viros graues ac Nobiles, ac, si res postulet, per vnum aliquem è Cardinalibus, quorũ multi in eã adlecti sunt, dissensiones & controuersias tollunt, inimicos ad concordiam adducunt. Neq; verò ipsi in alijs coniungendis maiorem operam collocant, quàm vt suam inter se animarum vnionem demonstrent. Hinc plerique singulis hebdomadibus conueniunt: singulis minimùm mẽsibus omnes pariter sacræ mensæ accumbunt, Cardinale sæpè aliquo, aut alio antistite S. Eucharistiam ministrante: aliàs sacros Vrbis locos gregatim inuisunt; aliàs in Oratorio flagris se cædunt; aliàs alia Christianæ submissionis officia exequuntur.

Multa officia pietatis Romanæ Sodalitatis.

IX. Quomodo Primaria Romana Cõgregatio pulcherrimis exẽplis ad virtutẽ alijs prælluceat ex ipsorumet

Sodalium ad Ingolſtadienſes literis audiamus. *Apud nos*, inquiunt, *humilitati multum ſtudetur & ſimplicitati, quamobrem tituli omnes & glorioſa apud ſeculi homines vocabula quibus ſeſe appellando mutuo honore fruuntur, è noſtro Oratorio faceſſere iußimus, vt inter fratres ſub eiuſdem piiſſimæ Matris patrocinio receptos æqualitas ſernetur; nec quiſquam de fumoſis maiorum imaginibus aut de diuitijs temporalibus glorietur. Præfecturæ functos continuò per tres ſequentes menſes (trimeſtres enim ſunt apud nos Magiſtratus) Ianuæ cuſtodiæ ex vetuſta conſuetudine addicimus: multum pro legum obſeruãtia laboramus, quæ in publico conuentu poſt Magiſtratuum electionẽ perleguntur: quæritur omnibus audientibus. Num aliquid detrimenti paſſa ſit Congregatio? quid à veteribus Magiſtratibus peccatum fuerit? Quid a nouis deſideretur? Quid pro amplificando communi bono facere oporteat? Rogantur deinde ſingulorum ſententiæ, & ſi quid fortè*

Modeſtia Romanorum Sodalium.

Quomodo Leges apud eos legantur.

fortè maioris momenti sit, quod euulgare corã omnibus non expediat, scriptis committitur. Tempore quadragesimæ bis in hebdomade ferialibus diebus sermo de Dominica Passione ab vno ex Sodalibus habetur, quo peracto corpus flagellis cædimus. Hæc Romani, qui Primariam frequentant, in suos mores induxerunt.

X. Subiungam quid alia quædam Sodalitas Romana præclarè gerere consueuerit, vt Primarij in literis proximè citatis perscripserunt. Nam vbi de suis memorarũt, hæc subnectunt. *In hoc Romano Collegio ante paucos annos Sodalitas nobis fœderata sanctissimæ Communionis. Hoc enim præcipuum est eius institutum, vt singulis mensibus in aliqua Vrbis Ecclesia ad Dominicum corpus suscipiendum conueniat, quò maxima eos multitudo comitatur, quam ipsi Sodales ex rusticis præsertim & ex infima plebe collectam ad sacram synaxin & exomologesin Christiana charitate perducunt, per multos antea dies sacra Catechesi di-* *Sodalitas S. Communionis.*

 ligen-

ligenter imbutam. Etenim diebus festis mane ad Oratorium conueniunt, quod ipsi in atrio Collegij satis amplum sua impensa extruxerunt; vbi sacræ preces magna cum deuotione recitantur, & incruentum Christi corpus offertur, & alia multa pietatis opera exercentur, deinde post prandium vnà cum patribus Societatis ad plateas Vrbis se conferunt quas singuli manipuli habẽt distributas vno è Societate cruce prælata letanias Deiparæ Virginis præeunte. vt ventum est ad plateam concio habetur à Socio ad quam paulatim opificum, & rusticorum multitudo aduolat: ea completa ad Oratorium Collegij omnes numero cum ingenti reuertuntur, vbi flagellis corpus cædunt maximo cum clamore multitudinis peccata sua accusantis, & in se acriter sæuientis, adeò vt maximum cædentium strepitum exaudire liceat non secus, ac si in aliqua fabrorum officina versareris. Sed non his limitibus pietas illorum contenta; ad carceres enim, ad triremes progressi, ad nosocomia, ad pau-

pauperum turmas sustentandas, ad omnes denique omnium ordinum gentes Christianæ charitatis viscera aperuerunt. Tempore Pontificatus Gregorij XV. anno 1621. in maxima annonæ caritate magnas pauperum turmas in porticibus Romani Collegij mensis appositis ex scamnis gymnasiorum cōfectis, quibus ipsi ministrabant, aluerunt. Nec numero pauci (quippe ferè trecenti sunt, qui Oratorium assiduè frequentant) nec generis ignobilitate contemnendi sunt, omnium enim ordinum viri in hoc Sodalitium conueniunt pietate concordes, & charitate feruentes; & quod caput est tantam in omni virtutum genere exemplorum copiam tam multa mirabilia & quæ naturæ vires trascendunt in his hominibus etiam indoctis plerunque & egentibus Deus operatur, tantamq; sacro cœtui fauēte Deipara Virgine gratiam largitur, vt non Epistolæ huius angustias, sed peculiarem tractatum requirat. Placuit tamen, vt vestris postulationibus aliqua ex parte satisfie-

ret commentariolum patris è Societate Iesv, *in quo ex nouissimis illorum rebus gestis, quas ipse vidit, pauca delibauit transmittere, vna cum quibusdam Epistolis & alijs quæ ad operis vestri illustrationem pertinere visa sunt.* Hæc illi. Ex quibus deinceps in nostrum hunc librum complura suis locis transcribemus.

Sodales sacra promouēt Anno CIƆ. IƆC. X.

XI. Toletani, malè feriatos homines ad rem diuinam audiendam cogunt: &, vt propolæ sine mercium damno, abesse tabernis aut foro possint, Sodales interea res eorum Venales seruant, distrahuntque magnâ fide atque emolumento. Quid non ingeniosa charitas inuenit, vt prosit? non merces tantùm, sed ipsam quoq; se venalem exponit.

Noui Institores. Notum S. Paulini exemplū.

Anno CIƆ. IƆC. III.

XII. Non procul Cordubâ, Clerici in oppido quodam Sodalitatem inter se inierunt, Christianæ pietati in alios propagandæ peridoneam. Pueros elementa religionis Christianæ per orbem modulantes vicatim deducunt: carmen sacrum ipsi præcinunt;

nunt; pueri cantata resonant. Quot hebdomadibus congregantur ad pia differenda, aut conscientiæ quæstiones discutiendas: bis item conuenerunt ad corpora diuerberanda. Quod postremum apud Consentinos tertia ac sexta feria vsitatum quoque inuenimus. Eadem Panormi factitantur, atque illud præterea: Sabbathis B. Virgini, diebus Lunæ pro mortuis Psalmodiæ officium peragunt: Litanias quotidie simul recitant.

Sodales per annū sæpè Corpus flagris affligunt.

An. CIↃ. IↃCXI.

An. CIↃ. IↃC.

XIII. Malacitani eam corporis flagro cædendi consuetudinem año integro in Societatis templo bis, & quadragintadiali ieiunio, etiam ter per hebdomadem frequentant. Diebus Dominicis conuentu dimisso, recta ad Nosocomia abeunt, cibaria deferunt, lectos ægrorum sternunt. In adducendis ad exomologesin & reducendis in gratiam inimicis conatu non vano elaborant. In Sodalitio eorum, qui studia maiora pertractant, mos stabilitus cædendi se gregatim die veneris, in collegio A-

An. CIↃ. IↃCIII.

An. CIↃ. IↃC. V.

quilano. Qui verò è Nobilium cætu, die Mercurij ſub veſperam ad Sodalitium accedunt in honorem Dolentis olim Virginis, ibique poſt ſanctiſſima colloquia non ſine lacrymis, ſe ipſos cædunt ſpatio decantati Pſalmi quinquageſimi. Nec prætermittẽda antiqua virtus Sodalium

An. CIↃ. IↃC.VIII. Baëzanorum in Hiſpania, qui ſigno ſalutandæ virgini audito quotidie, omnes in ædem ſacram ſe conferunt, auſcultaturi de re pia perorantem. Tum horæ dimidium in precibus ad aram maximam fundendis abſoluunt. Diuerberandi ſe cauſa ſimul omnes omnium Congregationum Sodales ter vnaquaque hebdomade ad eundem Pſalmum conueniunt: optimi quique & honeſtiſſimi primi; eorum exemplum alios trahit.

Anno CIↃ. IↃC. III. XIV. Eundem corporis affligendi per annum ſextis quibuſque Ferijs morem Abulenſes Sodales ſuſceperunt. Idem Neapolitani Virgini Conceptæ deuoti vſu receperunt. Bis totius

tius anni hebdomadibus, post Cineralia ter eam castigationẽ corporis vsurpant Sodales Vallisoletani in Mexico. Syracusis institutum est, vt singulis mensibus in templo flagellis se verberent vniuersi. Quid memorem singula? plurimis locis laudabilis ille mos increbuit, vel quot hebdomadis vel certè peruigilijs solennioribus (vti Ingolstadienses nuper facere instituerunt) aliquò conuenire, & siue Exhortatione absoluta, siue inter sacrum cantum publicè flagris seipsos conscindere. Qui solis Ieiunij magni ferijs eam afflictationem affigendam putant, longè errant, mea quidem sententia; & rem more receptam immeritò damnant.

Anno CIↃ.IↃ.XCIX.

Anno CIↃ.IↃC

An in Quadragesima tantum sit corpus macerandum?

Quid enim? pœnitẽtiæ illi dies dicati sunt, inquiunt: ain' tu, illi tantũ? nullus sine noxa dies abit, & tot sine mulcta abeant? *Exigunt à me præterita peccata mea futuram vitã meã, vt faciam* FRVCTVS DIGNOS *pœnitẽtiæ, & recogitẽ omnes annos meos in amaritu-*

Sermone de quadrup. debito.

ritudine anima mea, ait integerrimus Bernardus & B. Paula: *Affligendum est corpus quod multis vacauit delitijs: longus risus perpeti compensandus est fletu.* Hæc cogitant Sodales, & à se animaduertunt iniurias Deo irrogatas: illi alij peccandi sibi finem nullum statuunt, quod illis integrum est: quod nequeunt, pœnæ metam constituunt. Sed *præsens quod fuerat malum,* ait ille, *in diem abijt; plagæ crescunt.* quodque flagro vno alteróue expiari poterat; multorum dierum, vtinam non annorum, ignibus luendum erit: serius quidem, sed sæuius.

S. Hieronymus. Epi. 27. ad Eustochium.

XV. Et quoniam pœnitentiæ facta est mentio, non est dissimulanda apud Sodalitates omnes ab ipso earũ exordio inolita, & legibus roborata consuetudo pœnas imponẽdi ijs qui vel officijs Marianis non satisfaciunt, vel qui, quasi cessatores sint, ipsi eas efflagitant. Cum eam aliquando pœnam obstinatè quidam detrectaret, Præfectus ipse Congregationis Genuensis, homini ad pedes exoscula-

De vsu pœnarũ.

Reg. 9. Comun. & Reg. 4. Præfecti.

Anno CIↃ. IↃC. VII.

landos accidit, peruicaciamque modestiæ Exemplo fregit. Maiore alius virtute hac in re animum suum superauit. Is Messanensis Magistratus erat: Nescio qua incogitantiâ, an subito animi motu honestum hominem iurgio immodestiore læserat. Cum tumor ille resedisset, iamque factum nollet, rogauit Sodalitij Præsidem, vt facinus suum in consessu cæterorum publicaret, diceretque se eius pudere ac pœnitere, velleque satisfacere; pœnam, quam vellent, iniungerent. Mox ad pedes singulorum arreptare cæpit ea dignitate Vir, osculumque figere, donec se attollere iussus est. Vide mihi Humilitatis speculum, in quod reliqui meritò inspiciant atque ex eo exemplum sibi sumant Hæc de virtutum studio: de literis verbum addam & finiam. CIↃ. IↃC.

XVI. Qui literis operam nauant ex his Sodalitijs, vt supra cæteros excellant, nituntur; adestque clientibus suis, vt suo loco testatum faciam, Patrona Virgo, palmam plerunque pri- *De profectu literario Sodalium.*

niam ferunt; ad quam mutuis quoque incitamentis sese extimulant. Multis in Collegijs priuatæ quædam Academiæ erectæ sunt; suus cuique Magistratus, suæ leges. Exercentur quotidie in eo studiorum genere, quorum tractatu quique pro tempore occupati sunt. Quo id fructu fiat, prudens quiuis facile nouerit. In has Academias nostri præ alijs quodam iure, eo ipso quod Sodales sunt, cooptantur. In congregatione Hispalensi illud inductum est in mores, vt octiduo ante, quam noui magistratus Partheniani crearentur, Theses Philosophicæ aut Theologicæ quotidie disputandæ proponerentur. Conceptæ Virginis Sodales Cuzquenses in Peruuio ad integros octo dies varijs orationum & carminum generibus festos dies suos peregerunt, tanta omnium voluptate, vt Episcopus, Prætor, & vrbis totius Magistratus nunquam abesse voluerint.

Reg. 2. Academia.

Anno CIƆ.IƆ.XCVI.

Anno CIƆ. IƆC. V.

Veteres Ingolsta-

XVII. Quæ hactenus per diuersas mundi partes in mores à Sodalibus

bus recepta diximus, eorum quoque simulacra quædam iam olim ab Ingolstadiensibus efformata Comentarij illorum perhibent. Itum in Xenodochium, pauperibusque distributam eleemosinam fuisse; tenuiores per vrbem conquisitos à Consiliarijs, operâ diuisâ domesticamque inopiam multorum leuatam; semel mille quadringentos stipe adiutos reperio, pœnitentiarum irrogandarum vsum diuturnum; easq; decreto ab ipsis incunabulis Congregationis illius constitutas ac confirmatas, monumenta nostra antiquiora testantur. Qua in re non reticendum opinor præclarum ad memoriam facinus, Præfecti cuiusdam, qui deinde magnis honoribus in Rep. Ecclesiastica functus est, nam cum is pro eius ætatis more, statuta Sodalitij publicè prælegeret, ad eaque obseruanda reliquos inhortaretur, forte ad vnum quodpiam peruenit, secundum quod negligentius sibi videbatur vitam instituisse; moxque socordiæ suæ,

dicendum consuetudines.
Anno CIↃ.IↃ. XCV.
Anno CIↃ.IↃ. XCVIII.
Anno CIↃ.IↃ. LXXVIII
Anno CIↃ.IC. LXXX.
Anno LXXXII.
Anno CIↃ.IↃ. LXXIX.

suæ, vti dicebat, veniam sibi dari postulauit, & mulctæ vltro se obiecit. Denique nomine Sodalitatis Academicæ carmina in laudem B. Virginis edita; theses euulgatas propugnatasque aliquoties in Sodalitij loco à Sodalibus, idque è veteri more ac statuto factum lego. Sed ne res longius excrescat, plura adferre supersedeo.

CAPVT VI.

DE CELEBRITATIBUS Congregationum.

HAbent & suas illecebras Sodales, quibus ad pietatem seque suosque spectatores illiciant. Animi enim mortalium nulla re citius, quã satietate, virtutis tractationem fastidiunt. Igitur hic persequar, quo illi ritu ad Diuorum ædes supplicatum exeant, quo cultu ferias statas agant, quo apparatu Ludos sacros faciant, cum alij profanis inhiant, qua denique propositi renouatione B. Virgini

Ma-

MARIÆ Patronæ ſuæ ſe denuo conſecrent. Hæc enim ad mores ſpectare, in comperto eſt.

I. Supplicationes alias indictas, alias ſolennes habent. Indictas; cum malo alicui auertẽdo aut bono procurando, aut ſi vbi Deo gratulandum eſt, prodeunt, prout res fert ac tempus poſtulat. Ita quo tempore bellum Turcicum Chriſtiano orbi vaſtitatem minabatur, Cracouienſes Sodales è prima nobilitate ad Societatis templum ſupplicationem decreuerunt. Id vbi Rex comperit, paucis conſcijs è Senatorio Ordine, ad locum Sodalitatis venit, ignotusque Sacco Regiam Maieſtatem abſcondit, & cum alijs proceſſit. Incedebat agmen ſub noctem multâ face collucens & Symphoniacorum vocibus perſonans. poſtquam templum introgreſſi, aliquamdiu genibus nixi precati ſunt: poſt concionem, alij proni in faciem & vota procumbũt; ſupplicijs alij verberibusque Numen propitiant. Vbi deinde rumor diſtulit

Malis auertendis ſupplicant Sodales.

Anno CIↃ. IↃ. XCIIII.

Re-

Regem affuiſſe, admiratio iuxta æmulatioque ſecuta eſt.

Sodales pluuias impetrant. II. Granatæ diu iam non pluerat: Sodales ſibi videbãtur à Patrona ſua imbrem impetrare poſſe. Exeunt agmine facto cantuque & precibus primo ſtillantes guttulas, mox ruentem coelo toto pluuiam euocant.

Anno CIↃ. IↃ. XCV.

Anno CIↃ.IↃ. XCV. III. Alibi à Siccitate frugibus damnum ingens imminebat. Quadringenti Sodales ex flore Nobilitatis lecti, prodierunt in omnes vrbis plateas ſupplices, omnes aſperrimo habitu, nudis pedibus capiſtro ſparteo ad collum in reorum ac morte damnatorum effigiem. Horum alij manibus flagella in tergum intorquebant, alij textis ſeta piloque veſtibus horrebãt, illi ſub Crucibus ponderoſis penè fatiſcebant, diſtentis nonnulli brachijs, coronis ſpineis redimiti plerique incedebant. Vnus quiſpiam tribulis pedes pro tibialibus veſtiuit, ipſoque motu cruentauit. Nemo ſine ſupplicantis ſigno ibat. Qui minimè inclementer

ſe

ſe tractabat, manu altera ſigillum Chriſti in crucem acti, altera precatorios globulos gerebat, modeſti omnes, triſti ſilentio, lacrymisque madidi. præibat Chriſtus Puer crucemque præferebat, Nazaræis eodem habitu & onere ponè ſequentibus. Clerus multique mortales ſectabantur ſupplex agmen, magno animorum motu, etiam Cæleſtium. Nam pluuia mœrorem mox omnem diluit.

IV. Interdum loco vno preces ad ipſas quadraginta horas producere placuit. Quod precandi ſtudium multum poſſe apud ſuperos euentus docuit. Nam Monaſterienſes Sodales cum hoſtilis exercitus eorum vrbi immineret, horis quadraginta precati hoſtem auerterunt. Adnotatum enim eſt, qua hora preces abſolutæ ſunt, repentino terrore perculſū hoſtem collectis vaſis caſtra mouiſſe. Eas preces illi ſæpiſſimè verberatione vltro ſuſcepta, demum ſanguine conſignabant. Sic Brunæ, ſic Dilin-

Preces quadraginta horarum, dinerberatione corporum confirmant.

Anno CIↃ.IↃ.XC.

Anno CIↃ. IↃ. XCIII. An. CIↃ. IↃXCVI. An. CIↃ. ICLXXX. VIII. CIↃ. IↃ. XCVI. CIↃ. IↃXC. III.

lingæ, sic Ingolstadij, sic passim alibi factitatum inuenio. Bracharæ eo tẽpore treceenti; Pultouiæ sexcenti, iterum octingenti censi sunt, qui Sodalium ductu flagellis in seipsos sæuierunt, vt Deum ad lenitatem misericordiamque reuocarent. Callissienses ita illo precandi studio incenduntur, vt tunc insomnes noctes votis in templo ducant.

Solennes Pompa.

V. Solennes aliæ Christi Patientis, Eucharisticis, Supplicationumq; Ferijs præcipuè instituuntur, apparatu, pietate, spectatorum motu celebratissimæ. Sed quibus locis hæretici earum rerum contemptores degunt, ibi Sodalium se maximè feruor virtusque effert. Nempe illorum ludibria guttam igni adspergunt. Et iam constantia sua id Sodales consecuti sunt, vt qui antea risu emori velle videbantur, iam stupidi hiantesq; adstent, atque vario mentis æstu diuisi nesciant, laudentné ex merito, an ægri animi lubidine, reprehendant. Vnde factum vt exitio salutiq; id spectacu-

Hæreticis alijs malum, alijs salutem

ctaculum fuerit. Euenit Augustæ Vindelicorum cùm religiosissimo apparatu traduceretur pompa Parasceues, vt de Lutheri grege Sartor spectator esset. Videbat longo ordine magna mole deferri statuas Christi diuersa tormenta referentes, Equitum turmam splendidissimo cultu Christum Cruce onustum sequi, ad signa Ephebos Angelorum ornatu carmina concinere, terram trabalium crucum concussu, aërem flagellorum ictibus personare, facibus ardere cœlum, omnia Catholicorum pietate incendi; miris ipse modis torqueri, æstuare, liuere, indignari, Omnia denique ei maximo oneri doloríque esse. Quid multis? recta domũ abijt, & laqueo miseram animam sibimet exclusit; an desperatione rerum suarum, an nostrarum inuidia, incertum est. Lepidè pòst Catholici lusere, Lutheranos non gratis spectatores esse voluisse: cum Catholici patientem Christum repræsentarint, ipsos Iudam dedisse. Satis hoc falsè,

pepererunt.

An. CIↃ. IↃCV.

Spectaculum ad laqueum redigit.

dum-

An. CIↃ. IↃCVI. dummodo aliena calamitas abfuiſſet Ex eodem ſpectaculo eadem in vrbe alius ex ea diſciplina minime malus, dum videt terga ſanguine fluere, exanimatus concidit : vbi deinde fomentis ad ſe rediјt, paulò poſt ad noſtra caſtra tranſijt, hæreſi eiurata Ac cùm horrore quodam laceratorum corporum collapſus quibuſdam videretur: *Non ita eſt*, inquit; *culpa me mea abiecit, & ſcelerum ſuorum mens conſcia. Sic cogitabam: Hem iſti tam graues à ſe expoſcunt pœnas, culparũ forte non magnarum rei: ego nequiſſimus mihi blandior; quaſi pœnæ nullæ impenderent.* Huic curioſitas dolorem, dolor ſalutem peperit.

Alius ad pœnitentiam vocat.

An. CIↃ. XCIV. VI. Alibi ad ſimilia audenda Sodalium feruor reliquos inflammauit. Quo in genere Lublini in Polonia quidpiam contigit, quod & pio & iucundo animi motu ſpectatores affecit. Nam dum Sodalium ſe cædentium agmen ducitur, pia fœmina filiolum tenella admodum ætate ſeminudum cum ſcuticula illi agmini inſer-

inseruit, puerum palam his vocibus hortata: Habe, Puer, grandem animum; vt ista scias ætate discere illius amore pati aspera, qui tui amore mortem passus est. Permouit ea res ita vehementer, qui spectabant, vt quod tunc in agmine non possent, multi domi postea illo exemplo flagris se ceciderint.

VII. Ne prolixus sim, omitto singulas pompas ambitiosius depingere; sua cuiuis memoria rem toties spectatam, faces, signa, flagella, cruces, chorum, populi suspiria, facile animo formanda subijciet. Illud tamen præterire non debeo, Serenissimos FERDINANDVM Austriæ Archiducem, PHILIPPVM, FERDINANDVM, ALBERTVM Bauariæ Duces Ingolstadij simul prodisse in eam supplicationē, quæ feria sexta Sanctioris hebdomadis ad Sepulchra nocte oborta instituitur, Christiq; è Cruce pendentis statuam mutuis operis prætulisse: iam tunc omine auspicatissimo, Inuictissime Imperator FERDI- *Principes easdem pompas adiuuāt. An. CIↃ. CXIV.*

NAN-

NANDE tibi acclamari poterat: IN HOC VINCES, CHRISTO DVCE, BAVARO SOCIO.

Noua ratio procedēdi in Parasceue.

VIII. Nouum id fuit, quod Bisuntini fecerunt. Feria quinta in cœna Domini bini processerunt ordine benè longo, sine funalibus, sine cantu, nullo vexillo, communi vestitu, sola modestia, silentio, ordine contenti; capite tantum aperto preces taciti fundentes templa obierunt. Ad Oratorium reuersi, post preces & exhortationem, pauperibus ritu solenni nobilissimi quique pedes lauerunt. Ostenderunt isti etiam sine pompa pietatem placere posse.

Quo cultu certas ferias agant Sodales. An: CIↃ.IↃC.

IX. Et quia Cœnæ Domini mentio incidit, quo hunc diem honore, tum alios quosdam festos transigant, videamus. TREVIRIS Sodales è suo numero duodecim pauperes delegerunt, quibus epulum apparatissimo loco, supellectili argentea præbuerunt. Ministrabant præcipui quique Philosophorum ac Theologorum, qui vsque ad lances abluēdas magna ani-

animi alacritate ſe demiſerunt. Ipſe Mag. Vniuerſitatis Rector. S. Theol. D. cænatis illis pedes lauit, & ſingulos eleemoſina largiter donauit.

X. Treuirenſes hoc pauperum numero duodenos Apoſtolos venerati ſunt. Cracouienſes ſeptuaginta Chriſti Diſcipulos totidem è paupertina tribu conuiuis vocatis repræſentarunt: quibus ipſi ſuis manibus cibos coxere, Nobilesque menſis intulere. Secuta dein pedum ablutio, certamenque de viliſſimo ſeruitio, Nobiliſſimo quoque querente, ab alijs deſignatos ſibi pauperes ereptos fuiſſe. An. cIↃ. IↃXCII.

XI. Sed longius ſe extulit Neapolitanorum ardor. Apud quos in more poſitum ferunt ſerijs D. Magdalenæ ſumptuoſiſſimum epulum dare amplius octingentis ægris: ibi ciborum abundè eſt, vt in multos dies victus Noſocomio poſt ſuppetat. Neque ſuas auribus lautitias deeſſe ſinunt, quas interim delicatiſſima ſymphonia permulcent. Complutenſes & Aquilani Sodales Aſſumptæ An. cIↃ. IↃXCIX. An. cIↃ. IↃCX.

An. CIↃ. IↃCV. Virgini ſacro die, quem præ reliquis celebrant, conſimilibus officijs Reginæ Cælorum obſequi ſtudent: niſi quod illi eam ſymbolam prius à pauperibus flagitent, vti ſacris epulis paſti, ſuæ demum menſæ accumbant. Hi vero, clariſſimo vrbis ſpectaculo, pedes eorundem prius lauant, & vlcera exoſculantur, reliquias deinde ciborum argenteis in lancibus ad carceres deportant.

An. CIↃ. IↃCXI. XII. Sed vide aliam rationē Feſtorum colendorum. Leodienſes diem Viſitanti Virgini ſacrum, ſibi peculiarem, magno pietatis ardore celebrarunt: per octo dies decantatæ laudes ante Virginis Iconem: narratum inſuper ex hiſtoria exemplum aliquod virtutis illuſtre, aut magnæ Matris in mortales ſingulare beneficium, tantâ auditorum frequentia, vt ſupra duo millia numerati fuerint. Non morabor in alijs modis adducendis: omnibus æquè ſtudium eſt, omni cultu atque honore conari, ſolennes ſuas ferias tranſigere.

XIII. Non

XIII. Non possum tamen committere, vt silentio transeam Duacensium in Belgio pietatē, qua S. P. Franciscum Xauerium, die eius Natali coluerunt. Nam ex oratorijs suis solennem pompam ad templum Patrum Societ. IESV duxerūt: primi ciues sub signo Virginis Purificatæ; deinde Theologi & Iuris studiosi sub vexillo Assumptæ; post hos Religiosi Sodales; tum qui omnes Sanctos patronos legerunt; mox Philosophi, Virginis Añuntiatæ titulo; tū Rhetores & Poëtæ, ac demū ab Angelorū tutelâ nūcupati incedebāt. præcedebat singulos ordines puer aliquis Angeli forma volucris & insigniter stolatus. hi manibus pręgrandes cereos albos librarum decem, auro coloribusq; varie pictos deferebāt: post pueros hos, Sodalitatum Magistratus sequebatur; inter quos Reuerend. & Illustris Marcus Fuggerus Theologorū Præfectus, & Ingolstadiēsis olim, qui suæ Congregationis impensas fecerat. Munera Sacerdos ad aram Beati

Beatos Societ. IESV quo honore colant.

An. CIↃ IↃCXIX.

constituit. deinde sub noctem ignes missiles, igniuomæ machinæ & ludi varij dati. Sed quia tum illo die, tum Sancti Patris Ignatij ferijs non tantum Sodalium, sed integrarum ciuitatum studia impense se effuderunt, præstat narratione supersedere, ne dum breuis esse laboro, putidiusculè aut ieiunè rem maximorum sumptuum tenui scriptura eleuem. ob eandem causam B. B. Aloysio & Stanislao habitos honores hic prætereo. S. S. IGNATIO & FRANC. XAVERIO Ingolstadienses Sodales Candidos Cereos, benè magnos LL. M M. posuerunt, illis nempè patribus, quorum Filij in nobis ad virtutem atque doctrinam liberaliter educandis laborant. Quid ijdem Sodales præstiterint, cum Diuorum eorundem inter Sanctos relatorum celebritas primùm agitata est; seorsim libello alio perscripsimus certè mille aureos in eam rē expenderunt; sumptum planè magnificum, si noueris nullis reditibus illos locupletes esse.

An. CIↃ. IↃCXX. (margin, beside "tereo. S. S. IGNATIO")

CIↃ. IↃC. XXII. (margin, beside "laborant. Quid ijdem")

XIV. Sed

XIV. Sed nescio an quidquam, maiore religione, sumptu, apparatuque nitantur exornare, ac dies illos, quibus alij Dionysia agitant, aut alios ludos exhibent. Toletani in Taurorum agitatione templum Societ. Iesv mirifico ornatu instruxerunt, Sacramq; Eucharistiam palam propositam die toto venerati sunt. Dumq; alij inter inhumanum ac propè damnatum spectaculum cupedijs bellarijsq; sparsis barbarum morem condiunt, Sodales nostri eiuscemodi delicias in Carceres nosocomiaque deportarunt. Hoc puto est magnificentiam ostentare, hominum, non belluarum causa opes largiri. Similem in miseros beneficentiam contulerunt Bisuntini: nam Bacchanalibus viginti supra centum pauperes conuiuio exceperunt. Murciani Valetudinario per id tempus operam suam addixerunt. Eadem temporis licentiâ Sodales iam passim ad preces quadraginta horis fundendas, sacrumq; epulum celebrandum & multa id genus

Quid Bacchanalibus agant.

An. CIↃ. IↃCIX.

An. CIↃ. IↃXC. VIII.

An. CIↃ. IↃLXXX V.

nus alia instituenda abutuntur : vt nihil opus sit exempla afferre eorum, quæ ferè vbique in oculos incurrunt.
An. CIƆ. IƆXCIV. Monacenses, Neapolitani, alij quam plurimi, publicè in æde sacra flagellis tunc in se animaduerterunt. Quorum nos piam sæuitiam æmulari nuper cæpimus.
An. CIƆ. IƆCXVIII *Cur eo tempore flagris ęcantur.* Quo enim alio tempore nostris supplicijs iram Numinis opportunius placemus, quàm cùm plaustris iniuriarũ quasi ex more lacessitur? Euenit in hoc genere quid miraculo simile. Cum enim Neapoli Sodalis quidam supra modum cædendo processisset & nonnihil valetudinem oblæsisset, vt à victu parando diebus aliquot impediretur: cum primum potuit piscatum profectus est, Et secum: *O Virgo*, inquit, *iactum adiuua; vt rei familiaris damnum tua causâ acceptum compẽsem.* Iecit rete, tantamque piscium copiam contraxit, quantam ad id locorum nunquam coegerat.

XV. Neque templo se continuere etiam ad aliorum dementiam corrigen-

rigendam inde egreſſi ſunt. Conſue-
uerant iam olim Brixienſes Sodales. An. CIↃ.
&quodammodo ex lege factitabant, IↃLXXX
vt veſperi eius diei longiſſimo ordi- V.
ne,& cum face plurima ad ſacram æ-
dem Euchariſtiamque adorandam
ſupplices & cum corporum ſuppli-
cijs procederent. Verum poſtea eti- An. CIↃ.
am in plateas publicas ſe contulerũt. IↃXV.
Nam cum innumeri perſonati vrbem
totam percurrerent, inſaniæq; quam
plurimi litarent, ægrè id ſcilicet paſſi
ſunt Sodales nugas ac ludicra præ æ- *Bacchanalium pompa.*
ternis habere. Igitur ad Sexaginta no-
bilium adoleſcentum agmen cogi-
tur: moxque vicatim per vrbem ritu
ſupplicum ire incipiunt: pars flagris
tergum cruẽtare, pars manibus mor-
tuorũ crania præportare, pars Chri-
ſti patientis inſtrumenta oſtendere.
Repreſſit id ſpectaculum multorum
licentiam,& euenit, vt ſic proceden-
tibus agmen lymphaticum occurre-
ret, hominum viginti quinq;. Stupe-
re hi nouo concurſu, alia Orgia mi-
rari: quid verbis opus eſt? abijciunt

thyrſos, perſonasque, præter vnum, omnes deponunt. Conſtans nempe Virtus omnium Victrix eſt.

Ornatus templi. XVI. Sed quis iam verbis ſatis aſſequatur ornatum templorum atque altariũ? Serico, auro, periſtromatis, pegmatis, facibus illuſtria omnia, vt etiam inuitos ad ſe attrahant atq; ad precandum illiciant. Quis dignè deſcribat ingentem illam molem à Sodalibus Romanis adusque templi laqueare eductam? Sacra nomina IESV & MARIÆ in aëre ſuſpenſa micant, ſtellis æmula: tùm in orbem leguntur verba hæc: *In nomine* IESV *omne genu flectatur*. Et quod mireris nihil horum colore vllo, nec argẽtò nec auro ſcriptum eſt, ſed lampadum lumine in literarũ ſeriem diſpoſito. Quid reliqua memorem? ita cereorum lampadumque radijs omnia illuſtrãtur, vt inter ſidera ſeſe recipi ſpectatores opinentur. accedunt melleæ voces & delicatiſſimæ flexiones Muſicorum, quæ iam animos penitus è terris abripiunt, cæloque inſerunt.

Quid

Quid multa? Romana Maiestate dignum spectaculum esse dictitant, qui coram adspexerunt. Hinc tota propè Roma eo confluit, Patres purpurati frequentes adsunt, ipse Pontifex Maximus celebritatem præsens exornat.

XVII. Nescio an à Romanis exemplum sibi sumpserint Manilani in Philippinis Insulis. qui Bacchanalium hilaritatem in templum transtulerunt, *Lubet hic nonnulla*, ait historicus, *de eius ornatu referre, qui multorum millium aureorum summam excessit. Templi cælum sericis peristromatibus exornarunt, usq; discoloribus aspectu iucundis: hæc distinguebant pictæ quædam aurataq; Iaponenses tabulæ pluribus figuris historijsque decoratæ. Parietes hinc inde conuestiebant culcitræ, vario serico acuq; pictæ, auroq; fulgentes magni precij; ex ijs aliæ discolores ornabant arcus, fornicesq; multiplice velo illaqueatæ, è quo curiosè picta emblemata pendebant: medios autem arcus, qui plures sunt, plures etiā argenteæ lampades condecorabant.* An. CIↃ. IↃCVIII. *Quid in India Bacchanalibus Sodales instituerint.*

Porro tota hæc serica supellex aquilis, pauonibus, anseribus, cuniculis, leporibus, alijsq; tum auium tum quadrupedũ generibus acu mire elaboratis scatebat, ita vt viretum diceres templum, quod etiam plures variaq; plantæ hinc inde in suis vasis disposita spectabilius reddebant. De aræ maximæ ornatũ subiungit: *aurata surgebant columnæ miro artificio dispositæ, quæ cum medios haberent arcus, vbi Tutelarium Diuorum claudebantur icones, visu iucundum opus reddebant. tres erant columnarũ ordines, in quorum summo Christi Domini imago patebat, quã medium habebant SS. PP. Ignatius & Xauerius; Seruatoris imago vexillum porrigebat Ignatio tanquam Societatis antesignano. At in media ara surgebat etiam ex aurato opere curiosè fabricatum opus, varijs Sanctorum Angelorumq; sigillis exornatũ; in cuius summo sacra pyxis auro, argento, lapidibusq; preciosis conuestita cunctis patebat.* Addit deinde alia, vt Præfecti Sodalitatis curâ omnium

Cleri-

Clericorum Religiosorumque cœtus huc supplicatum processerint; inhibitæ sint personatorum discursationes, aliaque sexcenta instituta, quæ sigillatim narrare longum foret. Qua in re maximum illud admirationis habet, nuper è superstitionum tenebris emersos, consuetas apud nos voluptates ac ludos diuinis posthabere potuisse. Sed animus qui Deo se verè dedit, facilè cætera negligit.

XVIII. Ad extremum non debeo hic silētio inuoluere, quid Ingolstadienses ad illorum dierum sanctitatem tuendam, aliorum imitatione conati fuerint. In templo Societatis IESV iuxta aram maximam vtrinque theatridia duo struxerunt, ad mediũ vsque chorum deorsum versus pertinentia. Super alterum illorum Christus manu triplici telo obarmatâ, iam iamque spicula in genus humanũ intorquere velle videbatur, nisi B. Virgo procumbens in genua ictum auerteret, reumque Hominem è mortis à tergo instantis, Dæmonisque An. CIↃ. IↃCXIX.

laqueo disrupto eriperet, atque in Filij amicitiā reduceret. Atq; vt res tota quasi Epigrammate vno legeretur, supra totā hanc scenā Iris protendebatur, insigne clementiæ; inscriptum erat: MISERICORDIA. Ex aduersum in altero pegmate Cometa tristi flamma fulgurabat, VINDICTAM minitans. Infra Dauidi fatalis optio dabatur eligendi, quam è tribus vellet, pœnam. In ora theatri Ioannes Baptista concionabundus ad spectatores, PÆNITENTIAM AGITE chartā præferens; multa denique alia spectabantur. Sub vtraque structura gemini introrsum hiatus patebant, flāmis horribiles. In earum altero tristissima Inferorum species adumbrabatur. Ibi videre erat ad ea loca detrusorum illætabiles facies; hiantiaq; fœdè ora triste aliquid hiscere velle videbantur, quo seram suam pœnitentiam damnarent. Ex opposito in flamis purgantibus Misericordis Iudicis imotam Iustitiam ostendebant mœstæ Animæ; quas ille cælo quidē

asse-

asserere decreuerat, sed acribus prius tormentis expiatas; vt qui etiam dilectissimis impunitatem leuium noxarum non indulgeret. Intra aræ cãcellos hemicycli accessionem adiũxere, supra quem triplici ordine Diuorũ Lipsanothecæ constitutæ sunt: in vtroque cornu hinc S. Hieronymus, illinc D. Magdalena pœnitentiæ instrumenta porrigebant. Supra hinc Moses populo Deum propitiare: è regione Christus pœnas nostris sceleribus debitas suoque tergo immittentes multis lacrymis deprecari conspiciebatur. Omnia eo intendebant, vt salubri terrore spectatorum animi à peccando, cuius tunc copiam tempus faciebat, absterrerentur. *Cui bono talia spectacula præcantur.* Anno deinde consequenti tertium pegma maximum supra aram erexerunt, & ijs, quæ superiore anno spectanda exhibuerant, omissis, supra vtrumque antrum flammiuomum & Reliquiarum sacrarum ordines nouum spectaculum dedere, Iudicium extremum. Res à pictoribus iam *An CIↃ. IↃCXX.*

dudum explicata calamum noſtrum non requirit. Vtroque anno frequens in templo populus, præut alijs antè annis fuerat. Ac tametſi multos forſitan rei tantum nouitas pellexerit, nihilominus precium operæ feciſſe nos ſperamus. nam vt profana ſpectacula ignorantibus mentibus tacitè illabuntur, eaſque pertentant, vtinam ne ſæpius labefactent; ita ſiquid religioſum obijciatur, horrore ſacro animos percellit, ſcintillam pietatis clam inſcijs inſerit, bonæque olim frugis naſcituræ ſemina abſcondit. Supereſt vltimum de quatuor initio propoſitis: ſed ne caput hoc nimis excreſcat, ſeorſim id abſoluemus.

CAPVT VII.

DE RENOVATIONIBVS.

I. NAturæ vitio res magnas non vti inchoauimus peræq; fortiter

titer ad finē deducere perseueramus. Initia plerumque suo calore se promouent, & quod in rebus gerendis difficultatis est, leue faciūt. post cùm feruor animi remisit, & agendo se onera prodere incipiunt, ita *vt ingenium est omnium hominum à labore proclive ad lubidinem*, segnius operi instamus, & pedetentim omnino cessamus. Id quod in Rep. quoq; contingit; principio enim optimis legibus constitutæ sunt ciuitates: dein cùm paucorum seu licentia seu potentia interuenit, cæperunt mali mores sensim inseri, & dum nemo vindicat, crescere; ac quodam contagio plures inuadere. Quo factum, vt quod à pluribus agi animaduersum est, paulatim totam multitudinem occuparit, ciuitatemque immutarit; vt non iam priuatim, sed publicè maxima flagitia committerentur. Hinc sapientissimi quique præcipiunt ad vetera instituta Reip. disciplinam reuocandam; nouumq; subinde impetum capiendum esse, vt quæ

Renouationum radix atque origo est naturam in bono inconstantia.

Renouationes in Rebuspub. consuetæ.

quæ bene cœpta sunt, rectè absoluantur. Hinc Censores olim malamorum semina maturè coërcebant, & hodie in sacris familijs quot annis lustrum instituitur, vt videant ecquid collabi aut nutare cœperit, si ad canones ritè omnia sint composita, necne; quid fulciendum, quid subruendum sit, cognoscant. NVLLA nimia diligentia, qua contra perniciosissimum malum, Legum Neglectum itur.

Concil. Trident. Sess. 7. c. 8. sess. 21. c. 8 Sess. 25. de Regul. c. 1. & 20.

Et à Sodalitatibus receptæ.

II. Hunc morem pleraq; Sodalitia imitantur. Nam & hæc subinde animos restaurant, atque ad colendam impensiore cura D. VIRGINEM simul omnes sese incitant. Qua in re duplicem rationem obseruatam fuisse reperio. Cum enim lapsu temporis legum habenæ laxius fluere, minusq; iam ac minus seruari viderentur, multisque pro iure sua voluntas esset, ne malum se latius diffunderet, tempori occurrendum rati Sodales, nouis decretis adstringere disciplinam, legibusque nouum robur adijcere

Duplex ratio renouandi.

1. *Censura quædam Morum.*

cere maturarunt; nunc illa remouẽdo, quæ cursum remorabantur, impunitatem peccandi & viuendi pro arbitrio licentiam atque exemplum: nunc addendo animum, æstimationem Congregationis, alacritatemq; parendi, & studium rerum diuinarũ excitando, quæ Sodalitatis integritatem inprimis stabiliebant. Atque hæc prior ratio nullum certum tempus præfixum habebat; sed vt res necessitásque postulabat, ita eam capessebant. Ac video tantam negotij istius curam in Sodaliũ animis insitam fuisse, vt iuxta illud, *Principijs obsta*, longè ante ire, quàm malum inualesceret, medicinamq; non tam curando quàm auertendo morbo parare occuparint. Qua in re diligentiam maiorum nostrorum admiror, qui non semel inuigilarunt, ne Sodalitas hæc nostra detrimentum pateretur. Conuocatis enim edixerũt, vt si quibus statutorum obseruatio incommoda videretur, neque posthac illis teneri vellẽt, sine fraude excesse possent

Iam olim Ingolstadiensi facta. Anno CIↃ.IↃ.LXXXI, CIↃ.IↃ.LXXXII.

& à

Anno CIↃ.IↃ. LXXXIII.

& à Sodalitate ſoluti miſſionem haberent: quibus verò alia mens foret, eandem denuo ad bonum commune tuendum, ad Magnæ Matris venerationem amplificandam applicarent. Mira Sodalium conſtantia; è tanto numero, primùm tres tantum abierunt, deinde vnus, tertio nullus exors tam dulcis vitæ eſſe voluit; omnibus exinde ſtudium, Mariana officia intendere, ſicuti in noua deditione; pro Sodalitatis incolumitate manibus pedibuſque omnia enixè facere.

II. Propoſiti Repetitio.

III. Altera ratio eſt, vt certo aliquo die ſingulis annis omnes primũ illud propoſitum, quod ex forma certa conceptum, in ipſa admiſſione ante aram publicè pronunciare conſueuerunt, iterent, eoq; facto pro ſe quiſque veteraſcentem animorum feruorem renouent, & recenti impetu in virtutis ſtadio alacrius decurrant. Eo die peccata expiare confeſſione, alicubi à toto anno repetita, ſacramque Synaxin ſimul celebrare ſolen-

Modus Renouationis poſterioris.

solenne est. Ibi Præfectus ad altare procumbens, cæteris itidem genu nixis solennia verba de scripto præit; reliqui taciti clariúe prosequuntur, prout quoque in loco institutum est. Illam deinde precationem eleganter scriptam supra aram offerunt, testem sanctissimæ voluntatis suæ. Hanc animos restaurandi consuetudinem, multæ per superiorem Germaniam Congregationes receperunt. Insulis in Belgio simul cum sui repetita deuotione Cereos offerunt. Græcij eandem morem tenent, vt oculati testes retulerunt. *Exempla.* *Anno* CIↃ. IↃC. X.

IV. Memoratu digna est Viennensium Sodalium pietas, qui vt Ferijs Assumptæ Virginis vberiora cælo dona acciperent, vno mense ante Festum, pijs meditationibus, alijsque exercitationibus animos præpararunt; ac demum Natali eiusdem Virginis formulam, qua se B. MARIÆ mancupio dederant, repetiuerunt. Qua id celebritate præstiterint Bisuntini, paulo post memorabo. An. CIↃ. IↃCVII.

V. Nam

Caussa Renouationis.

V. Nam mihi prius in mentem venit, laudabilis adeò moris causas adferre, vt illi rectè facere videantur, qui eum iam vsum induxerunt; & alij habeant, cur idem præstare velint.

I. Nitor Sodalitatis.

Ac primò quidem caput negotij est, Nitor quidam atque Vigor Sodalitatum. Nam, vt principio dicere institueram, sensim hebescit acies mētis nostræ, & nobis nec aduertentibus quidem, quasi alluuione, semper aliquid deteritur de viribus animi. Corporis enim commercio, rerum harum inferiorum tractatione irretiti, malumus ferè ea quæ delectant, quàm quæ ex vsu sunt, sectari. Ita animus laborum fugitans, quietis & voluptatis appetens, cito auertitur à rerum sacrarum studio, & ignauo otio torpescit. Quod malum cum in partes communitatis irrepsit, totam marcescere necesse est. Sic Cœtus ad optima gerenda instituti, solo sæpè iam titulo se tuentur, vigore paulatim consumpto. Inde Nitor & acerrimi ad virtutem stimuli, exempla per-

Vigor Virtutis facilè languescit.

pereunt. Nemo enim miratur neque ſibi appetit, quod vulgare eſt; nec factum æmulari volumus, quod Auctor contemnit. Quare pro viribus laborare par eſt Sodales, vt Congregationis incolumitatem ac pulchritudinem ſartam tectam conſeruent. Eſt enim Sodalitas elegantiſſimum quoddam corpus, in quo virtutum decora bonorumque exemplorum pulcherrimæ formæ eluceſcunt. Ob quod & Deus illam in oculis ferre, & MARIA Virgo in delitijs habere, infinitis propemodum gratijs in Sodales diuinitus diſtributis, declarant. Quo magis quiſque pro ſe caueb:t, ne quam maculam tanto nitori affiget; atque omnes ſimul operam ſedulam nauabunt, ne per incuriam ille decor defluat aut obſcuretur. Quis enim poſt id audeat Virgineo ſe aſpectui ſiſtere, & ferre illos oculos, quorum pupillam, id eſt, Sodalitium vitijs ſuis quaſi puluere adſperſo læſerit? Ad quæ omnia euitanda, præſentius remedium nullum eſt, quam frequens

Sodalitiorum integrorum magnum decus.

DEI & B. Virginis amor erga talia Sodalitia.

Renouatio integritatem hanc conſeruat.

quà

quà priuatim quà publicè Sodalium renouatio, quà torpor ab animo, turpitudo à moribus excutitur. Coluber post hyemem

II. *Positis nouus exuuiis nitidusq; iuuenta.*

Et Aquila ad solem expansas alas concutiens ac pennas veterascentes proijciens adhortantur; vt nos quoque è senio in viridem ætatem reflorescere velimus. Romani olim Cal. Ianuarijs suam quisque artem auspicari soliti, monent ab vnius diei fortunato initio pendere reliqui temporis successum. Quid est cum omnia sui reparationem affectent, quod soli vetustate obsordescere præoptemus? Iam vt in humanis toto anni cursu multa diligentibus obrepunt, quæ aliter gesta oportebat; à quibus nemo rectius se expurgat, quam qui facta nollet, & in futurum cauere velle ita vt in renouatione fit, proponit. Præterea illæ se obsequio Parthenio deuouendi toties repetitæ vices, animum in B. Virginem promptissi-

Omnia Renouationi insistunt.

III.

Præteritam negligentiam compensat.

tiſſimum, quodque ea nobis egregiè chara ſit, indicant; quod Patronæ noſtræ non quàm maximè placere non poteſt. Deinde robur quoddam & facultas paratur, ſicuti alijs in rebus, quas factitamus; vt cuiuis pronum ſit officia Mariana exequi, ad quæ præſtanda mentis ardor ſubinde inſtauratus inflammat, vt illud ſacri eloquij in has Aquilas reparatas conuenire arbitrer: *Mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* reliquis interim ſub inuito onere nequicquam fatiſcentibus.

IV. Animũ erga B. Virginẽ declarat.

V. Robur futuris obſequiis addit.

Iſai 40. v. 31.

VI. Denique maximis viris eam conſuetudinem inprimis probari videmus. quorum aliqui eam inter primas rationes Congregationũ tuendarum reponũt: alij facto ipſo ſententiam ſuam exponunt. Pro comperto narrare poſſum Sereniſſimum Electorem Bauarum conſueuiſſe ſua manu deſcriptam formulam illam ſolennem ad Sodales muſſitare, eo tem-

VI. Iudicio magnorum Virorum comprobatur.

tempore, quo ipsi suas offerũnt. Serenissimus Albertũs fratris exemplũ imitatus nomine suo subscripto easdem preces Virgini repetitas dicauit edixitque Sodalibus vt quotannis illius se celebritatis admonerent, ne boni hac quoque in re Sodalis officium insciens præteriret. Alibi Episcopus Sodalis eidem actioni interesse consueuit. Simon Feurstain præpositus Cathedralis Ecclesiæ & Reuerendissimi Episcopi Brixinensis initiator, qui ante quadraginta annos primus omnium coalitæ Ingolstadiensi Sodalitati nomen dedit suum,
An. CIↃ. cum primum intellexit, ab Ingolsta-
IↃCXIX. diensibus magna celebritate restaurationem propositi institutam fuisse, laudauit factum, exemploque illorum ipse se denuo B. Virgini addicere testatus est, *Cum istis*, inquit, *piissimis Iuuenibus ego quoque, indignus Venerandæ Congregationis Sodalis ac membrum, hisce & meum votum renouatum sanctissimæ Dominæ, Patronæ nostræ, Virgini Matri esse cupio, & reno-*

renouo in conspectu Filij eius Domini nostri IESV Christi, qui & hanc sanctam Congregationem ad gloriam suā & honorē S. Matris benigne conseruare augere atq; Cælestibus donis ac benedictionibus fouere perpetuo dignetur, Amen. Hæc ille. In quadā Galliæ Academia laxior Sodalium disciplina Superiorum iussu contrahenda, & ad normam reuocanda erat. Interrogatus super eo decreto Præses Senatus vir Primarius, *Ecquid placeret? Et vero*, inquit, *perplacet; neq; me eximium habete, statuite, corrigite, vt lubet: me inter ceteros dictis audientem experiemini.* An. CIↃ. IↃ CXI.

VII. Quæ cum ita sint, nemo prudens consuetudinē tam frequentem totque locis celebratam damnabit aut contemnet. Quin potius quò nondum introducta est, vltro accersent ea Sodalitia, quæ seipsa à Socordia vindicare atq; in statu conseruare voluerint. Benè enim ille:

Ne post amissa requiras, Georg. 3.
Ante veni.

Qui verò iam dudum eandem adsciuere, vt porro teneant illustrioríque studio exaugeant, conari debēt, quò maioribus commoditatibus inde deriuatis vsi sunt.

VIII. Vt in Auenionensibus Sodalitijs cernere fuit. Nam cùm is qui minori Sodalitio præfectus est, aduerteret plerosque in virtutum officijs elanguisse; omnes acriter cohortatus est ad instaurationem voluntatis illius, quâ se primùm quisque Virgini Matri consecrasset: si qui nollent, solui sacramento placere, & ex albo Sodalium deleri. Conspirârunt Adolescentes eximij quinquaginta supra centum, & præmissa totius vitæ confessione, Kalendis Ianuarijs, solenni apparatu in oratorio formulam suæ dedicationis, suo quisque ordine ante Eucharistiæ sumptionē, magno omnium sensu, gemituque multorum nuncuparunt. Valuit illa res vehementer, non modo ad illius Sodalitij bonam disciplinam, sed a-

lia-

liarum etiam Congregationum, totiusque Gymnasij exemplum. Nam Sodalitas maior, quæ tota penè constat ex primarijs ciuibus, non verita sequi vestigia puerorum, quæ virilem ducerent ad virtutem; die ipso Pentecostes simili facto, similem inijt à Virgine gratiam. Hæc instauratio, torporem & veternum excussit omnibus, vnde noua repente, & vegeta extitit facies pietatis. Idem imitata est Congregatio Seminarij. Ita gliscente exemplo rapti sunt ad imitationem tantâ contentione, vt confessionibus excipiendis, toto semestri vix sufficerent Sacerdotes. Certè ex mille & sexcentis Scholasticis magnam partem repetita à puero peccatorum confessione animum expiarunt. Alij alias in eiusmodi renouationibus cæremonias ad rem illustrandam addiderunt.

Quo in genere palmam mihi videntur obtinere Bisuntini Sodales,

quorum exemplum huc conieci, vt vltimo loco lectum, fixius hæreret memoriæ, dignum quod in Cedro
An.CIↃ. legeretur. Hi in peruigilio Virginis
IↃCIX. Annuntiatæ in templum Societatis IESV ſupplicatum ingreſſi, coram Sichemienſis Virginis imagine, quam ſuperiore anno ſolenni pompa intulerant, vota ſua nuncuparunt, atque in amoris pignus cum funalibus candidis votiuaque tabula Cor argenteum pretio & arte viſendum depoſuerunt, ſic inſcriptum: CONGREGATIO ANNVNTIATÆ VIRGINIS HANC PVRO EX CORDE PVRAM CORDIS EFFIGIEM, PVRIORIS OBSERVANDÆ PVRITATIS ERGO, PVRISSIMÆ VIRGINI, CVIVS EX MONTIS ACVTI QVERCV, IN COLLEGIO SOCIETATIS IESV VESONTIONENSI COLITVR IMAGO MIRABILIS, VOVET, DICAT, DEDICAT. Hanc Scholaſticorum pietatem tota poſtmodũ
An.CIↃ. ciuitas alacriter imitata eſt. Sequenti
IↃCX. dein año libellum eleganter concinnatum ſingulorum Sodaliũ nomina

ac

ac promiſſa continentem, argentea theca reconditum ſuperiori muneri adiecerunt: vt quod ore ſemel nuncupatum ab ipſis foret, æterno pignore teſtificarentur.

X. O Corda! O Nomina, non tantum argento, ſed cælo inſculpenda! Quid enim? B. Virgo tales clientes non amet? non in ſinu ferat? ſanè faciet, & non ſine eorum magno bono. Nam: *Ego*, inquit, *diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, inuenient me. Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia. Melior eſt enim fructus meus auro, & lapide precioſo, & genimina mea argento electo. In vijs iuſtitiæ ambulo: in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.* Proverb. 8. v. 17. & ſeqq. Exſpectamus iſta? diligamus MARIAM; & huic amorem quibus quibus modis, noui veteresue ſint, foueamus. Illa nos ſemper amat. Eam ergo iam *amet, qui nunquam amauit, quiq; amauit* iam *amet*. Recentibus ſemper officijs perpetua beneficia remunerari par eſt.

CAPVT VIII.

DE ILLVSTRIBVS SODALIBVS.

SOdalitia quasi corpus quoddam cætu hominum, Legibus; Moribusq; vt partibus suis constare ac viuere diximus. Quæ cum pro instituto nostro prolixè satis explicauerimus: simul in quem finem, & à quibus erecta institutaq; sint, memorauerimus; Sodalitiorum naturam totam abundè descripsisse videri possumus. Quo tamen plus splendoris atq; æstimationis accedat Congregationibus, non nullos in medium producamus, qui vel generis vel dignitatis vel sanctitatis claritate sodalitates illustrarunt. Nam & in cæteris interest ex aurone an ligno quid constet. Ac tametsi res quasq; suo pondere æstimantibus *Genus, Pratura, Consulatus, atq; omnia alia huiuscemodi per se ipsa clara & magna* non sint: *sed perinde*

Sodalitatibus ab Illustribus personis additur ornamentum.

inde habeantur, vt eorum, qui ea sustinent virtus est: tamen vbi hæc illis accesserit, nescio quanto amplius arrideat & quandam quasi inde dignitatem trahat, *Sall. in Iugurth.*

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

Quasi si lumen è Chrystallo aut sectili gemma pelluceat, *amœnius emicat, quàm è cornu.* Ita omnino virtus plebeios animos supra improbam Nobilitatem euehit: In trabea tamen & inter imagines Nobilium splendidior est, quam in lacerna. Sic sodalitates suo instituto satis illustres sunt; si tamen & à genere aut aliunde decus additum fuerit, ornatiores fore, nemo inficias iuerit. *Virg. Æneid. 5.*

II. Romana Virginis Assumptæ sodalitas ex Optimatibus cõflata est: multi in ea Cardinales, complures Antistites, cæteri Illustres ac Nobiles genere versantur. Neapolitana Natæ Virgini dicata constat plerisque Nobilibus. In his Principes duo, totidem Duces, quorum alter Regiæ *Integra congregationes è primarijs constituta.*

Anno classi præerat, Marchiones septem, CIƆ.IƆ. Pontificis Maximi Nuncius, Episco-LXXXVI. pi tres numerati sunt. Multa denique sodalitia Nobiliũ passim erecta sunt.

Anno. III. Olyssiponensem illustrauit CIƆ.IƆ. Serenis. ALBERTVS Archidux Au-LXXXVI. striæ; cuius auctoritatem viri nobilitate & dignitate clarissimi secuti sunt. *Anno* Gandiensibus Sodalibus Dux ipse CIƆ.IƆ supplex adscribi postulauit ab ijs, XCIX. quibus ius est admittere; quem primores plurimi æmulati, sese cultui Mariano dediderunt. Græcij præter An.CIƆ. viros primarios & Barones aliquot, IƆCIII. quinque Episcopi & inter hos Nuncius Apostolicus nomen suum inter sodales maiores professi sunt. Serenis. quoque Archiduces conuentus eorum aliquoties adierunt, ibique optimo exemplo sacræ Synaxi accubuerunt. Minoribus primus præfuit Serenis. CAROLVS Archidux, cum tubarũ sonitu renunciatus. Ad quod munus rite agendum prouolutus ad pedes Illustrissimi Nuncij rogauit, vt sibi & nouæ cõgregationi benè precaretur.

IV. Et quoniam Sereniſ. ſemel mentio incidit, ſubiungam alios, qui ſereniſſima ſua luce ſodalibus ſplendorem decusque addiderunt. Nam præter Albertum & Carolum iam memoratos, Archiducum Græcenſium Mater cū duobus liberis (MAXIMILIANVM & LEOPOLDVM fuiſſe opinor) nomen ſuum dediſſe perhibetur. Quos anno vno præuenit FERDINANDVS, nunc Imperator Inuictiſſimus, quem tamen iam alibi anteidhac ſodalis optimi officijs perfunctum inuenio, vti ſupra relatum eſt. MAXIMILIANVS Præfecturam quoq; adminiſtrauit. Ex eadem Domo Viduæ duæ, altera MARIA Maximiliani II. Imperatoris, altera ELISABETHA Caroli IX Galliarum Regis quondam coniuges in ſodalitium ſe contulerunt.

Sereniſſimi Sodales.

An. CIↃ. IↃXCVI.

An. CIↃ. IↃXCVIII.

V. Bauariæ quoque noſtræ Soles, Radios ſuos Sodalitatibus intulerūt. Monacenſibus Sodalibus Præfectus præfuit Sereniſſimus Elector MAXIMILIANVS non noſtris encomijs, ſed

An. IↃC. IↃLXXXIV.

ſed ſuis factis maximis deſcribendus.
An. CIↃ. IↃLXXX. VII. Hic fratrem ſuum PHILIPPVM Ratisbonenſem Præſulem Sodalium numero adlegit. Vtroque Ingolſtadienſes gloriantur vel Socio vel Patrono. Ac PHILIPPVS quidē Ingolſtadienſem quoq; Sodalitatem triennio poſt adminiſtrauit: demũ Ratiſbonenſem, S. R. E. Cardinalis fouit ac defendit. Enituerunt iuxta fratres FERDINANDVS & CAROLVS veluti duo ſidera. quorum hunc terris tantum Fata oſtenderunt, cæloq; maturum citius intulerunt. Illum verò orbis hic noſter etiamnum S. R. Imperij Septem virali Epomide & Colonienſi Archiepiſcopali Mitra inſignē ſpectat & admiratur. Fratres ALBERTVS imitatus eſt, qui Ingolſtadienſi
Anno CIↃ.IↃ. XCVI. primum cætui adſcriptus, poſt tertiũ deinde annum Monacenſi præfectus
An. CIↃ. IↃXC. eſt. Habuerunt videlicet Seren. Duces domi ſuæ quod intuerentur, vt cæterarum virtutum, ita ſingularis in D. Virginem pietatis exemplum Ser. Parentem GVILIELMVM, qui iam ab ipſis

ipsis Congregationum incunabulis, non tantum suo Serenissimo nomine, sed multo amplius solida virtute eas exornauit atque incrementis auxit, Liberisque atque Generis ornandas augendasque tradidit. Illius è Serenissima Magdalena Nepos Serenissimus PHILIPPVS GVILIELMVS Comes Palatinus Princeps Neoburgicus duodecennis Sodalitati Neoburgensi Virginis Annunciatæ præfuit.

VI. Ita quod à stirpe bonum est, in veram virtutem efflorescit. Sic Serenis. quoq; Allobrogum Dux, postquam ipse iam pridem nomen suum in album Parthenianum referendum curauisset, Ferijs Conceptæ Virginis quinque ad conuentum filios adduxit, è quibus tres maiores nomina dare voluit, & maximũ natu Sodalitio patronum constituit. Nanceianam Sodalitatem primi constituerunt quinquaginta è prima Nobilitate, exemplum secuti Ser. FRANCISCI Vaudemontani, qui inter primos nomen dedit.

Duces alij.

Anno CIↃ.IↃ. LXXVIII

Anno CIↃ.IↃ. XC. VII. Præter hos, Ducem Hipponis in Brutijs, Neapoli præfecturam parthenianam gessisse: Compluti verò Ducis Gandiæ filium reperio. Dux Populēsis Neapolitanus Sodalis iam morti vicinus protestatus est, se si quid virtutis haberet, id totum è disciplina Mariana hausisse: simul Filio aduocato *Et tu*, inquit, *Sodales exora, vt te in suum consortium admittant. Hac hæreditate præstantius nihil est, quòd tibi relinquam.* Comes Fontium Gubernator Mediolanensium eorundem Sodalitati se adiunxit. Prorex item Peruuij Limensem congregationem celebrauit.

Reuerendißimi & Illustrißimi Sodales. VIII. Iam si quis Ecclesiasticos omnes recensere velit, finem nullum inueniet. Paucas adeò ciuitates, quæ & Episcopum & Sodalitatem habeant, mihi quisquam dabit, quin eam Sodalitatem Episcopus inter primos dato nomine illustrauerit. Nihilominus de innumeris, quorundam mentionem faciam. Ac de Cardinalibus principiò memini multos Romanæ

manæ adſcriptos fuiſſe Congregationi. Franciſcus Cardinalis Diechtriſtenius Brunæ in Morauia Præfecti munus geſſit. Cardinalis Forgach Archiepiſcopus Stringonienſis ſua ſe manu inſcripſit albo Sodalium Viennenſium. *Anno* CIↃ. IↃ. XCVI.

In eandem hanc longè ante conuenerant tres Legati Apoſtolici. Comotouienſibus ſocijs primus acceſſit Philippus Spinellus, Nuncius Apoſtolicus primuſq; apud eos præfecturam inijt, quam ábſens per vicarium adminiſtrauit. *Anno* CIↃ. IↃ. LXXXI.

Archiepiſcopos Moguntinum, Cameracenſem, Viennenſem, in Gallia, ſuarũ Sodalitatum ſyllabo inſcriptos inuenio. An. CIↃ. IↃCIII.

Reuer. & Illuſt. PARIS, qui nunc Salisburgenſis Præſul eſt ex Illuſtri Lodronia familia, Sodalitio Ingolſtadiẽſi olim magna cum laude præfuit. An. CIↃ. IↃCXI. An. CIↃ. IↃCIV.

IX. Inter prima decora Sodalitiorum Epiſcopos repoſui: ſed quia, vt dixi, eorum multitudo obſtat, vt cõmodè enumerari non poſſint; tantùm è Germanis pauciſſimos afferã, An. CIↃ. IↃCII.

non tam quòd illustrius quid ab his, quam alijs, accessisse credam, quam quod ostēdere velim, Episcopos Sodales fuisse, atque hi manifestius in oculos nostros incurrant. Vnius tamen exteri dictū obliuione sepelire non debeo. In Gallia Episcopus Vensiensis Congregationis Auenionensis Pręfectus fuit. Is palam testatus est, plus se gloriari, quod nomen Sodalitati inscriptū haberet, quam quod Mitrâ insignis esset. Videbat nempe sapiens Præsul sub Mitra curas atque pericula, in Sodalitate verò præsidia salutis posita esse, vt merito post hanc omnem dignitatem haberet. Ioannes Godefridus Herbipolensis & Bambergensis pro more literis Sodalitati suum amorem testatus est. Ioannes Christophorus Eustadianus & Albertus Ratisbonensis Sodalitij præfecturam suis curis adiunxerunt. HENRICVS Augustanus è nobili Knoringanorum prosapia Dilinganam minorem Sodalitatē puer vndecennis illustrare primum cæpit.

Epis-

Epiſcopus deinde Maiorem etiam Præfectus adminiſtrauit. Quantum verò non modo decoris Sodalitatibus ab hoc Antiſtite fuerit additum, ſed quanta in totam Eccleſiam atque Imperium Romanum bona ab eodem promanarint, me non ſinit nunc memorare modeſtiſſimi Principis ſubmiſſio: nec ſi vellem, multitudo grauitasque rerum permitteret. Orbe conſcio, tacere licet: vt poſteri non ignorent, melius olim alij conſignabunt, liberiusque id facient procul ab adulationis ſuſpicione ſemoti. Mihi ſufficit id memorare inter ſummas illius curas fuiſſe, optimi Sodalis officio ſatisfacere. Ioannes Iacobus Conſtantienſis, Guilielmus Baſileenſis, Vitus Adamus Friſingenſis Antiſtites inter Sodales recenſentur. Brixinenſis ex illuſtri Spauriorum familia cum abſens Oenipontanis Sodalibus additus fuiſſet, nuncium illum tanta voluptate accepit, vt eam animo co- An. CIↃ. IↃCV.

hibe-

hibere, quin in oris inusitatam hilaritatem erumperet, non potuerit. Atque hi omnes præterquam quod Ecclesiastica dignitate, virtute, genere quam maximè clari sint, Imperij insuper Principes Illustrissimi Sodalitatibus magnum lumen ac gloriam parârunt. Ex quo necessario conficitur magno in precio parthenios cœtus habendos esse, quos Tanti Principes eo loco ponunt, vt Tiaras suas ibidem collocare velint.

X. Multi denique Prælati, Abbates, Præpositi, Decani alijsque muneribus sacris conspicui, tum genere illustrissimi Marchiones, Comites, Barones, atque eruditione clarissimi neq; satis sibi in dignitate aut genere, neque in scientia præsidij esse arbitrati sunt, nisi à Sodalium consortio vim aliquam atque decus ad ea illustranda, quæ vel natura vel industria dederat, deducerent; eoque ipsi simul Sodalitijs splendorem magnũ inferrent. Sed ne longius rem producam, ac ne præterea prope infinitum

mihi

mihi laborem ſumam, omitto ſingulatim omnes recenſere. Committere tamen nequeo, quin è duarum antiquiorum Vniuerſitatum Prouinciæ Germaniæ Superioris Sodalitijs percenſeam, quos reperi in eorum Annalibus, Illuſtres Sodales inſcriptos. Inde de Congregationibus toto diffuſis orbe Lector coniecturam faciet, quot Illuſtriſſimi ſoles parthenium cælum irradiauerint.

XI. In Ingolſtadienſium itaque coetu præter R*mos.* & S*mos.* quos ſupra retuli, nominibus ſuis Congregationem Ingolſtadienſem illuſtrarunt R*mus.* & Ill*mus.* Franciſcus Guilielmus Comes à Wartenberg Ratisbonenſis, Oetingæ veteris, ac B. Mariæ Monacenſis primùm Præpoſitus, nunc Oſnabruggenſis Epiſcopus, qui olim præfecturam quoque egregiè geſſit. Item eius germani fratres Maximilianus & Ferdinandus Laurentius. Præterea Illuſt. Princeps Chriſtophorus Guſtauus Marchio Badenſis & Philippus Comes ab

Arn-

Arnberg, Aloysius & Ferdinandus Gonzagæ B. Aloysij è Fratre Nepotes item Marchiones Scipio Gonzaga & Franciscus Sfondratus, perillustres Comites Carolus Gaudentius Madrutius, Wolfgangus, Ernestus Franciscus Martinus OEtingi, Rudolphus, Henricus filius, & Georgius Guilielmus Helfenstenij, qui nuper magno Germaniæ luctu vita functi, familiam Helfensteiniam à nongentis annis illustrem, secum in tumulum intulerunt, documento post se relicto, Nihil mortale esse perpetuum, & omnem Familiam generare tandem vltimum, cum quo occidat. Ioannes Fridericus Schuuarzenbergius, Carolus Sulzius, Franciscus & Georgius Africanus de Bassompiere, Constantinus Liechtenstenius, Antonius Peronius, Dauid Brembatus, Ioannes Erdeodius, Ioannes & Nicolaus Raphaël Kostkæ Stempergenses, Christophorus Lodronius Paridis frater, Marcus Sitticus Altaëmpsius, qui nuper Ar-

chie-

chiepiſcopus Salisburgenſis fuit, è quibus toti Sodalitati præfuerunt Badenſis, Aloyſius Gonzaga, Erneſtùs & Franciſcus Martinus Octinganus, Erdeodius, Brembatus tertiùm, Lodronius, Wartenbergius.

XII. Ex his quos Ingolſtadienſem Sodalitatem exornaſſe memoraui, Dilingano primitus ſolo inſiti floruerunt Vitus Adamus Friſingenſium Antiſtes, Rudolphus & Henricus Comites Helfenſtenij. Præter hos Sodalibus ſuis gloriantur Reuerendiſſimis, Illuſtriſſimis Epiſcopis Dilinganæ Sodalitates Guilielmo Baſileenſi è Rinckijs, Ioanne Georgio Conſtantiēſi Halvvilano, Wolfgango Ratisbonenſi ex Hauſiorum familia, Ioanne Conrado Euſtadiano Gemmingenſium è ſtirpe, Sixto Wernero Praſpergio & Ioanne Truchesio Conſtantienſibus, Daniele Brixinenſi, Ioanne Leonardo Lauantino; de Henrico ſupra dictum. Numerarunt olim inter ſuos Principes Eccleſiaſticos Ioañem

Ada-

Adamum Renner & Ioannē Eucharium à Wolfurt Campidonenses Principes, Ioannem Iacobum Blarer Eluacensem.

Illustrarunt eosdem cœtus Illust. Landtgrauius Leuchtenbergicus RVDOLPHVS PHILIPPVS, qui secundùm feliciter Minoribus præfuit: & Illustr. Olycæ & Niesvvisij Princeps Ioannes Albertus Raziuillius. Post hos insigniter enituerunt inter Parthenios Sodales perillustres Comites Ioannes Christophorus in Hohenembs, Wolfgangus, Vdalricus, Ioannes Fridericus, Ioannes Oetingenses, Eitelius Fridericus, Leopoldus Fridericus, Christophorus, Carolus Hohenzollerani Comites, Frobenius & Georgius Helfensteinij, Casparus Bernardus Rechbergiacus, Hieronymus Turrianus, Georgius Ostroroegensis, Ioannes Genzinus, Fabius Viceccomes Borromæus. Taceo Suffraganeos, Abbates, Barones plurimos. Taceo minores dynastas. Sufficiant hi ad id, quod ostendere in-

tenderamus confirmandum, Sodalitia maximis viris pulcherrimè floruisse. quod ad eorundem commendationem atque æstimationem non parum ponderis apud prudentes adijciet, virtutem non tantum in palliolis sordidis, sed in purpura quoque nituisse. Illud tantum ad extremum moneo, nos in illustrium Sodalium syllabo constituendo nemini quidquam detrahere aut alijs apponere voluisse: recensuimus eo ordine, quo vel occurrerunt, vel qui scriptori cõmodus visus fuit. Ius suum cuique integrum, suus cuique ordo immotus esto In cœtibus Marianis, non in comitijs, Magna nomina collocauimus.

CAPVT IX.

DE QVIBVSDAM ILLVSTRIBVS VIRtute Sodalibus.

COmmunes quosdam sodalitatũ

mo-

mores quarto capite persecuti sum, quibus tanquam vna norma omnes vterentur. Nunc priusquam ad singula singulorum sodalium exempla libro proximo explicanda descendam, singulorum quorundam communem vitæ degendæ rationem & quosdam quasi plurium virtutũ fasciculos legendos proferam. Nam etiam sæpè flores in reticulum collecti mixta amœnitate iucundiores sunt, quàm soli: & hic quoque *vnita virtus est fortior* ad imitationem concitandam, dum legitur, non modò ab omnibus multa præclarè gesta, sed ab vno etiam plurima fuisse. Atque ad sodalitiorum laudem valebit & nobilitate generis, & virtutũ præstantia insignibus membris constitisse; eoque hoc laudabilius erit, quod prius Generis beneficium sit, posterius Sodalitati proprium, Optimos Sodales genuisse.

An. CIↃ. IↃXC. I. Florentiæ iuuenis non æquè moribus ac genere nobilis fuit. Is veteri viuendi ratione damnata, ad frugem

gem ſeſe reuocare ſtuduit. Proinde ſacra myſteria frequentare, & Sodalitati Marianæ nomen dare inter primas curas & emendationis rationes habuit: ab illis mira in mores probitas, mirus ardor veteres expiandi culpas emanauit; fune ſetoſo cilicioque corpus terere, ieiunio ſemet macerare, pro oblectamento illi fuit. parens vterque, ceterique domeſtici iuuenem obiurgare, miſcere precibus minas, lacrimas adhibere: ſed animus in cœlum affectans viam, facile mortalium obſtacula ſuperabat. Feſtis Diebus itabat in Noſocomia, ęgriſq; cò cibum ac ſolatiũ afferebat. Hyeme cum grauior añona populũ vrgeret, manticis ex humero pendétibus emendicabat quotidie panem pauperibus alendis. Hæc cũ indigna viderentur natalium nobilitate, percrebuit fama eum de poteſtate mentis exiſſe. Deniq; Pater iratus vetuit vlterius ſtipem corrogarc. Sed eius ſacerdotis, qui iuueni noxas confitẽti aures præbere ſolitus erat, operâ, pa-

rens

rens inductus est, vt porrò facultatem pio operi insistendi daret. Aliquando mendici vocibus excitus è domo, cibaria attulit; sed quod homo viribus defectus ea transmittere non posset, eundem clam domum infert, & delicatiores cibos pręparat. Sed iurgio patris euictus, humeris sublatum, in publicum valetudinarium deportat, curatumque diligenter Præfecto commendat. Neque hunc tantum, sed extra vrbem ad mille passus conquirebat lassitudine & fame prope exanimatos humerisque in xenodochium deferebat; alijs id amentiæ vitio, alijs pietatis studio fieri interpretantibus, vt quisque ex suo affectu diuina æstimare poterat. Non raro morbidorum vlcera lauit; intima quoque corporis velamenta sibi detraxit, vt nudis pauperum corporibus inijceret. Neque hic misericordia stetit. Septendecim Virgines, ne earum pudori insidiæ tenderentur; alias quatuor è lustris ereptas in cœnobiorum tuta perduxit. Hæc inter

ter opera mortem demum ſanctè oppetijt, omnium iam iudicio ſapiens, qui in id momentum tam cautè ſibi proſpexiſſet.

II. Similis ferè alteri vita fuit Valliſoleti; totum ſe in diuinarum rerum commentationem immerſerat, duriter atque inclementer ſe habere, aliorum ſaluti inuigilare; modico ipſe, ac contempto corporis cultu, miſericordia tantum ſumptuoſus erat: ea animi demiſſione ac modeſtia ſermonis, vt ſanctimoniam ſpiraret; nō formidare pericula, non vulgi ruſculos, non maleuolorum obtrectationes metuere. id tantum ſtudebat, vt opera atque pecunia ſua in quam plurimorum beneficium diuideretur. ægros ac deſertos, vt prior, conquirebat atque in noſodochium ducebat aut ferebat. Ita porro lubens ac ſedulus in hoc miniſterio erat, vt marcidas ægrorum cicatrices & putrulenta vlcera exugeret, lamberetue lingua, genu flexus, non modo ſine ſtomacho, ſed cum animi voluptate. CIↃ. IↃC. XC.

Ad præſcriptum denique Sacerdotis culparum ſuarum arbitri, vitam totam exegit, feliciterque abſoluit; legatis in eam religioſam familiã mille aureis, cui vitam omnem, ſi licuiſſet, libenter olim addixiſſet.

Anno CIↃ. IↃC. XII. III. Atrebatenſis Prætoris filius hæres vnicus maximarum facultatum è vita abijt, magnæ ſanctimoniæ indicijs editis. Ab ipſis incunabulis vitam ijs moribus traduxit, vt totã pueritiã nihil niſi ſanctum in eo notari potuerit. *Amor Caſtitatis.* Caſtitatis vixit tam ſedulus cuſtos, vt in longo difficilique malo non ſit paſſus à quoquam ſe attrectari, præterquam à matre in fomentis applicandis: cæterarum mulierum ne adſpectum quidem aut præſentiam ferebat. Ita mentem puram criminum conſeruare ſtudebat, vt paucis ante obitum diebus diligentius ſcrutanti, ecquid in leges Sodalitatis admiſiſſet, id vnum ſuccurrerit, indulgentius à ſe ſomnum excuſſum fuiſſe, qui bis iterumue in Sodalium cœtu conſidenti obrepſiſ-

repsisset: Atque vt eius culpæ venia à Socijs publicè suo nomine peteretur, obnixè rogauit. Ardenti studio ferebatur ad obsequendum tolerandumque aduersa, vt ob id dolenter quereretur neutrius virtutis sibi domi suæ copiam fieri, ea rerum abundantia domesticorumque sedulis obsequijs. Quapropter studiosissimè contendit & quidem frequenter à R. P. Rectore collegij Societatis Iesu, vti in eius domo liceret emori, nempè in palæstra obedientiæ atque patientiæ, in qua se ad Christi in cruce nudi & ad infima durissimaque obsequia abiecti exemplum exercere posset. Dein cum non obscurè aduerteret, dubijs promissis se in præsens lactari tantum, ad matrem conuersus, vehementer rogare instituit, vti se in stabulum sua conditione moribusq; dignum locum deportandum curaret, ibique vitam finire pateretur. Cum etiam istud non impetraret. *Saltem, agite* inquit, *& humi me deponite; finite vt ibi animam ex-*

Tolerantia dolorum cum animi submissione.

halem, vnde membra hac habeo: finite aliquousque accedere ad IESVM *meum supra duram trabem morientem.* Visus est sibi æquissima postulare, & in speciem promittendum fuit, ne frequentior repulsa corporis molestias augeret. Illud enim verò insitam virtutem luculentè patefecit, quod molesta primum tabe, mox cruciatibus acerrimis & vlceribus altè depressis morbus diuturnus tantum non potuerit, vt ab adolescentis ore morosam vel acerbam vocem seu notam extorqueret: Vt haud alias facilius scire possis, quanta virtute animum quis instruxerit suum, quam cum ægrotat: plerumque enim inter corporis morbos, animus suos exerit. Vnde in hac mentis æquabilitate, constantem quandam Adolescentis virtutem eamq; solidam deprehendere licuit.

Morbus virtutis explorator est.

Anno CIↃ. IↃ. X.

IV. Addam è Belgio alterum. Adolescens Antuerpianus años natus octodecim, in ipso flore succisus est. Fuit rebus diuinis commentandis inprimis addictus. Retulit pater se eum plus

plus tricies frigore rigidum & fletu madidum, cum media nocte & hyeme inter orãdum nudis genibus manibusque iunctis obdormiuisset, in lectulum deposuisse: miram quoque in eo morum maturitatem & insigne obsequendi parentibus studium obseruasse; neque tantillum molestiæ ab eo vnquam sibi creatum fuisse, nisi cum pro pauperibus importunius stipem flagitaret. Quadrieñio ante è vita quam discederet, Sabbathi die statum ieiunium in B. MARIÆ honorem sibi indixit. Adulta ætate à sacro conscientiæ tribunali reuersus matri ad pedes se abijciebat, veniamque delictorum submisse rogabat. Cum per ingrauescentem morbum à scholis abesse cogeretur, opilionũ & subulcorum doctor esse, eosque in rebus ad religionem pertinentibus scituque necessarijs instituere cœpit; vtque vellent ea rudimenta condiscere præmiolis inuitabat; vt iam inde inter suburbanos sancti pueri nomen obtinuerit. Sacro Missæ officio

Studium orandi.

quotidie astitit. Mendacium in puero vel leuissimum nemo aduertit. Sępe ille ex Magistro suo quærere institit, quodnã officiorum genus Deo quam gratissimum à se præstari posset? Vilia enim aut cõmunia opinabatur eum non decere, qui nõ communia neque vilia beneficia accepisset. Iam mirè patiens dolorum erat, & piéne an ingeniose precium eorum pulcherrime dispensabat. Diem enim hunc parẽtibus, alterum scholarum Præfecto, tertium Magistris, alios deinde alijs concedebat, vtè dolorum suorum meritis lucrum aliquod illis Deus impertiretur. Propè iam à morte aberat, cum Virgini Aspricollensi suam virginitatem voto perpetuo consecrauit. Allatæ tunc ei fortè fuerunt B. ALOISII GONZAGÆ reliquiæ, quas ille hilari ore veneratus, osculumque toto animo imprimens: *Iam verè scio*, inquit, *Beatissimum meum* ALOYSIVM *post nonum ab hoc diem, si animæ commodo fuerit, corporis integram valetu-*

Prædicit suũ è vita abitũ.

letudinem mihi à Deo impetraturum, aut morienti in vltimo periculosissimoque conflictu strenuum fore adiutorem. Dies nonus vaticinium firmauit; ipso enim die è viuis discessit sine dubio, illo comite, quem sibi adfore præcognorat.

V. Tertium ex eodem Belgio, Diui, quantum Virum! producam IVSTVM LIPSIVM eruditione clarissimum, pietate Optimum; à quo literati omnes viuendi disciplinã merito hauriant, quibus adolescentum virtus perinde atque ætas illorum immaturior videri posset. Qui Lipsium officijs Sodalium accuratè satisfecisse legerint, cognoscent neque studiorum occupationes; neque ætatis dignitatem obstare, quo minus Sodalitatum exercitationibus sese dedere debeant. De suo in Virginem Deiparam affectu, de Sodalitatis ingressu hoc ipse de se scribit: *A prima adolescentia* D I V Æ V I R G I N I S *amorem & cultum indui, eãque patronam mihi & ducem in periculis,*

Virorum & Literatorum Speculũ. Iustus Lipsius.

Virg. Hal. c. 1.

Totũ B.

 culis,

Virgini se addicit. *culis, in molestijs, in omni vitæ cursu elegi. Etiam in studijs, & si quid accuratius pangendum aut dicendum publicè esset, vbi Famæ vel Memoriæ res agebatur, precibus & votis ad eam iuisse me fateor: & felici ferè successu. Itaque vt primum licuit, in Sodalitiũ eius nomen etiam dedi, quod apud Eburones, & in hac item vrbe* (Louanij) *frequens honestumq; est: cui Patres Societatis* Iesv *præsidet diriguntque.* Cui postquam nomen dedit suum, id obnixè studuit, vt nullam eius officij partem prætermitteret. Vel semel à Congregatione abfuisse, religio illi fuisset, etiamsi è medijs quandoque mensis surgendum illi fuerit. Quoties leges Confessionem culparum præscribebant, quoties ad sacrũ Epulum vel Conuentum aduocabant, parebat ille modestissimè ac studiosissimè. Leodici orationem panegyricam de Magnæ Matris laudibus in sodalium consessu publicè recitauit. Virginis Hallensis & Sichemiensis beneficia & miracula rite te-

Conuentus etiã ob conuiuia non negligit.

Legum Partheniarum obseruãtissimus.

Verbis ac scriptis B. Virginẽ prædicat.

sta-

ſtata in lucem edidit, maleuolorumque propterea dicterijs os præbere non formidauit. Sed qui vir fuerit, in morte vel maximè claruit. *Ad extremum vitæ actum fabulæque catastrophen, tristem illam quidem, sed in quâ sunt omnia, venimus*, ait vitæ illius nobilis ſcriptor Aubertus Miræus Canonicus & Bibliothecarius Antuerpianus. Anno CIↃ.IↃCVI. XV. Cal. Apr. pridie Dominicæ Palmarum in morbum incidit, quinto poſt die X. Cal. viuere deſijt. Tempus id quod intermedium fluxit, curandæ ſaluti nauiter impendit. Nam P. Leonardo Leſſio Societ. IESV Theologo celeberrimo euocato vitæ ſuæ rationes inſpiciendas dedit; atque in ſacris ritu Chriſtiano procurandis totus fuit, cæterorum negligens. *Adeo quidem vt extremis illis diebus nec ſcriptorum à ſe editorum, nec adfectorum, nec ſtudiorum vllam omnino mentionem fecerit. Vni enim Deo vitæ mortisque arbitro tunc vacandum rectè exiſtimauit. Tanta conſtantia animi atque ala-*

cent. 5. epiſt. miſcell. epiſt. 59.

Quã piè conſtanterque mortem obierit.

eritate fuit, nihil vt uxoris charißima, nihil amicorum lacrymis ac suspirijs moueretur. Itaque nullam querimonia vocem, nec vllum repugnantis aut trepidantis animi signum edidit; vtque in vita omni, sic in morte quoque Christiani Philosophi ac Sodalis nomen insigniter tutatus est. Cum non nemo suggereret, Stoicam vti apathiam præ se ferret; *Hæc deliramenta*, inquit, *stultorum sunt* & digito in Christi cruci affixi imaginem intento: *Hæc* V E R A *est*, inquit, S A P I E N T I A. *Domine* I E S V *doce me patientiam.* Erat tunc ea hebdomas, qua patientis Christi memoriam lugubri ritu Ecclesia renouat. Vnde non semel auditus est sibi gratulari, *isto se anni tempore è vita migrare, quo Christi sanguis maximè in Ecclesia ferueret.* Cumque oblatum pro se incruentum sacrificium, interiecta Dominicæ Passionis recitatione, ex quodam Societ. I E S V Sacerdote intellexisset, *Faxit Deus*, inquit, *Pater mi, vt sanguis ille preciosus in me abundè*

Quid de Stoica philosophia moriens senserit.

unde deriuetur, qui in illa paßione effusus est. Quoties ille tunc Crucifixum sibi ad osculum figendum præberi petijt? quoties eum patientiæ Magistrum audire testatus est? Monitus vt cum Beato Stephano diceret illud: Domine Iesv accipe spiritum meum; *Dico,* inquit, *Domine, Dico cum B. Stephano: Domine Iesv accipe Spiritum meum.* addiditque nonnunquam, quanta potuit vi, oculis cœlum spectantibus: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Ita ille foras edidit, quæ animo suo iam dudum defixa occuluerat. Ea tunc illi in mentem, in verba veniebant, quæ bona mens frequenter intra se agitauerat. Cum altiùs cogitationi cuidam immersus videretur, interrogatus est à quopiam, *Ecquid animo volueret? Promissam,* inquit; *laboribus mercedem: aut an tu existimas opum aggerendarũ causâ me fecisse, quæ feci? aliam mihi mercedem proposui; illa nunc animo inhæret, mea.* Sed quam ille ab adolescentiæ

Laborum nostroũ quæ vera merces.

 ini-

Vita. Wo-uerius in assert. Lipsi: Donarij.

initijs Patronam legerat, hoc articulo oblitus eius fuerit? Cum è Societate Sacerdos opportunè inijceret: *Ecce, patrona nunc illa, quam calamo ornasti tuo, te clientem exspectat suum, & obuijs expassisq; vlnis obuiabit:* oculis manibusq; iam frigescentibus iunctis, & in altum sublatis, cum vittam prius detraxisset è capite: *Vtinā,* inquit, *Mater omnium, mihi his temporibus meis adsit. O Mater Dei, adsis famulo tuo cum tota æternitate decertanti; nec me deseras in hac hora, à qua pendet æterna animæ meæ salus.* Idque vt impetraret litanias recitandas curauit, quas & ipse, vt poterat, simul pronunciare laborabat. Cum conatui illius parcerent, & interiungerent, ad cursum reuocabat; dictitabatque se nunc experiri, quid in cultu Mariano ad benè moriendum præsidij insit. Demum cum vicies & amplius sacra nomina Iesv & Mariæ iterasset inter manus Religiosorum media nocte, anno ætatis nono & quinquagesimò leniter expirauit;

uit; & pridie Paschatis pompa mediocri, vti pro sua modestia iusserat, elatus est. De cuius ego encomijs nō plura dissero, quam cum MORIBVS ANTIQVIS, quod eius symbolum fuit, id est, integerrimis vixisse.

Sacerdos sodalis.

VI. Habent literati quem sequātur; dabo etiam Sacerdotibus exemplar suum, sed paucioribus descriptum. Ludouicus Gusmanus Sacerdos Natalium splendore & virtute clarissimus iam inde à prima pueritia altas in animo suo radices agere virtutem siuit. In altaris hostia imolanda horam vnam ponebat; sciebat enim inuenire, quid illo tempore, illo animi æstu, illo cum hospite tractaret. Neque eum cuiusquam auctoritas, ne Philippi quidem Hispaniarum Regis præsentia quicquam permouit, vt festinaret. Ad sacrificium prius ille non accedebat, quam flexis genibus alterius Sacerdotis sacrum audiuisset. Re diuina peracta in moram longiorem gratiarum actionem ducebat. Verè Magnus æstimator maximi

Quanta cura sacrificium peragi debeat.

ximi thesauri, quem Deus mortalibus donauit; in quo tractando quoduis vel fastidium vel incuriam sine magno incommodo sciebat esse non posse. Sodalitium Misericordiæ quasi suis humeris à ruina sustentauit. Nam cum ex primarijs permultos aggregasset, author omnibus fuit, vt se sacris meditationibus ad illa Misericordiæ opera inflammarent; atque ipse primus se eo pietatis studio exercuit. Inde maior in egentes misericordia profluere cœpit. Ægrotorum lectos sternebat; ac si quis obijsset pauperum, feretrum à funere elato per vias publicas pius vespillo domum reportabat. Domi se parcè ac duriter habebat, vt sumptus in pauperes suppeterent. Castitatem licet Regis aulicus diligentissimè conseruauit, Sirenes obturata aure sæpe prætemauigans. Denique omnibus numeris absolutam vitam exegit; vt in quorum templum illatus est, merito gratulati sibi sint, quod ipsi corpus Sancti Viri condidissent.

VII. Quis

VII. Quis credat Laniſtam melioris notæ vitam agere potuiſſe? Et hoc Sodalitati in acceptis referendum eſt, quod ſuorum mores paullatim ad frugem corrigit; vt eam nemo diu frequentet, quin aut malus aut Sodalis eſſe deſinat. Neapoli igitur Laniſta quiſpiam gladiatoria licentia vitam aliquandiu agitauerat. Hic inter Sodales adlectus, incredibile dictu eſt, quam ſui diſſimilis euaſerit, quam magnos ad ſanctitatem progreſſus fecerit. Ex multis pauca perſtringam. Setosâ tunicula aſſiduam corpori moleſtiam afferebat: flagris aliquoties per hebdomadem cruento modo in ſe ſæuiebat: ternas quotidie horas inter precandum diuinaque meditanda abſumebat. Erudiebat interea Nobilitatem arte ſua, pecuniamque, quam inde faciebat, in eos tacitè diſpenſabat, quos verecunda paupertas durè miſereq; habebat. Conuitijs contumelijſq; laceſſitus neque animo moleſtiam capiebat, neque vultu triſti-

Sanctus quidam Laniſta.

An. CIↃ. IↃXCIII.

Pecuniam ex arte ſua conquiſitâ pauperibus erogat.

tristitiam, aut verbo indignationem aliquam præseferebat; sed lætitia incedere videbatur. Nullis imbribus aut tempestatibus deterrebatur, quo minus sacras ædes obiret. Diuorum omnium, qui ei Kalendis cuiusque mensis sortitò obtigerant septennio ipso, quod inter Sodales traduxit, memoriam & clientelam diligentissimè custodiebat. Ad extremum cum in morbum incidisset, nunquam à mulieribus, quæ ægrotanti præsto erant attingi se passus est. Orantibus Deum domesticis, vti sanum illum redderet. *Bonum potius*, inquit. Quādiu cū morbo & morte luctatus est, cum Deo sanctissimaque eius parente, quam velut præsentem alloquebatur, identidem ingenti animi sensu sermocinabatur. Funus eius à Sodalibus maximo honore celebratū: cilicium summis omnium studijs expetitum est, vt inter sancti hominis reliquias reponeretur.

VIII. Atque ex his liquet in omni ferè hominum statu repertos esse ali-

aliquos, quos Sodalitiorum exercitationes ad vitam insigniorem perduxerint. Neque Religiosorum exempla deforent, si adferre vellem. Sed quoniam eã Religio sibi tanquã à se profecta vendicat, in medium adducere abstineo. Veruntamen P. IACOBI RHEM è Societate IESV Sacerdotis, qui Ingolstadij Colloquiũ, de quo infra, & Dilingæ primus omnium Sodalitatem B. Virginis instituit atque rexit, virtutem vnam alteramué tacitus prꝫterire non possum. Vixit enim in oculis multorum Sodalium, annis ferè quinquaginta cõuictorum contubernijs præfectus, vt neque ille, quàm maximè vellet, arbitros virtutum suarum euitare potuerit; neq; nos deceat tanti viri sanctimoniam inuido silentio ab aliorũ notitia remouere. Quæ itaque Sodales vitæ eius obseruatores retulerũt, talia fermè sunt. Diuinis rebus mens illius vsque attinebatur, vt penitùs aliarum rerum oblitus videretur: oculos mirè continebat, vt neminem nos-

Colloquij Mariani Ingolstadiensis Fundator.

Eius religiosi ardores.

noſceret, niſi quem nouiſſe eius intererat; neq; tantum ſibi otij ab rebus ſacris eſſe putabat, aliena vt curaret, eaque quæ ad ſe nihil attinerent. Diuino gaudio lachrymabat ſæpè, vt vdis oculis plerumq; eſſe videretur; & inter corporis refectionem è piarum rerum, præſertim Martyrologij recitatione & lachrymis & animi ſuauitatibus perfundebatur. Iam vero cum diuina myſteria tractaret, totus illis imbribus inundabat; vt verbis interceptis diu ſubinde ſiſtere cogeretur. Fertur viros Religioſos teſtatos fuiſſe, non ſemel à ſe viſum eſſe, cum ſpiritu agitante ſupra terram ſuſpenſus pendulus emineret. B. MARIÆ Virginis inſignis cultor fuit. hinc identidem verba Angeli ſalutantis, AVE MARIA, in ore reuoluere audiebatur. Vt eundem illum Virginis amorem in plurium pectora infundere valeret, pijs primùm allocutionibus eius colendæ ſtimulos adoleſcentibus addebat. Deinde quib⁹ locis morabatur, vt Sodali-

Cultus B. Virginis.

dalitium erigeret, operam dabat. Dilingani certè nostri Fundatore P. Iacobo Rhem gloriantur; & beatos se prædicant, quòd septennio tanti viri disciplina excoli potuerint. Deinde eodem auctore año 1594. in conuictu S. Ignatij Martyris cœptum est inter Sodales nouum Collegium vsurpari, ad quod adleguntur, qui se student præ cæteris Mariano cultui deuouere. In more illis est sæpius ad decantandas Deiparæ laudes conuenire, hortari inter se & ad maius virtutis studium impellere, commentari è sacris quidpiam, animũ quot hebdomadis expiare. Si quispiam lethalem noxam admisit, legibus eorum, sicuti profanus arcetur: suomet ipse iudicio exclusus præsens absens est, cæteris inscijs. ita ad idem consortium tacitè eidem reditus patet, cum culpam eluit certoque carmine Virginẽ MARIS STELLAM salutat. Hoc in eum finem sic statutum iudico, ne vnius flagitium cætui reliquo fraudi foret. Qui enim separatim

Colloquij Mariani exordiũ.

Mores.

Vnius Scelus Communitati noxiũ est.

ratim ab alijs vitam agit, is soli sibi peccando malum arcessit; atqui cõmunitatis iure viuit, culpam suam reliquorum damnum facit; vti nullum membrum sine corporis malo ægrũ est. Quo magis Sodalibus omni studio prouidendum est, vt scelerum puri, corporis totius incolumitatem atque nitorem tueantur. Anno CIↃ. IↃCXI. Paulus V. pontifex Maximus nouum hoc Sodalitium auctoritate sua firmauit gratijsque impertijt. Quod illi beneficium iam inde veteres eius Sodales Franciscus Guilielmus Comes à Wartenberg & Leo Menzelius, vterque nunc meritis atque honoribus suis clarissimi, dum studiorum causa Romæ agerent, coram à Sumo Pontifice impetrârunt.

Confirmatio.

Sed ad Iacobum nostrum nunc redeamus. Incesserat eum aliquando cupiditas cognoscendi, ecquo maximè præconio oblectaretur Beata Virgo? Cum igitur ille cœtus pro more Encomia Magnæ Matris Litanijs Lauretanis descripta caneret, illudq; inter

Quodnã Encomium maximè placeat B. Virgini & Iu-

inter alia, MATER ADMIRABILIS, repente DEIPARA se ei in clara luce spectandam obtulit, satis indicans præconium illud palmarium esse, quo fatemur supra omne præconiũ VIRGINIS DEIPARÆ laudes excellere, nec quidquam ea dignum afferri posse. Prouolat ille mox in mediũ ex angulo, quem postremum tenere solitus erat, atque vt omnes tertiùm ingeminent illa verba: MATER ADMIRABILIS, imperat. Id enim encomium Patronæ suæ præ reliquis esse gratissimum: scire se cœtum hunc eidem cordi esse. Ex hoc diuinorum studio enata est illa mentis serenitas & comitas; nulla illum iniuria, nulla procacium subinde hominum petulantia vel contumacia à quieto mẽtis gradu deijciebat; facile perferre omnes, ac pati; cum quibus erat cunque vnâ, ijs sese dedere, eorum obsequi Studijs, sollicitè ægris adesse, pertinaciter nemini aduersus, nemini se præponens, commodis omnium seruire, charus ac venerandus iuxta omnibus

de id dicerit.

Vita eum alijs acta.

nibus; cultu neglecto, honoris contemptor, cibi parcus, linguæ continens, sibi durus, vitâ ad vnguem perfectâ, vniuersis optimo virtutum exemplo præire. Hæc illi vita erat, quantum oculis cerni poterat. cæterum interiores virtutes & Religiosis proprias non æquè nobis promptum est describere, ferè arbitris eius conscientiæ aut professionis eiusdem socijs cognitas, qui forsitan & illas & alia vberius olim in lucem afferent. Sed neque hoc instituimus agere, vt vitam eius omnem produceremus, delibare tantum inde aliquid quasi in gustum voluimus: vt alibi quoque sentiretur, quanto viro Ingolstadienses Sodales gloriarētur. Imo etiam, quo illi magis sciant felicitatem nostram, Superis in precio fuit; quod quædam supra naturam facta aut cognita satis patefaciunt. Multi sunt qui illi sanitatē recuperatam in acceptis referunt. E multis Sodalis vnus Illustri Sulziorum familia oriundus pro argumento sit.

Ægris sanitatē reddit.

Hic

Hic apostemate iam pro deposito iacebat, malo Medicorum artes superante. Fecit pro illo Iacobus noster, lacrymis in ea præsertim Euangelij parte, quæ de Lazaro rediuiuo tunc legebatur, largiter perfusus: sacra dein Eucharistia adolescentulum primo impertijt. Vix hæc egerat, cum subito Pater lætus ad Regentem conuictus accurrit, metumque ac mærorem deponere iubet, *Neque enim*, inquit, *Carolus* (hoc nomine nuncupabatur) *nunc morietur*. Ita res euenit; nam paulo post conualuit. Multum in eo præsidij repositum requirebant animæ flammis purgantibus addictæ; quæ frequenter ad eius cubiculum commeabant, & leni argutóue pulsu, vt quamque necessitas vrgebat, suppetias ab illo efflagitabant. Et passim fertur, è vicino cœmeterio subinde auditas fuisse, P. Iacobi opem querulo vlulatu poscere. In Hispaniam quidã è Sodalibus dudum abierat, cum in reliquorum consessu repente omnibus

Defunctis vitã opem affert.

bus edicit, vt pro Carolo à Schrottenbach (id iuueni nomen erat) defuncto consueta vota recitarent. longè post cognitum est, eodem die Carolum in Hispania mortem oppetiisse: an ex ipsomet Carolo, an diuinitus cognorit incertum est: posterius plures crediderunt. Nam absentium futurarumque rerum gnarum fuisse apud omnes in confesso est. Anni decimi noni pericula, vicesimi victoriam illustrem ab eo sibi prædicta fuisse Canonicus quidam, antequam euenirent, literis testatus est. Horum temporum bella, atque inde contra hostium in Catholicorum ruinam concepta vota consecutam Romanæ Religionis in dies efflorescentem fortunam, vates ipse præcinuit. Legi egomet literas P. Ioannis Agricolæ, qui laboribus Castrensibus apud Illustrissimum Tillium fractus vitam finijt, quibus de P. Iacobi vaticinio meminit. Nam cum ante annos fermè septendecim eius in Conuictu S. Ignatij in Religiosorum contubernij mode-

Futura absêtiaque diuinitus cognoscit ac prædicit.

moderandis collega esset, & supra mensem Historia sacra Guilielmi Tirij legeretur aduertit P. Ioannes tota cæna lacrymantem P. Iacobum, miratus, causam ex eo post mensas sublatas poposcit. Cui ille: *Nullus animum meum, mi Pater,* inquit, *mœror cruciat; gaudio lacrymaui. Audistin' rem Catholicã bellis Syriacis mirè auctam? Vide: non multi labentur anni, cum cruentis bellis Germani inter se certabunt, euentu optimo. incredibiliter enim inde Res Catholicorum excrescent.* Forsitan non abs re erit, si annectam memoriæ conseruandæ causâ, quod annis ab hinc duodecim Ingolstadij ex eodem Patre Iacobo coram audiui. Cum enim è Nostris aliqui in Indias missi fuissent, atque alij vt mitterentur vehementer instarent, quid de illa re P. Iacobus sentiret cognoscere studui, & è patre optimo familiariter sciscitatus sum. *Res,* inquit, *ista laudatissima quidem illa est: sed vt verè dicam, quod sentio, mihi nunc minimè probatur.* Quid ita,

inquam. *Nos extra prouinciam nostram, inquit, operas dimittimus, & intra annos viginti tanta ad Catholicam Religionem fiet accessio, tot omnium locorum atque hominum fient conuersiones, vt cum Sacerdotes seculares defuerint, nec nostri quidem numero suffecturi sint, qui reducendis in ouile Christi oniculis adhiberi possint.* Quæ interim euenêre, & quæ penuria operarum in præsenti est, vera locutum P. Iacobum testantur: atque quæ alia felicissima prædixit, pariter sic euentura certam spem faciunt. plura enim sunt, quæ ex alijs audiui. Sed nolumus lætitiam antecapere. Ex euentis spem interea tranquillitatis futuræ fouebimus. His ille rebus magnam apud omnes cuiusque status, ordinis, atque ætatis homines opinionem sanctitatis sibi peperit, vt ne pessimi quidem ei malè velle possent; boni verò fortunatos se iudicarent, si cum viro colloquendi, & post mortem de exuuijs eius aliquid nanciscendi facultatem impetrauis-

Eius apud omnes auctoritas.

uiſſent. Plura de hoc P. Ioan. Burgheſius in Societ. IESV Deiparæ Virginis c. 22. vbi tamen librarij vitio Rheu perperam vocatur. Hæc compendio adferre volui de innumeris, quæ Vir æterna memoria digniſſimus patrauit, vt Sodales eius olim diſciplinâ exculti habeant, vnde amiſſi Magiſtri ac Patris ſanctiſſimi deſiderium leuius perferant: & ne memoria intercidat. *Obijt An. CIƆ.IƆC. XVIII. IV. Idus Octob.*

IX. Adiungam optimo parenti filium Generoſum Stanislaum Zborouskium de Rydſiani Polonum; qui morientem P. Iacobum quarto menſe poſtſecutus eſt, cuius Colloquij alumnus fuerat. Natus is eſt illuſtri inter ſuos familia & locuplete. Ingenio fuit acerrimo, & incredibili diſciplinarum liberalium deſiderio ſtudioque iuxta flagrabat: vt magnorum virorum iudicio longè poſt ſe relicturus omnes alios videretur. Modeſtiâ morum animique ea vixit ſubmiſſione, vt eum omnes in oculis, atque animis ferrent. Amabat *CIƆ. IƆC. XIX.*

ille familiaritatem inire cum ijs, quos fortuna inferior à reliquorum consuetudine reijciebat. Veſtitu obſoletiore libenter vtebatur, & à Confeſſario ſæpe adigi debuit, vt precioſiores veſtes pro familiæ honore tuendo ſubinde indueret. Quin materiam præſtantiſſimam ex Italia à Domino parente tranſmiſſam templo cuipiam oblaturus fuiſſet, ni illi, quorum imperio regebatur, aliter cenſuiſſent. In Colloquium à P. Iacobo inſtitutum & ipſe adlegi voluit. Sed cum in Tirocinio cuiuſdam Legis gratia ei facta fuiſſet; non modò ea vti noluit, ſed nec gratam ſibi fuiſſe proteſtatus eſt, ne alij eius exemplo etiam ſibi gratiam fieri vellent. Orandi ſtudio impensè vacare conſcientiæque puritati ſtudere ſolitabat, vt ſingulis hebdomadibus culpas certò expiaret. Vnde factum, vt pridie quam è vita diſcederet, monitus vt ſi quid animum ſollicitum haberet, foras proderet, vix leuiculam culpam repererit. Corporis edomādi

ſtudioſus fuit, vt ferè nihil in eo genere ab alijs gereretur, cui non ſe ſocium præberet: ac multo iam tempore ſingulis Sabbathis à cæna abſtinebat. Denique cum & genus & opes & præclara indoles in maximam ſpē eum ducerent, ille magnanimo Iuuene digniſſimum facinus aggreſſus eſt, cæpitque ſupra humana ire: iamque in eo erat, vt abdicatis ijs, quæ nos imbelles animæ miramur, Deo ſe penitus in Religione emanciparet, modò Domini parentis, qui exſpectabatur, conſenſus acceſſiſſet; & ecce Deo Optimo viſum eſt, eum potius ad ſtipendia accipienda, quàm facienda euocare. magno itaque ſui deſiderio relicto variolis ſuffocatus è vita abijt. cuius vita morsque præter alia id confecit, vt Illuſtriſſimæ familiæ adoleſcens illud veſtigium cæleſtis itineris inſiſteret, quo Stanislaum decurrere voluiſſe cognouerat, eo precipuè ſtimulo adactus, quod Mortalium res adeò curtas breuesq; cerneret, vt flores quoque iuuentutis

diurni ferè morbi æſtu flacceſcerent atque deciderent.

X. Enimuerò ne Dilingani Sodales iniuriam ſibi factam querantur, ſi locorum aliorum Sodales nobilioris virtutis quaſi compendium exhibeam, ſuos, quibus abundant, prætercam; duos illuſtres ſubijciam, ſed compendio. Alter eſt Henricus Helfenſteinius Rudolphi filius, ſpes tantæ familiæ tam breui ſucciſa. Erat is Iuuenis forma corporis heroica, indole imperio digna, moribus integerrimis. Cuius virtutes Thalamus Funebris Dilingæ poſt acerbã Henrici mortem ingenioſo poëmate, ſed nihil ex vano, nihil ſupra verum deſcripſit. Plura tamen poſt opuſculi illius ſcriptionem cognita ſunt. Ex omnib⁹ pauca delibabo. Nec ingratum Lectori futurum arbitror, ſi breuia quædam Epigrammata ex eodem Thalamo huc transtulero, quæ Virtutum illius ſummam quandam exhibent, prout ab illis accepimus, qui vitæ illius arbitri perpetui atque directo-

rectores fuerunt. prædicantur verò præ alijs in Henrico insignis quidam in Virginem Deiparam amor, & quæ inde consequi solet Virginei floris diligens perpetuaq́ue custodia: aduersum parentes præceptoresq́; modesta obseruantia, erga tenuis fortunæ homines commiseratio atque succurrendi promptitudo. Legibus Sodalitij parebat accuratè, & vt suum in Virginem Matrem testaretur affectũ, Chirographo suo formulam, qua se mancipio Virgini dedit, iterum iterumq́; ad renouandum propositum obtulit. Poëta noster hoc Epigrammate Religionem Henrici commendauit:

HENRICO
RELIGIOSO

IN DEVM ET CÆLITES

AC

MAGNAM VIRGINEM
ISTAM
MATRIS SEMPER LOCO
HABVIT;
ET PRÆ ALTERA MATRE,
QVAM RIDENS DIMISIT.

VT

CVM ILLA CITIVS
CVM VTRAQVE ÆTERNVM
ESSET.

Iam integritatem castitatis frontis oculorumque modestissimus vigor præseferebant, *& emicabat illa animi Innocentia ipso habitu corporis: nec occurrit cuiquam sine lacrymis ea species oris, ea morum totiusq; Indolis elegantia & venustas, ut iure de te etiam dici posset, naturam ipsam magnis mẽtibus digna corporum Domicilia metari,*

tari, ait Thalamus & Innocentiæ Henricianæ ſic accinit:

HENRICO
CONTINENTI:
ITA TESTATVR
QVISQVIS HENRICVM
NOVIT.
TESTATVRQVE IPSA
MORS,
QVÆ HENRICVM VIRGINEM
INVENIT.
ET
PARCERE FORTE VOLVIT
NE NOBILIS FLOSCVLVS
PERIRET;
IMO PARCERE NON VOLVIT,
NE FORTE NOBILIS FLOS-
CVLVS PERIRET.

Atque hæc opinio plerorunque animis inſita fuit. Moderator vitæ illius non ſemel teſtatus eſt arbitrari ſe Henricum non modo integrum, ſed neſcire etiam ea, quæ perniciosè ſciuntur. Gallias ille perluſtrauit, vt

videret quæ illuſtrem adoleſcentem deceret noſſe; illecebras malorum fœminarum conſortia, choreaſque ſedulo vitabat, malebatq; inurbanior nonnullis videri, quam propius ſcopulum nauim ſuam regere. Ab Excellentiſſimo Domino parente miſſus ad Illuſtriſſimi ſanguinis Virginẽ ſalutandam, ægrè obtemperauit, ceteroquin ad nutũ paratiſſimus. Subinde ex eodem percontatus eſt idem Pater, *Ecquando vellet domum ducere coniugem, vnde familiæ ſuæ poſteritatem ſperare poſſet?* erubuit ſemper ad has tales interrogationes &: *Deus*, inquiebat, *nouit an id aliquando futurum ſit: nunc hæ cogitationes mentem meam certè non ſollicitant.* Compertum eſt illum quotidie Deum precari ſolitum, vt præter ſe aliam maſculam prolem Deus parentibus largiretur, vt ipſe, quod animo magnum deſtinaret, liberius exequi poſſet. Ita maior quædam virtus Henrici animo ſedebat, quæ tantas familiæ opes ipſamq; adeo familiæ propagandæ ſpẽ poſt-

posthaberet æternis. Et fauit Deus optimi Iuuenis desiderio: prius enim è vita abijt, quam à proposito tuendæ Virginitatis; maluitque faces funebres accendi lessumque cantari, quàm Hymæneum audire spectareq; tædas coniugales. Ac sanè dignum admiratione est, quod perillustris Domina Mater ipsius tunc edixit, cùm illi tristissimus nuncius de tam chari capitis Henrici sui iactura allatus est. Nam toto illo tempore, quod inter mortem Henrici nunciumque intercessit, identidem illi in mentem veniebat, & quasi occini videbatur versus ille: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Nesciebat illa quidem quorsum dicti illius memoria toties occurreret; sed filij tam casti morte audita, non dubitauit Deum iam tùm voluisse pectus suum consolatione quadam præmunire, ne acerbius sentiret, qui appropinquabat, nuncium amissi Filij, vt quæ crederet Henricum Deum videre, cuius cor mundissimum multis ar-

NI A SVPREMO DICTATORE
HABVISSET.

Magnanimitatem vero ſic prædicat:

HENRICO
MAGNANIMO,
ET IMPERTERRITO, ETIAM
AD FVNESTÆ MORTIS CONSPECTVM:
QVOD TIMERET NON HABVIT;
HABVIT QVOD APPROBARET,
VITÆ TAM INTEGRE
ANTEACTÆ
CONSCIENTIAM.

Inopum miſericordia tenerrimè tangebatur, & vt poterat opem ferebat. quicquid puerulo in peculio erat, id è feneſtris proſpectans pauperibus aduocatis, ſi quando parentes domo abfuiſſent, impertiebatur, vt merito potuerit illi inſcribi:

HENRICO
PIO
IN OMNES;
ORBOS, PAVPERES, MISEROS;
ATQVE HINC PRIMO
VOTVM PVBLICVM
QVO HVNC SIBI NOVVM
HERVM DESTINABANT.
DEINDE
LVCTVS PVBLICVS,
PLORANTE PROVINCIA
IN HENRICO VIRGINE,
EXTINCTVM, TAMEN
TOT PAVPERVM PARENTEM.

Omitto alia, de morte paucula ſubiungo. Romæ febri ardente ſublatus eſt Henricus; altero menſe poſtquam vrbem illam attigit, ritè Sacramentis omnibus procuratus, impauidus, rerum humanarum ſatur atq; faſtidiens. Et certè tametſi præter opinion[illegible] aliorum omniũ mortuus fuerit, ipſe tamen mortem inſtantem ante oculos ſemper habuiſſe viſus eſt. Id frequens de ea memoria meditatio-

CIↃ.IↃC. XXVII.

tatioque indicat. poſtquam ex Academijs luſtratis domum redijt hoc ipſo anno vltimo die natali Domini parentis ei natalitium munus carmẽ de Morte atque Iudicio tremendo, quod tùm elaborauerat, dedicauit: quæ res magnam in patris animum curarum ac cogitationum ſeriem ingeſſit. Toto illo itinere, quod illi vltimum fuit, frequentiſſimè etiam inter prandendum lectitabat, quæ P. Raderus & P. Nieſſius de quatuor Nouiſſimis panxerunt. atque ita harum rerum frequenti agitatione ſeſe ad moriendum præparabat. Neque omittendum eſt, quod parentes poſtea narrarunt ſibi accidiſſe. Quo die Henricus domo paterna profectus eſt, parentes eum in Templum quoddam AVE MARIA cognominatum deduxerunt, multiſque precibus Deo Deiparæque Virgini tradiderunt. Inde ipſo digreſſo, ipſi in aliam ſacram ædem conceſſerunt, vbi veſpertinæ preces tùm canendæ erant. Hic cum vterque ante

Chri-

Christi Domini in crucem acti effigiem in genua profusi feruentius precarentur, & iterum iterumq; suum Henricum Christo commendarent, vterque seorsim sibi videre visus, quasi Christus identidem aliam ex alia formam indueret, ac tandem vni suo filio vnicè dilecto ex æquo similis iam iam animam ageret. quæ species animo oblata sæpius ab vtroque repudiata sæpius redijt, intimaq; penetralia subijt miro affectu. proposuerant inter se aliquoties visa narrare; sed nescio quo casu, nunquā id fecerunt, quàm cum de morte Henrici nunciatum est. Fuit hoc credo Solatium diuinitus oblatum, vt iam tum cognoscerent filium in Christo moriturum, ac proinde beatum futurum iuxta illud: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Hæc de Henrico Helfensteinio memorare pauca volui; Iuuene & vita longiore dignissimo, & æterna memoria celebrando, & quod ille etiam cecinit:

Apoc. 14. v. 13.

For-

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt. Virg. l. 9. Æneid.
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo,
Dum domus AEneæ Capitoli immobile Saxum
Accolet, Imperiumq; Pater Romanus habebit.

Sic voueo vt hoc etiam in libello memoria vigeat Henrici, & Helfensteinia familia, quæ Sodalitia multa exornauit, nuper extincta, hic quoq; vitam longiorem, si opusculum viuat, habeat.

XI. Alter quem ex Dilingana Congregatione ad imitationem producere constitui est Illustris Iacobus Fuxius Baro à Fuxberg & Iausẽberg adolescens non amplius annos quatuordecim natus, ea morum maturitate atque virtute, vt viros æquaret. Mira suauitas omnium animos ad se pellexerat, vt funus illius vberrimis permulti lacrymis deplorarint. Vitæ integritas ita in animos singulorum influxerat, vt eum non modo vulgo ama-

amarent, sed singulari etiam veneratione velut Magistrum virtutum colerent. Solenne enim illi fuit, si quos liberius insolescere videret suauiter corrigere, ac in iuuenum circulis cōciones piasque exhortationes in memoriam reuocare: in sermone familiari cælestia loqui & nil nisi Deum, MARIAMq; circumferre, vsq; adeò, vt percontando vel Religiosos exhauriret: pudicitiam tenerrimè colebat; vt iam lethaliter decumbens ægrè chirurgos ad officium admiserit. Quem ille florem vt seruaret securius, ieiunijs flagrisque corpus affligebat suum. Vestium luxum magnopere detestabatur; adeò vt in nouo amictu parando diligenter cauerit, ne è leuioris coloris materia pararetur. Vbi mortem proximè aberat, & acutissimi viscerum dolores summos eiulatus exprimebant, nonnisi sacrosancta IESV & MARIÆ nomina ingeminauit, atque in his vitam quoque posuit, citius quidem quam volebamus, feliciter tamen. cuius dedesi-

ſiderium Sodales & dialogis & orationibus encomiaſticis conſolati ſunt; eiusque memoria ad virtutem multis calcar fuit.

XII. Finem capiti huic imponã, ſi vnius adhuc non tam vitam, quam beatum ad ſuperos abitum perſcripſero. Is eſt P. Egmondus Augerius in Collegio Comenſi vita functus. Quo tempore animam agebat, piæ cuipiam perſonæ oblata eſt læta quædam de ipſo ſpecies. Videbatur enim videre ſibi Angelos circumſiſtentes lectulum patris, moxque abeuntem animam in cœlum deducere ingenti lætitia: pulcherrimo puerorum Sodalitio, quale ipſe inſtituerat olim in Gallia, celebrem pompam proſequente. Credo id illos oſtendere voluiſſe, ad cœlum Sodalitatis tramite ſe decurriſſe; qui eodem tendere cogitarent, commodiorem ſibi viam munire non poſſe, quam ſi Sodalitatis bonum procurarent.

Merces eorum, qui Sodalitia inſtituunt. Anno CIↃ. IↃ. XCI.

CAPVT

CAPVT X.

TRIVM ADOLESCENTVM MIRA VIRTVS.

LIbro huic primo nobilem coronidem imponam, trium Adolescentum Sodalium ac penè puerorũ vitam epitome comprehensam.

I. Alexander Bertius Florentinus decimo & quinto año vitam sanctissimè actam absoluit. Is patri Nicolao Bertio posthumus, matris Violantæ religiosissimæ fœminæ cura ad pietatem omnem formatus est. Optabat serio Violanta, vt diuino olim cultui adolesceret filius, atque in religiosa quapiam familia Deo penitus manciparetur. Probauit tam bonam matris mentem Deipara, mouitque interprete integerrima fœmina Violãtam, vti ipsa pro se IESVM toto amore complecteretur, Alexandri secura: hunc suum esse, pro quo IESVM Violanta à se haberet. Visa est dein sæpius

Bona parentum vota prosunt filijs.

Bea-

Beata Virgo Alexandro dormienti assistere, & ore ad hilaritatem composito illum identidem floribus aspergere. Cuius ipse indulgentiæ inscius, sentiebat nihilominus liquidissimis voluptatibus animum suum perfundi. Quam primum potuit puerile silentium in eas voces, IESVMARIA soluit; manumque ex consilio ad imprimendum fronti crucis signū mouere cœpit. Vix dum quinquenis studium ac voluptas erat, noctu diuque acerbos Christi patientis cruciatus animo secum volutare & suauissimè de ijs sermocinari. Septimo anno de corpore coërcendo consilia agitare cœpit. Principio igitur ciliciolum quoddam è crassiore filo factū induit; vbi id minus ac vellet molestum sensit, egit cum Confessario, vt hirto vti liceret. Vbi sunt qui lasciuienti corpori inclementius facere perhorrescunt? à pueris robur animi petant, quod illis addere debuissent. Pueritiam sic exegit, vt morum maturitas omnes illius ætatis ineptias non

B. Virginis erga eum beneuolentia.

Alexandri pueritia.

Rebus piis, duris, festis transacta.

non modo temperaret, ſed omnino ne quidem admitteret: mira interim aduerſum omnes facilitas, atque ad parendum alacritas ei inerat.

Religionis propoſitum concepit.

II. Nono deinde anno iam ille maiores pectore cogit[illegible]ones ſuſcipere, religionemq; [illegible]ari incepit. In quam eo [illegible] non puerili impetu, ſed maturo propoſito ſe certo recepiſſet, niſi quorum intererat auctoritas obſtitiſſet. Atque vt *Cupienti animo nihil ſatis feſtinatur* dici non poteſt, quam vberibus lacrymis moram illam eluſamque profectionem defleuerit. Conſtitit idem illi deinceps animus, & iam in eo erat, vt ad portum religionis nauim appelleret, cum velificatione mutata Æternæ ſtationi vitam aduertere iuſſus eſt.

Diuorū conſortio perfruitur.

III. Decimum poſthæc annum agebat, quo ille mirè diuinarum rerum & vſu & fructu recreatus eſt. Sæpè enim numero Beatorum choris ſibi intereſſe, aut duos inter Angelos conſiſtere videbatur, qui eam ſibi à Deipara curam demandatam

eſſe

esse profitebantur, eius vt integritatem seruarent: non raro Beatissima Virgo blandis illum modis excipiebat. Narrabat hæc adolescens candidissimus, & ab illis adhuc delicijs madidus facile narrationi fidem adstruebat. Confirmabat id quod de Angelis dictum est, fœmina illa, de qua paulo ante mentionem feci: addebat, sæpius à se visam esse Deiparam Alexandro studenti assistentem librorumq; pagellas euoluentem. Ipse quoque ore supra modum hilari matri fassus est, cum graui febris æstu vteretur, animo suo gratissimam auram afflari. Cum illa causam quæreret: Video inquit, Matrem Dei prope lectum adstare; ab illa mihi hæc morbi temperatio est. Et adstitisse & flosculos æstuanti se admouisse Virgo Infirmorum Salus post affirmauit illi fœminæ, quam diuinorum beneficiorum in Alexandrum collatorum consciam atque interpretem Deus esse voluit.

B. Virgo studenti & ægro assistit.

Morbi molestias vt tulerit.

luit. Si quando in eo morbo amarior potio haurienda fuit, Christi patientis historiam aut animo ipse reuoluebat, aut ab alijs recitari sibi postulabat, &, O Iesu, inquit, tuus calix quanto amarior fuit? In eodem morbo ea illi cogitatio incidit: Quid si Deus mihi hanc ægritudinem pro monitore immiserit, vt vitam ad seueriorem cultum traducam? Ac diu rimanti animi latebras, an quid commisisset emendandum; suspicio oborta est, corporis fortè cultum elegantiorem esse præquam Deo placeat: detrahere igitur & imminuere constituit, simplici post id vsus.

Quæ circa S. Eucharistiam ei euenerunt.

IV. Ferijs Purificatæ Virginis sacro epulo primùm accubuit, inter Angelos ab illa fœmina conspectus, & ipse sibi visus est videre IESVM in corde suo quasi scisso mediū se collocasse voluptate interim animi exuberante. Exinde frequenter adspexit Sacerdoti Corpus Christi in populum dispertienti duos Angelos comites ire atque vtrumque latus stipatores

tores nobiles claudere. Quo dein viſo ſic affectus eſt animo, vt intra aræ maximæ ſepta aſſiduus hæreret, vt iam prouerbio Puer Aræ principis diceretur.

V. Angelum tutelarem, Ioañem Euangeliſtam, Franciſcum Aſſiſinaten, ac præcipuè S. Ignatium & voto iam fratrem ſuum Aloyſium Gonzagam, cuius res geſtas impenſo ſtudio lectitabat, præcipuo cultu cliens patronos venerabatur. His ille ſtatas quotidie preces ferebat: neſcio quo caſu die vno omiſerat; cum mox interiore voce increpari ſe ſenſit: Itane vero, Alexander, inquiebat, tuorum te patronorum obliuio tam facile capit? ne tu ſi negligens eſſe pergas, & nos in te tuendo ceſſatores ſenties. Quam diuina delicatè tractanda ſunt! vbi vix credis, offendis. *Patronos certos veneratur.*

VI. Neq; ſui tantum curam geſſit, ad aliorum quoque commodum operam ſuam contulit. Nam quod in Sodalitate quadam fieri viderat, in domum ſuam tranſtulit. Coëgit *Sodalitatis instituta domi imitatur.*

vernas ac domesticos omnes in aulá absente matre: ibi primum è pio libello lectitans, tùm è pio ingenio copiosissimè disputans de Christiani hominis officijs disseruit eo ardore, ac contentione, vt in lacrymas concionem soluerit, & denique ad corporis diuerberationem induxerit. Quanto hoc rectius, quam qui foris malè hausta in paternam domum inferre consueuerunt.

Sanctè moritur. VII. Plura de Alexandro nostro memorare haberem, de eius patiendi studio, de passionum coërcitione, de virtutibus alijs; sed ad finem propero. CIↃ. IↃCVIII. Aprili mense lethali morbo afflictus est. Quo igitur expeditius cælo puriorem animam inferret, totius vitæ labeculas confessione detersit. Prouidisse eum mortis diem multa argumenta sunt. Nam cum pater è Societate de abitu suo ad sacrum faciendum eum moneret: Abi, inquit, pater, neq; enim hodie moriar. Altero

dein

dein die, cum Pater idem à prandio discessum pararet: *Mane*, inquit, *Pater; paulo post è vita abiturus sum.* Abijt ad vesperum. Cum inter eos dies è libello sacrum quid legeretur, quasi in soporem se composuit: stabat anagnostes defixus in ore eius contemplando, vnde diuina quædam hilaritas emicabat: cum diutius sileret; mater: *Quid mi Alexander*, inquit, *obticuisti? quam rem agis? Delitias*, inquit, *animæ meæ* IESVM *&* MARIAM *inter innumera Beatarum Mentium agmina loco celsissimo intuitus sum.* Et illa: *Sed pulchráne* inquit, *tibi, mi Fili, amœnitate locus ille arridet? sanèquam*, inquit ille, *pulchrâ.* Moxque ad idem spectaculum se recepit. Sexta feria repente ex contemplatione quadam experrectus: *An non*, inquit, *coram intuemini* MARIAM DEI MATREM *Dominam meam, meumq́; Custodem Angelum, & Mariam Magdalenam de Pozzis?* Erat hæc Magdalena notæ olim sanctitatis fœmina Florentiæ, cum viue-

ret, Alexandri ſtudioſa, quem Angelum terreſtrem appellare ſolita fuerat. Tum ad hos hoſpites conuerſus, fabulari multa cum illis viſus eſt, lacrimantibus præ gaudio ſpectatoribus. Tum Chriſti in crucem acti effigiem amplexus: O Iesv, inquit, in Societate tua mori propoſitum fuit: tuus nihiloſecius ſum, mi Iesv. Cum in eo articulo temporis Dæmon terribili ſe forma viſendum obieciſſet: *Quid quæris, aut quid vis,* inquit, *tibi, beſtia? faceſſe; teſtimonium conſcientiæ meæ, Deo fauente, bonum eſt.* Quo ille cœlo vicinius appropinquabat, eo propiores inde voluptates præſentire videbatur. Sub veſperum cum Deiparam iterum intueretur, capto impetu fractum corpuſculum in cubitum eleuans reſedit. & cum diù tacuiſſet: *In cœlum, In cœlum,* exclamat. Linquebatur interea ſæpe animo, cum diuinam vim ſe toti pectori infundentem ferre iam vix poſſet. Et fuiſſe ſanè magnam in illum eo tempore benignitatem Deiparæ ante

cog-

cognitum eſt. pridie enim, quam mo-
reretur, frequentes ad eum Angeli cum corollis adire viſi ſunt, qui dicebant ſe Alexandri obitum celebrare; atque ex ſuo numero vni à Beata Virgine imperatum eſſe memorabant, vt Alexandro emigranti victoriæ inſigne corollam imponeret: ad quod ille imperium exequendum hilari ore ſe accingere viſus eſt. Nec dubium eſt, præſtitiſſe. Inter has cælitum blãditias, & mortalium plurimorum ſuauiſſimos luctus, cum ære campano ſignum Angelicæ ſalutationis daretur, è mortalitate ad immortalia gaudia ALEXANDER noſter tranſijt, ac poſt in templo Societatis IESV, vt votis omnibus enixè contenderat, conditus eſt, exequijs celeberrimis, quas Angeli quoque cohoneſtaſſe dicuntur. Nam quatuor feretrum excipere atq; ad aram maximam cateruatim cælitibus affluentibus deportare conſpecti ſunt. Illud inſuper admiratione dignum fuit, cum primum funus illatum eſt templi ſacra-

Exequiæ Alexandri.

rio, corpusculum exanime longa tabe miserè confectum virgineum adolescentiæ colorem recuperare, pristinoque nitori restitui visum est. Maximis postea miraculis actæ vitæ innocentiam Deus orbi palam ostendit. Ea ritè testibus probata ab alio in lucem edentur: ego, quæ Sodales imitarentur, aut è quibus Patronæ suæ fauores colligere possent, mihi perscribenda esse duxi. Habent in ALEXANDRO virtutum exemplar; habent beneuolentiæ cælestis specimen: vtraque Sodalibus in vno proposita est. Si quis ad hanc viam quærat, in aperto est, *virtute peruenitur.*

Miraculis post mortem clarescit.

VIII. Ioannes Bartirottus Castellanetæ Princeps, adolescentulus lectissimus in maximam spem crescebat, & adempto Alexandro succenturiatus videbatur, qui pueritiam ad virtutis cultum excitaret. Nam quot diebus veneris acri flagello tenerum corpusculum conscindebat; frequens erat in mysterijs sacris obeundis;

Nouennis adolescẽtis virtus.

undis; horæ ſpatium, quod pijs commentationibus decretum in ea Sodalitate erat, facie terræ applicita transfigebat. Omnia hæc ardenti ſtudio agebat; & quod mirere, nouem tantum annos natus erat. In quam nòn ille frugem adoleuiſſet, niſi mors importunior abrupiſſet? Sed habeat cœlum delitias ſuas, quia Terra indigna eſt. *Neapoli* *CIↃ.IↃↃXI.*

IX. Ex India quoque Sodalem adduco numeris abſolutum omnibus, & ob cuius virtutem merito Europei ora obuertant ſua, adeo venuſtos mores in illa barbarie coli potuiſſe MICHAEL AYATVMVS inter Indos Pictos in Boholana Philippinarum inſula anno ſeculari puer ſeptennis aquis Baptiſmi tinctus eſt. Inde omnium virtutum maximis incrementis profecit. Atq; vt inde ordiar, vnde vis omnis emanat, orandi ſtudio apprimè deditus fuit; vt diu quotidie nouies recitarit B. Virginis corollam: dein vbi commentari didicit, in dies horam & amplius *Sodaliũ virtus apud Indos floret.* *Michaelis precandi ſtudium.*

in rerum piarum meditatione posuit. Patronorum suorum D. Virginis, Iosephi, Michaëlis festa ieiunijs, vigilijs, verberibus corpori inflictis præuertebat. Iesv & Mariæ memoriam animo semper circumferebat, vt ab eorum laudibus nec inter alios, atque adeo nec inter ludendum abstineret, ea verba *Laudetur vbiq;* Iesvs Christvs *eiusq; Mater sanctissima* Maria, identidem vsurpans. Ad eam refricandam eorundem effigies capsula conclusas, quoquo iter erat, circumgestabat.

Cura sensuum & pudicitia.

X. Corporis atque sensuum omnium mira moderatio. Feriam sextam & Sabbathum ieiunus transmittebat. Solo pane & aqua vitam tolerare procliue illi fuit: sine omni cibo ac potu aliquoties diem traducebat. Quot diebus, vt primum cubitu se leuabat, flagra tergo increpabant. Oculos ille vix in viro figebat, nedum vt fœminam aspiceret, imo studiosè cauebat, ne quam corporis sui partem nudam adspiceret; vnde lecto

cto consurgens, primo pedes talari veste obtegebat. Aures ne quid indecens haurirent, sedulo obsepiebat, si posset: saltem fuga aut torua fronte sonos inuerecundos excutiebat. His facile factum est, vt florem pudicitiæ illibatum conseruarit, quem Deo anno tertio decimo deuouerat.

XI. Animi demissionem præcipuè colebat. Vidit illum P. Petrus Auonius, de quo hæc habemus, nocte quadam, dum Seminarium inuiseret, sub lectulo in terra cubantem, quem cum reprehenderet, *Atqui*, inquit, *Pater, ego istud Humilitate Magistra didici, quæ docet terram in terra sternendam esse.* Vestitu paupere & mũdo vtebatur; & quamuis preciosis nõ careret, induci tamen vix potuit, vt quo die Christi corpus sumpturus erat, elegantius se vestiret. Vltimum in sedendo locum vbique sibi capiebat. Designatus reliquorum in eodem contubernio superior, tantam animo tristitiam concepit, vt morbum inde contraxerit: quo prius li- *Humilitas.*

H 5 bera-

berari non potuit, quàm in ordinem redigeretur. Cum eum alij passim Sanctum vocitarent, ille B. Virginis Patronæ suæ exemplo seruum se nominare consueuit.

Paupertatis, obedientiæ, constantiæ, charitatis studium.

XII. Paupertatis atque obedientiæ studijs inter primos addictus fuit; vt ne pomum quidem superioribus inscijs ex horto tulerit; vt ne minima quæque imperia neglexerit, nec maxima detrectarit. In Religioso perfectionem maiorem non exigeres. Constantiam ac Fortitudinem animi per omnem vitam tenuit, atque S. Iobi & B. Virginis sub cruce stantis recordatione subinde acuit atque confirmauit, vt ne suorum morti impatientius illacrymaret. Commodis aliorum impensè se dabat, culinam verrere, vasa tergere, ollas eluere, lances expurgare occupabat: vitam denique suam præ aliorum negligebat. Sed salutis omnium inprimis cupidus studiosusque fuit. Excurrebat cum patribus ad Ethnicos docendos; instituebat mo-

monebat, terrebat, nihil omittebat, vt ad Christi ouile errantes traduceret. Atque his omnibus virtutibus terminum immotum constituit perseuerantiam, quâ ex incepto semel pietatis officio neque ipse quicquam egressus, neque ab alijs deduci se vnquam passus est. Multa parentes, multa cognati attentarunt, vt eum à castitatis proposito ad coniugium abducerent; sed irrito omnia conatu. Baylanus quidam superstitionum doctor vniuersos fermè Indos ad mare elicuerat, vt ibi maiores suos in aurea naui aduentantes conspicerent: Solus Michaël tunc puerulus risit insana promissa, & ludibrium solus euitauit. *Perseuerantia.*

XIII. Hunc talem Adolescentem aduersus casus afflixit, & è viuis abstulit. Dum enim ad litus negotij cuiuspiã causa excurrit, fallente gradu è ripa in aquas prolapsus, cymbæ isthic religatæ pectus illisit; ac paulo post ritè inunctus IESVM, MARIAM, IOSEPHVM inuocans mortu- *Mors Michaelis.*

us eſt, XIII. Cal. Decemb. CIƆ.IƆCIX. Pridie quam moreretur & pœnitentiæ & Sacræ Euchariſtiæ Sacramentis ad abitum ſe inſtruxerat. Præſagum enim vicinæ mortis ſuæ eum fuiſſe plura indicant. nam germano fratri dixiſſe eum memorant, velle ſe ſibi à patribus chirographo caueri, ne ex oppido in maritimam aliquam expeditionem mitteretur, cum morte inſtante non ſatis tutum ſit à Sacerdote longius abire. Pridie rogauit patrem, vt ſibi ſequenti die liceret per vrbem flagris corpus cædentem incedere. *Extremo enim vitæ tempore magna pro ſalute conari opportuniſſimum videri.* Cum negaretur, crebrius inſtitit mortis incertitudinē' prætendens, donec concederetur.

Quam videtur præſagiiſſe.

Elatus eſt magnifico funere à Sodalibus, tanto luctu & comploratione, vt Concionatori ac Muſicis ferè ſilentium defuerit. Deplorabant videlicet omnes fortunas ſuas *tam triſti funere merſas*, parentes Filium dulciſſimum, patres comitem fidiſſimũ,

Funus & luctus.

Biſa-

Biſayenſes popularem vtiliſſimum, pueri ac puellæ catechiſten gratiſſimum, contubernales ſocium chariſſimum, parthenij Sodalem optimũ, omnes virtutum omnium Exemplũ. Quid Nos? NONDVM ſimilia feciſſe.

Hactenus SODALIS PARTHENIVS Ortum ſuum, Leges, Mores, Socios legit atque Officia ſua didicit. In quibus eſſe ſi porro ſtuduerit, proximè ad illos, quos iam laudauimus euadet, dignaque Patronâ tantâ, tantiſq; Socijs faciet. Nunc eundem per ſingulas virtutes quaſi gradus quoſdam ad idem faſtigium deducamus.

SODALIS PARTHENIVS.

LIBER II.

VIRTVTVM EXEMPLIS MARIANIS IMbuitur.

QVI Deæ neſcio cuius pingere

formam voluit, fertur complures Virgines forma præstanti conuocasse; atque ab vnaquaque quod in ea præcipuam venustatem habebat, in imaginem Deæ transtulisse; indeque picturam nobilissimam extitisse. Sodalem Parthenium coloribus ac lineamentis suis efformare instituimus, non ijs, quæ præceptis, sed quæ Exemplis continentur. Et sanè illustre archetypon VIRGO MARIA est. de qua benè S. Ambrosius. *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaq; Beatæ* MARIÆ, *de qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet Exempla viuendi.* Et: *Talis fuit* MARIA, *vt eius vnius vita omnium disciplina sit.* Quare & SPECVLVM IVSTITIÆ salutatur. In huius vitam si iuberem omnes inspicere, atque inde sibi exempla petere, nihil alienum ab instituto Sodalitatum agerem, cum legibus nostris moneamur conandum nobis esse *vitæ morumq; integritate virtutum illius præ-*

l. 1. de Virginib.

B. Virgo speculum est morũ.

stan-

ſtantiſsimarum exempla imitari. Sed eſſent forſitan aliqui, (vt natura vitio corrupta facilè ſegnitiæ atque ſocordiæ ſuæ imbecillitatem obtendit) qui perfectione ipſa terrerentur, vt illi qui Apelleam imaginem abſoluere non audebant. Horum ergo ſiue infirmitati, vt ipſi volunt; ſiue torpori vt occurrerem, æqualium facinora proferre conſtitui, quæ facile ſequerentur, & Sodalem de Sodalibus expingere, ac quicquid in ſingulis elegans viſebatur, ad noſtrum ornandum transferre cogitaui. Quibus autem maior animi virtus & *Aquilæ oculi* ſunt, vt his irretortis audeant in vitam Magnæ MATRIS quaſi in ſolem intueri, propiuſque veſtigia virtutum ipſius perſequi velint, illi aureum libellum R. P. Franciſci Ariæ *De imitatione Beatiſſ. Virginis* MARIÆ euoluent, in quo heroicis animis digna exempla reperirent. Nos eâdem ſemitâ eodemque fermè ordine, quo maiorum pedum viſa eſt via minora veſtigia imprimemus,

mus, vt licet quidam *Non paßibus æquis* ſequantur, rationem tamen certam viamque habeant, qua tandem præeuntes grandi gradu Sodales conſequantur.

CAPVT I.

SODALES HVMILIBVS OFFICIIS SE EXERCENT.

S. Bern. l. de grad. Humil. S. Thom. 2.2. p. 161. a. 1.

Humilitatis officia.

1\. HVMILITAS Virtus ne nomine quidem Romanis cognita, *qua quis verißima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit, atque ad ima ſe deijcit.* principio animum hominis vera opinione imbuit, dum ſe ipſum excutit, & quã *curta ſupellex* ſibi ſit, quam boni inops, quam vitiorum abundans, lolijque tantum ſit TERRA ferax, diſpicit, dum è NIHILO ortum ſe fuiſſe, nec per ſe ſtare, quo minus in NIHILVM recidat cognoſcit. Deinde volũtatis affectum intra modum coërcet, vt ne ſe altius, quam par eſt, efferat, laudes aut

S. Ber. ſer. 42. in Cant.

2.

aut non amet aut etiam auerſetur, atque earum vicem præoptet paruipendi, obiurgari, pro ridiculo alijs fieri, talisque reliquorum iudicijs cenſeri, qualis ſuo eſt: ne ſibi ſicuti LVTVM aut NIHIL domi ſordeſcat; foris pro Gemmis aut Deo ſe venditet turpiſſima ſimulatione. Denique infra omnes ſe ponit, virtutum alienarum æſtimator, vitiorum propriorum conſcius accuſator; atque hanc animi ſui ſententiam cultu corporis & viuendi cum alijs demiſſa ratione oſtendit, primas ſemper alijs deferēs, ſibi vltimas ſerio depoſcens.

I. Ab hac virtute quaſi è fundamento ſurgit omnis ſanctitas atque in culmen gloriæ excreſcit; vt iam in alto mihi poſitus videatur, qui in infimo ſe locauit; & contra nihil præclari ab eo ſperare poſſimus, qui in animi tumore eſt. Verè enim dictum eſt: *Deus ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam.* Vnde & Patrona noſtra *Depoſitos potentes de ſede & exaltatos humiles* fuiſſe cecinit. Con-

Fundamentum Sanctitatis.

Iacob. 4.

S. Aug. ſerm. 27.

fluit

V. ſtitus plebeius eam conſeruat. tur: ſicut facile ex auro falſus ſplendor animo infunditur, dum precium ſuum è veſtitu æſtimat. Moguntini Sodales hoc pulchrè intellexerũt, quorum tres adulta iam ætate ac ſpectata eruditione Iuuenes, exeuntis Quadrageſimæ ferijs vltimis, mendicorũ habitu in proximos pagos ſtipis quærendæ gratia exierunt, neque alio cibo per eos dies, quam quem mendicato comparaſſent, victitarũt. Quod illi eò intenderunt, vt iam tum animum pararent abiecta humiliaque ſectari, antequam immigrarent eò, vbi de ſe quiſque diceret: *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Herbipoli alius lauta in re & honeſto genere faciem luto conſperſit & pauperum ornatu procedens ſtipem ſicuti mendicus collegit.

An. CIƆ. IƆ. XCVI.

Pſal. 83.

Anno CIƆ. IƆC. III.

IV. Quæ vis ad animum ſubmittendum veſtitui ineſt, ea maximè quoque in abiectis officiorum generibus, atque in ſociorum conſortio cernitur. Pedes pauperum abluere, oſcu-

osculariquе, ijs hospitibus inseruire, mediastinorum obsequijs fungi, sacra loca euerrere, Sodalitatis infima officia administrare pro dignitate habuerunt Sodales. Supra Sodalitiorum quorundam morem attuli, quę conuiuia pauperibus instruxerunt, aut pedes abluerunt: subijciam hic consimilia, vt planum fiat non vno alteróue tantum loco, sed passim studia huiuscemodi à Sodalibus frequentari. Drepanitani pridie Parasceues alba in veste duodecim Pauperum pedes publicè in templo lauerunt, tum eosdem Eleemosyna donatos cibisque refectos dimiserunt. Inter tam pij spectaculi actores fuerunt Comes S. Stephani Proregis filius, & Princeps Paciecus. Idem iam ante ab Aletinis & Oenipontanis factitatum est. Idem Neapolitanis prope quotidianū in morem vertit. Illustrissimus Ioañes Albertus Raziuilius cum Dilingæ sacris exercitijs octiduo incaluisset, duodecim Elephantiacos conuocauit, lautoque epulo excep-

Vilibus seruitiis crescit.

l. 1. c. 5. & 6.

An. CIↃ. IↃCX.

An. CIↃ. IↃLXXXV.

CIↃ. IↃLXXXVI.

CIↃ. IↃC VII.

tis cinctus ipse horrendi cilicio ministrauit.

V. Simile demissi animi exemplum præbuerunt Moguntiæ Sereniss. PHILIPPVS & FERDINANDVS fratres Bauariæ Duces nam ferijs Cœnæ Domini duodecim pauperum pedibus aquam affuderunt suisque manibus abluerunt; & conuiuio ijsdem præbito ipsi ministri adstiterunt. Voluerunt videlicet Sodales, quibus vterque præfuit, docere, aliquid inesse pauperibus, cui tanti Principes fasces merito submittant suos.

CIↃ.IↃ XCII.

Quo intuitu pauperibus seruiendum sit.

CIↃ.IↃ CII.

VI. Quidnam autem illud sit Mediolanensis quidam Sodalis professus est. Nam cum mendico & sordidato stipem à cœtu Sodalium collectam elargiretur, isque gaudio gestiens in genua procubuisset gratias acturus, Sodalis quoque ad mendici se pedes abiecit luridumque hominem complexus atque exosculatus: *Deus bone,* inquit, *tu ad pedes meos accidis,* CHRISTI *personam qui geris?*

VII. Hac

VII. Hac cogitatione ſe ad infima obſequia alacres demiſerunt Aquilani Sodales, vt ægris aperto capite inſeruirent, darentque manibus aquam & potum genibus flexis præberent. Cumque vir quidam Nobilis obtrectando diceret: *Nimirum paria nunc mendicis ac Principibus obſequia præſtantur*: Præfectus pro reliquis reſpondit: *Miraris paria vtriſque præſtari? Enimuero illud ego potius admiror, pauperibus non ampliora maioriq; cum reuerentia deferri, quã Principibus; cum in his eorũ dignitas: in illis* Chriſtus *venerationis cauſa ſit.* An. CIↃ. IↃCV.

VIII. Non aliam animo ſententiam formauiſſe Illuſtris ille Polonus videtur, qui ex Ingolſtadienſi Sodalitate primùm ſacris operaturus ædem Saluatori dicatam octo millibus paſſuum Ingolſtadio diſſitam elegit, ac pro hoſpitibus qui tali tempore conuiuio accipi ſolent, pauperes duodecim menſæ adhibuit, ferculaque adſtans miniſtrauit. An. CIↃ. IↃLXXXVI.

IX. Alius vir claris natalibus Sodali-

dalis Aletinus, vt animi elationem cohiberet, publico in foro multis inſpectantibus ad pedes mendici aduolutus eiſdem oſculum infixit. plura id genus & ſuperiore libro & paulo poſt infra reperies, quam prompti miſerorum ſeruitijs ſe Sodales occuparint, exemplo illius, *Qui non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret.*

Marc.10.

Vilioribus officiis conſeruatur.

X. Idem exemplum induxit Sodales, vt in ſpeciem vilioribus officijs operam ſuam addixerint. Auenione pulcherrimum ſępè fuit ſpectaculum Prouinciarum, quæ illi vrbi ſunt cōterminæ, nobiliſſimos ac ſpectatiſſimos adoleſcentes Baronum Comitumque ſtirpem, ædem B. Virginis certis diebus euerrere, ſordes certatim efferre extra Collegij ſepta, aliaque obire munia generoſæ Humilitatis ſigna. Mediolani è prima nobilitate iuuenis ſub ipſam horam, qua ad ſcholas frequentes auditores confluunt gymnaſium atriumque inter alios ſcoparios euerrere ſolitus, cum ali-

CIↃ.IↃX CII.

aliquando ipſo illo tempore Sodalitij locum expurgaſſet, holoſerico pallio purgamēta extulit. ſpectabant Sodales & cauillabantur, quod præ verecundiâ ſordes pallio occultaret: *Impudens ſim*, inquit, *ſi famulatum Marianum erubeſcendum mihi eſſe ducam.* Ac poſtea cum ad idem opus faciendum redijſſet, reiecto pallio & pileo in atrium clara die ramenta deportauit. Quâ hæc fronte, inquies? ſanâ, quæ ſcilicet ruborem concipere aut excutere nouerit, vbi opus eſt; cum peccati periculum eſt, tota obducitur: cum benè & fortiter agendum, ſine rubore ſerena eſt. Alibi ad tirones experiendos ex lege talia obſequia præcipiuntur. Antipolani neminem inter Sodales adlegunt niſi prius probè exercitum: quorum Societatem vt obtinerent Viri duo primarij, ſacram ædem aliaque loca, vt iuſſi erant, euerrere non abnuerunt.

Quis rubor deceat.

CIↃ.IↃC XI.

XI. Fiunt tamen iſta promptius, quando extra ordinem & tumultuaria quaſi opera præſtantur; vt in acie

Ex officio humilitatē quarunt.

Imperator militis ſubinde officium exequitur: ſed, ſicuti ex officio talibus occupari, maioris victoriæ eſt. NAM vili officio par animus eſſe iudicatur. Subijciam duo memoranda etiam in hoc genere Exempla. Manilæ in Philippinis Hiſpanus quidam Dux belli enixè petijt ab ijs penes quos eſt eius officij demandandi poteſtas, vti ſibi liceret Sodalitatis æditimum adere. Quod ille deinde munus ſic ſeriò geſſit, quaſi bellum adminiſtraret; per ſe omnia agere, periſtromata explicare, tapetes ſuſpendere, aram ornare, atque in omnibus his ſeruorum auxilia repudiare, cum plurimos haberet, & illis locis dux talis pro Regulo haberetur.

CIϽ.IϽCI. XII. Burdigalæ ſanxerant communi ſententia Sodales, vt Expræfectus in proxima Præfectura ſui demittendi cauſa munere Ianitoris fungeretur. Poſt annos aliquos cum CIϽ.IϽC Vniuerſitatis Rector Præfectura de- IV. ceſſiſſet, intellexiſſetque decreto Sodalitatis, ad fores ſeruandas ſe vocari,

cari, impigro alacrique animo munus illud aggreſſus eſt parteſque ſuas maxima animi demiſſione ac voluntate iuxtà geſſit. Nempe verus amor nihil vile æſtimat, quod Magnæ Virgini placet. Eundem morem legibus Romani Sodales Primarij firmarunt vt libro primo relatum eſt.

Humilis reum ſe fatetur.

XIII. Multum quoq; adiumenti affert ad animi modeſtiam comparandam, culpas ſuas fateri, deprecari, ſupplicijs expiare. Quo in genere Sodales à ſe deſiderari nihil paſſi ſunt. De Luxenburgenſibus hæc memorantur. *Delicta in leges pœnâ vltrò ſuſceptâ, aut à Præfecto multis precibus exoratâ publicè expiant.* Subnectuntur deinde alia Humilitatis documenta. *Præfecti ipſi ad hæc duces. Fuit qui Tironũ, quos ad Sodalitij mores erudierat, ipſo quo inſcribebantur die, pedes peteret oſculari ſingulorũ, vt factis, inquiebat, nunc eos doceã, quod prius verbis. Fecit, æmulosq; cõcitauit. Nã & qui vniuerſæ præeſt Sodalitati, cũ ſit Sacerdos ad pedes accidit*

formam voluit, fertur complures Virgines forma præstanti conuocasse; atque ab vnaquaque quod in ea præcipuam venustatem habebat, in imaginem Deæ transtulisse; indeque picturam nobilissimam extitisse. Sodalem Parthenium coloribus ac lineamentis suis efformare instituimus, non ijs, quæ præceptis, sed quæ Exemplis continentur. Et sanè illustre archetypon VIRGO MARIA est. de qua benè S. Ambrosius. *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas vitaq́; Beata* MARIÆ, *de qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet Exempla viuendi.* Et: *Talis fuit* MARIA, *vt eius vnius vita omnium disciplina sit.* Quare & SPECVLVM IVSTITIÆ salutatur. In huius vitam si iuberem omnes inspicere, atque inde sibi exempla petere, nihil alienum ab instituto Sodalitatum agerem, cum legibus nostris moneamur conandum nobis esse *vitæ morumq́; integritate virtutum illius præstan-*

l. 1. de Virginib.

B. Virgo speculum est morũ.

ſtantiſsimarum exempla imitari. Sed eſſent forſitan aliqui, (vt natura vitio corrupta facilè ſegnitiæ atque ſocordiæ ſuæ imbecillitatem obtendit) qui perfectione ipſa terrerentur, vt illi qui Apelleam imaginem abſoluere non audebant. Horum ergo ſiue infirmitati, vt ipſi volunt; ſiue torpori vt occurrerem, æqualium facinora proferre conſtitui, quæ facile ſequerentur, & Sodalem de Sodalibus expingere, ac quicquid in ſingulis elegans viſebatur, ad noſtrum ornandum transferre cogitaui. Quibus autem maior animi virtus & *Aquilæ oculi* ſunt, vt his irretortis audeant in vitam Magnæ MATRIS quaſi in ſolem intueri, propiuſque vestigia virtutum ipſius perſequi velint, illi aureum libellum R. P. Franciſci Ariæ *De imitatione Beatiſſ. Virginis* MARIÆ euoluent, in quo heroicis animis digna exempla reperirent. Nos eâdem ſemitâ eodemque fermè ordine, quo maiorum pedum viſa eſt via minora veſtigia imprimemus,

mus, vt licet quidam *Non paßibus æquis* ſequantur, rationem tamen certam viamque habeant, qua tandem præeuntes grandi gradu Sodales conſequantur.

CAPVT I.

SODALES HVMILIBVS OFFICIIS SE EXERCENT.

S. Bern. l. de grad. Humil. S. Thom. 2.2. p. 161. a. 1.

Humilitatis efficia.

1.

S. Ber. ſer. 42. in Cant.

2.

HVMILITAS Virtus ne nomine quidem Romanis cognita, *qua quis veriſsima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit, atque adima ſe deijcit.* principio animum hominis vera opinione imbuit, dum ſe ipſum excutit, & quā *curta ſupellex* ſibi ſit, quam boni inops, quam vitiorum abundans, lolijque tantum ſit TERRA ferax, diſpicit, dum è NIHILO ortum ſe fuiſſe, nec per ſe ſtare, quo minus in NIHILVM recidat cognoſcit. Deinde volūtatis affectum intra modum coërcet, vt ne ſe altius, quam par eſt, efferat, laudes aut

aut non amet aut etiam auerſetur, atque earum vicem præoptet paruipendi, obiurgari, pro ridiculo alijs fieri, talisque reliquorum iudicijs censeri, qualis ſuo eſt: ne ſibi ſi cuti LVTVM aut NIHIL domi ſordeſcat; foris pro Geminis aut Deo ſe venditet turpiſſima ſimulatione. Denique infra omnes ſe ponit, virtutum alienarum æſtimator, vitiorum propriorum conſcius accuſator; atque hanc animi ſui ſententiam cultu corporis & viuendi cum alijs demiſſa ratione oſtendit, primas ſemper alijs deferēs, ſibi vltimas ſerio depoſcens.

I. Ab hac virtute quaſi è fundamento ſurgit omnis ſanctitas atque in culmen gloriæ excreſcit; vt iam in alto mihi poſitus videatur, qui in infimo ſe locauit; & contra nihil præclari ab eo ſperare poſſimus, qui in animi tumore eſt. Verè enim dictum eſt: *Deus ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam.* Vnde & Patrona noſtra *Depoſitos potentes de ſede & exaltatos humiles* fuiſſe cecinit. Con- *Fundamentum Sanctitatis.* *Iacob. 4.* *S. Aug. ſerm. 27.*

fluit

S. Aug. serm. 27. de verbis Dom.

Quare superbi odio sint.

Anno CIↃ. IↃC. V.

Hereticus Humilitate Catholici conuertitur.

fluit enim aqua bonorum diuinorũ ad humilitatem vallis, denatat de tumoribus collis. Ita ficta opulentia omnibus odio atque risui est; verax paupertas omnium benignitatem prouocat. Neque hæc auctori suo tantum profuit, sed alios quoque ad viam è præcipitio reduxit. Miles quispiam à puero innutritus erroribus, animoque in Catholicos infensissimo fuit. Hic cum ex itinere Turnonum diuertisset, vidissetque Sodalem pro more in Nosocomio ægris inseruientem, ita seu charitatis illius seu demissionis admiratione captus est, vt religionem nostram amare primum, deinde de ea complectenda cogitationem admittere cæperit. Atque ab eodem illo Sodale ad Patres Societatis deductus hæresi abiurata *Humilia* & vera *sapere* doctus est. Vide quid humilitas possit! Commisisses prius cum illo doctos, rupisset hominem arrogantia, contra quem tantum heroa videlicet, Triarij nostri in acie collocari debuissent:

issentiam in alieno contemptu, vilitatem suam adspexit, & inde morbi sui medicinam hausit.

II. Quibus porro rationibus hæc virtus animis nostris inseratur, præcipiunt alij, Sodales Exemplis docent. Domi nostræ habemus, quod animos nostros meritò demittat. Quid enim *Terra & Cinis superbit?* Sic Friburgi Nuithonum quidam corporis dotibus cum se efferri persentisceret, in Ossuariam descendit, & exesis caluarijs atq; ossibus oscula imprimens, mortaliumque caducam pulchritudinem meditans facilè eiecit animo formæ, & aliorum, quæ putrescere possunt, admirationem. Quod à Dilinganis crebro factitatum lego non modò ad animum demittendum, sed ad corporis quoque lasciuiam coërcendam.

Humilitas nascitur è sui Cognitione.

Anno CIↃ.IↃ XCIX.

CIↃ.IↃ LXXXVI.

CIↃ.IↃC. IV.

CIↃ.IↃC. XII.

III. Cultus quoque corporis neglectus vim habet magnam cohibēdi mentem intra modestiæ terminos, dum sibi persuadet vile id esse oportere, quod plebeio amiculo tegitur:

Vestitus plebeius eam conseruat.
An. CIↃ. IↃ. XCVI.

tur: ſicut facile ex auro falſus ſplendor animo infunditur, dum precium ſuum è veſtitu æſtimat. Moguntini Sodales hoc pulchrè intellerũt, quorum tres adulta iam ætate ac ſpectata eruditione Iuuenes, exeuntis Quadrageſimæ ferijs vltimis, mendicorũ habitu in proximos pagos ſtipis quærendæ gratia exierunt, neque alio cibo per eos dies, quam quem mendicato comparaſſent, victitarũt. Quod illi eò intenderunt, vt iam tum animum pararent abiecta humiliaque ſectari, antequam immigrarent eò, vbi de ſe quiſque diceret: *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

Pſal. 83.

Anno CIↃ. IↃC. III.

Herbipoli alius lauta in re & honeſto genere faciem luto conſperſit & pauperum ornatu procedens ſtipem ſicuti mendicus collegit.

IV. Quæ vis ad animum ſubmittendum veſtitui ineſt, ea maximè quoque in abiectis officiorum generibus, atque in ſociorum conſortio cernitur. Pedes pauperum abluere, oſcu-

oſcularique, ijs hoſpitibus inſeruire, mediaſtinorum obſequijs fungi, ſacra loca euerrere, Sodalitatis infima officia adminiſtrare pro dignitate habuerunt Sodales. Supra Sodalitiorum quorundam morem attuli, quę conuiuia pauperibus inſtruxerunt, aut pedes abluerunt: ſubijciam hic conſimilia, vt planum fiat non vno alteróue tantum loco, ſed paſſim ſtudia huiuſcemodi à Sodalibus frequentari. Drepanitani pridie Paraſceues alba in veſte duodecim Pauperum pedes publicè in templo lauerunt, tum eoſdem Eleemoſyna donatos cibiſque refectos dimiſerunt. Inter tàm pij ſpectaculi actores fuerunt Comes S. Stephani Proregis filius, & Princeps Paciecus. Idem iam ante ab Aletinis & Oenipontanis factitatum eſt. Idem Neapolitanis prope quotidianũ in morem vertit. Illuſtriſſimus Ioañes Albertus Raziuilius cum Dilingæ ſacris exercitijs octiduo incaluiſſet, duodecim Elephantiacos conuocauit, lautoque epulo exceptis

Vilibus ſeruitiis creſcit.

l. 1. c. 5. & 6.

An. CIƆ. IƆCX.

An. CIƆ. IƆLXXXV.

CIƆ. IƆLXXXVI.

CIƆ. IƆC VII.

tis cinctus ipse horrendi cilicio ministrauit.

V. Simile demissi animi exemplum præbuerunt Moguntiæ Sereniss. PHILIPPVS & FERDINANDVS fratres Bauariæ Duces nam ferijs Cœnæ Domini duodecim pauperum pedibus aquam affuderunt suisque manibus abluerunt; & conuiuio ijsdem præbito ipsi ministri adstiterunt. Voluerunt videlicet Sodales, quibus vterque præfuit, docere, aliquid inesse pauperibus, cui tanti Principes fasces merito submittant suos.

CIↃ.IↃ XCII.

Quo intuitu pauperibus seruiendum sit.

CIↃ.IↃ CII.

VI. Quidnam autem illud sit Mediolanensis quidam Sodalis professus est. Nam cum mendico & sordidato stipem à cœtu Sodalium collectam elargiretur, isque gaudio gestiens in genua procubuisset gratias acturus, Sodalis quoque ad mendici se pedes abiecit luridumque hominem complexus atque exosculatus: *Deus bone,* inquit, *tu ad pedes meos accidis,* CHRISTI *personam qui geris?*

VII. Hac

VII. Hac cogitatione ſe ad infima obſequia alacres demiſerunt Aquilani Sodales, vt ægris aperto capite inſeruirent, darentque manibus aquam & potum genibus flexis præberent. Cumque vir quidam Nobilis obtrectando diceret: *Nimirum paria nunc mendicis ac Principibus obſequia præſtantur*: Præfectus pro reliquis reſpondit: *Miraris paria vtriſque præſtari? Enimuero illud ego potius admiror, pauperibus non ampliora maioriq; cum reuerentia deferri, quā Principibus; cum in his eorū dignitas: in illis* Chriſtus *venerationis cauſa ſit.* An. CIↃ. IↃCV.

VIII. Non aliam animo ſententiam formauiſſe Illuſtris ille Polonus videtur, qui ex Ingolſtadienſi Sodalitate primùm ſacris operaturus ædem Saluatori dicatam octo millibus paſſuum Ingolſtadio diſſitam elegit, ac pro hoſpitibus qui tali tempore conuiuio accipi ſolent, pauperes duodecim menſæ adhibuit, ferculaque adſtans miniſtrauit. An. CIↃ. IↃLXXXVI.

IX. Alius vir claris natalibus Sodali-

dalis Aletinus, vt animi elationem cohiberet, publico in foro multis inſpectantibus ad pedes mendici aduolutus eiſdem oſculum infixit. plura id genus & ſuperiore libro & paulo poſt infra reperies, quam prompti miſerorum ſeruitijs ſe Sodales occuparint, exemplo illius, *Qui non venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret.*

Marc. 10.

Vilioribus officijs conſeruatur.

X. Idem exemplum induxit Sodales, vt in ſpeciem vilioribus officijs operam ſuam addixerint. Auenione pulcherrimum ſępè fuit ſpectaculum Prouinciarum, quæ illi vrbi ſunt cõterminæ, nobiliſſimos ac ſpectatiſſimos adoleſcentes Baronum Comitumque ſtirpem, ædem B. Virginis certis diebus euerrere, ſordes certatim efferre extra Collegij ſepta, aliaque obire munia generoſæ Humilitatis ſigna. Mediolani è prima nobilitate iuuenis ſub ipſam horam, qua ad ſcholas frequentes auditores confluunt gymnaſium atriumque inter alios ſcoparios euerrere ſolitus, cum ali-

CIↃ.IↃX CII.

aliquando ipſo illo tempore Sodalitij locum expurgaſſet, holoſerico pallio purgamēta extulit. ſpectabant Sodales & cauillabantur, quod præ verecundiâ ſordes pallio occultaret: *Impudens ſim*, inquit, *ſi famulatum Marianum erubeſcendum mihi eſſe ducam.* Ac poſtea cum ad idem opus faciendum rediſſet, reiecto pallio & pileo in atrium clara die ramenta deportauit. Quâ hæc fronte, inquies? ſanâ, quæ ſcilicet ruborem concipere aut excutere nouerit, vbi opus eſt; cum peccati periculum eſt, tota obducitur: cum benè & fortiter agendum, ſine rubore ſerena eſt. Alibi ad tirones experiendos ex lege talia obſequia præcipiuntur. Antipolani neminem inter Sodales adlegunt niſi prius probè exercitum: quorum Societatem vt obtinerent Viri duo primarij, ſacram ædem aliaque loca, vt iuſſi erant, euerrere non abnuerunt.

Quis rubor deceat.

CIↃ.IↃC XI.

XI. Fiunt tamen iſta promptius, quando extra ordinem & tumultuaria quaſi opera præſtantur; vt in acie

Ex officio humilitate quarunt.

Imperator militis ſubinde officium, exequitur:ſed, ſicuti ex officio talibus occupari, maioris victoriæ eſt. NAM vili officio par animus eſſe iudicatur. Subijciam duo memoranda etiam in hoc genere Exempla. Manilæ in Philippinis Hiſpanus quidam Dux belli enixè petijt ab ijs penes quos eſt eius officij demandandi poteſtas, vti ſibi liceret Sodalitati, æditimum adere. Quod ille deinde munus ſic ſeriò geſſit, quaſi bellum adminiſtraret; per ſe omnia agere, periſtromata explicare, tapetes ſuſpendere, aram ornare, atque in omnibus his ſeruorum auxilia repudiare, cum plurimos haberet, & illis locis dux talis pro Regulo haberetur.

ↀ.ↀCI. XII. Burdigalæ ſanxerant communi ſententia Sodales, vt Expræfectus in proxima Præfectura ſui demittendi cauſa munere Ianitoris fungeretur. Poſt annos aliquos cum
ↀ.ↀC Vniuerſitatis Rector Præfectura de-
IV. ceſſiſſet, intellexiſſetque decreto Sodalitatis, ad fores ſeruandas ſe vocari,

cari, impigro alacrique animo munus illud aggreſſus eſt partesque ſuas maxima animi demiſſione ac voluntate iuxtà geſſit. Nempe verus amor nihil vile æſtimat, quod Magnæ Virgini placet. Eundem morem legibus Romani Sodales Primarij firmarunt vt libro primo relatum eſt.

XIII. Multum quoq; adiumenti affert ad animi modeſtiam comparandam, culpas ſuas fateri, deprecari, ſupplicijs expiare. Quo in genere Sodales à ſe deſiderari nihil paſſi ſunt. De Luxenburgenſibus hæc memorantur. *Delicta in leges pœnâ vltrò ſuſceptâ, aut à Præfecto multis precibus exoratâ publicè expiant.* Subnectuntur deinde alia Humilitatis documenta. *Præfecti ipſi ad hæc duces. Fuit qui Tironũ, quos ad Sodalitij mores erudierat, ipſo quo inſcribebantur die, pedes peteret oſculari ſingulorũ, vt factis, inquiebat, nunc eos doceã, quod prius verbis. Fecit, æmulosq; cõcitauit. Nã & qui vniuerſæ præeſt Sodalitati, cũ ſit Sacerdos ad pedes accidit*

Humilis reum ſe fatetur.

Directori expoſtulauitque, vt idem ſubmiſſionis genus in ſuos ſibi liceret Sodales exercere. Et aliquatenus conceſſum. His aliyſq́; exemplis mutuò incitant & incitantur. Iidem errata ſua in medio cætu ab ys, qui norint, poſtulant emendationis ſtudio, euulgari.

An. CIↃ. IↃCII. XIV. In Sicilia alicubi quidam publicè minus commodè audiebat certi vitij nomine. Dum ergo Sodales ſimul ſunt, Oratorium ille ingreditur & ad præſidis pedes aduolutus ſupplex petit, vt à ſe polliceretur omnibus ſatisfactionem, ſi quos ex eo

An. CIↃ. IↃCXI. cœtu læſiſſet. Boholani in Inſulis Philippinis conſueuerũt errata ſua, quoad poteſt, palam omni populo in æde ſacra enunciare. Inter hos vir primarius accuſarat ſe vinolẽtiæ & mores emendatos in poſterum promiſerat. Sed inueterata conſuetudine tractus latum fortè vnguem à temperantiæ regula abierat, vt turbato nonnihil cerebro in ſomnum lapſus fuerit. Inde vbi euigilauit, ſimul mẽtem memoria pacti factique ſubijt,

ex-

exarſit vindictæ cupidine, arreptoq; flagello acerrimè in tergum ſuum ſęuire cæpit, ac pueri præambulonis voce Helluonem improbum ſe proclamitari iuſſit, veniam delicti ſubmiſsè Sodales popoſcit. Quis negaret ſic flagitanti?

XV. In nobiliſſima illa Neapolitana Virginis Natæ Sodalitate præclarum quoque ſpecimen virtutis editum eſt. Nam cum Epiſcopus quidam Sodalium rogatu ſacra Euchariſtia omnes impertiuiſſet, atque vnà adeſſet Sodalis primæ auctoritatis, Epiſcopo ob veterem ſimultatem offenſior, re diuina peracta ad Epiſcopi genua accidit veniamque diuturnæ alienationis lacrymans petijt, mirari omnes tanti viri humillimam victoriam: Epiſcopus in amplexus ruere, & firmum hunc amicum credere, qui tam modeſtè ſe adiunxiſſet. Nihil enim amicitiæ aduerſum magis ſuperbo animo. An. CIↃ. IↃXCIX.

XVI. Lemouici adoleſcens ingenio atque ætate florens Sodalitatē CIↃ.IↃC XII.

Compendium humilium exemplorum.

compluribus id genus facinoribus illustrauit. Frequens erat in Xenodochijs, ægris re consilioque præsto aderat, rudes Christiana doctrina imbuebat, præmijsque ad discendi alacritatem & certamen inuitabat, nudis detractum sibi indusium inijciebat; vilissimi cuiusque pedes lauabat; atque illis de causis petulantium adolescentium ludibria hilari animo excipiebat; pro ridiculo atque oblectamento alijs esse gaudebat, dum inde Deo honos aliquis accederet. Inciderat forte in aniculas duas, & miserabilius est. cæcas magna inter se vi armis suis, hoc est, maledicentia concertantes, odioque implacabili mutuam in se perniciem meditantes; eas tam placidas reddidit Humilis orator, vt in gratiam simultate posita mox redierint. Quam vt amplius firmarent vtramque manu prehensam ad templum Societatis deduxit, seque curiosè spectandum in publico, & æqualibus prolixè ridendum præbuit. Alia eiusdem demis-

missionis exempla de Michaële A-
yatumo supra memorata sunt, cuius
vitam in *Alphabeto Christi* Monachij
edito CIↃ IↃCXIX. fusè descriptam
lector inueniet.

XVII. Hæc è Sodalibus eluxe- *Doctores*
runt Humilitatis insignia specimina. *Humilitatis.*
Quæ illi à CHRISTO vsque ad crucis CHRISTVS.
ignominiam abiecto, quique se *op-*
probrium hominum & abiectionem *Psal.* 21.
plebis dixit, & hanc ex se disci virtu- *Matt.* 12.
tem voluit. Secuti sunt illi ducem hu-
ius viæ ad cœlum inoffensæ patro-
nam suam Virginem MARIAM, quæ MARIA.
titulum HVMILIS ANCILLÆ cum
BEATÆ titulo commutauit. de cuius *l.* 1. *à c.* 1.
submissione plura Arias. Quæ tan- *ad* 7.
ta fuit, vt eius contemplatione So-
dales meritò debeant ex animo om- *B. Virginis recordatio humilitatē ingenerat.*
nem superbiam excludere. Ita Fri-
burgi quidam Sacellum Virginis in-
gressus, ità post preces fusas animo
mutatum se sensit, vt formam corpo-
ris cultumque nitidiorem, quibus CIↃ. IↃ.
antea superbus quorumuis monita XCIX
aspernatus fuerat, penitùs attriturus

in lutum ſe gregalibus ridendum abiecerit. Hanc ergo & nos intueamur *filij ancillæ* & vanos ſpiritus, inanemque mentis tumorem compeſcamus; nam Aliter ad Deum non itur. *Videte magnum miraculum*, ait Auguſtinus; *altus eſt Deus; erigis te, & fugit a te: humilias te, & deſcendit ad te, quare hoc? quia excelſus Dominus & HVMILIA reſpicit, vt attollat: ALTA, id eſt, ſuperba de longè cognoſcit, vt deprimat.* Leuari volumus? deprimamur. Sed iam ad eos actus qui propius ad Deum deducunt veniamus.

ſerm.175. de Temp.

CAPVT II.

SODALES ORANDI STVDIO EXERCENTVR.

QVantum ad omnem virtutem adiumenti afferat interior quædam cum Deo familiaritas omnes Aſcetices Profeſſores copiosè docent; & ratio ipſa apertè conuincit.

cit. Si enim eorum plerunque mores imitamur, quorum consuetudine vtimur, quàm sanctis eum moribus præditum esse oportet, qui Deo frequenti commercio conuiuit? Hinc & nostri Sodales eam integritatis tuendæ rationem tenere student.

I. Ac primum quidem eas preces, quas ore fundimus, quotidianas statasque dicunt ex legibus; quibus vltro alias adijciunt, easque genibus nudis aut brachijs expassis sæpenumerò relegunt. Exempla passim obuia sunt, & à me sine fastidio inculcari non possunt. Quantam verò eorum orationes vim habeant, sequenti libro ostendam. *Vocales orationes recitant.*

II. Trium tamen hic mentionem omittere non debeo. Cùm Sodalis quidam Brunensis preces vespertinas in templo solueret, iámque illud Virgineum melos, quo diuina in se beneficia collata deprædicarat olim B. Virgo, secum occineret, tam ardenti in Deum flamma succensus est, vt non ante quieuerit, quàm in nemora sola *An. CIↃ. IↃCVIII.*

ſecederet, in quibus totum biduum cibi ſpotúſque oblitus inter pias preces ac meditationem rerum diuinarum inexplicabili mentis voluptate traduxit.

Anno 1609. IX. III. Alter in eadem Morauia penè puer Olomücij moriens oſtendit, quantum referat, in viuis operam precibus impendiſſe. Auctor Alphabeti ſic rem commemorat. *Ex infima Grammaticæ diſcipulus erat: qui quod* Officium *Beatiſſimæ Patronæ ſuæ integris viribus recitare frequens conſueſſet, id in ſua quoq; inualetudine faciendum multo magis putauit, vt qui morti propior eſſet & mercedi: legere ergo ſuo more preces Marianas dum vult, clauduntur oculi, & ille ad Sodalitium Diuorum auocatur, pertinaciter adeo intra digitos hærente libello, vt (quod ei commodè extorqueri non poſſet) cum eodem articulis ſic impedito, ceu teſſera ſuæ in Deum & Virginem pietatis fuerit ſepeliendus.* Has videlicet Sodalium Inferias eſſe decet.

IV. In-

IV. Ingolstadiensis quidam con- *Anno* CIↃ.IↃ LXXVIII.
suêrat horarias preces Virgini sacras quotidie dicere. Huic aliquò iter erat. deliberat ergò, velítne easdem preces porro dicere, an ob itineris incommoda in præsens omittere. prius illud animo sedit, quod Magnæ Matri obsequium gratius, quò difficilius futurum speraret. It equo; dicit quotidie. Die vno nescio an tædio, an aliâ causâ, intermittit; vel verius breuioribus *Rosarij* commutat. *Neque proposita bona impunè semper omittuntur.* Sed dum pergit, cum equo in paludes easque angustias deuenit, vt nulla ratione ex eo se periculo emergere, neque certum consilium, in metu vsque attentus capere posset. Tum subito ea illi cogitatio incidit, erroris causam precum solitarum neglgentiam fuisse. Constituit ergo apud animum suum, perpetuum illud officium Virgini, quasi pensum quotidianum præstare. Vix ita proposuerat, cū ecce tibi ipse equúsque sine difficultate euadunt; modum tamen neque explicare, neque

ipſe cognoſcere potuit; vt ſaltem id noſſet, Beatam Virginem tempori Sodalibus ſuppetias venire, ſi ipſi ab ea longius non abeant.

V. Nec mirum eſt Sodales ad orationem, cum in mala inciderunt, velut ad remedium certum confugere, cum in ea bona omnia ſita ſint. Vnde Dæmon inuidiâ hominum omne ſuum ſtudium eò confert, vt orationem interturbet. Quare conniti debent omnes, vt ne tam præſtans auxilium ſibi patiantur è manibus eripi. Quod añalibus Dilinganis quidam inſigniter prçſtitiſſe perhibetur. *Fuit, qui media de nocte precibus fun-*
CIↃIↃ LXXX. *dendis incumberet. Hoſtis bonorum genius malus indigne videlicet tulit votis inuigilantem: atque vt tranſuerſum ageret Palæſtritam, felium gregem inuicem raptantium gannientiumque repræſentauit: mox in puellam venuſtiſſimā transformatus ad vetita blandimenta eſt lenocinatus: noſter rudem Sanctæ Crucis decuſſatam prætendit, eoq; ictu terga vertere coegit. Impuriſſimum*

ſimum lenonem. faceßiuit is quidem; ſed pro Impudentia redit priſtinasque feles obijcit. Adoleſcens aliud expedire genus armorum & intonare ſalutem Angelicam, quibus vocibus mirmillo ſtygius adeò territus profugit vt retiarium ſuum de cætero nunquam auſus ſit inquietare. Hæc illi.

VI. Aliud precandi genus eſt cogitationes crebrius ab humanis ad diuina attollere, & vt cautæ aues oculo ſemper vno cœlũ intueri. Quod in primis fit, cum operationes noſtras Diuino Honori conſecramus, cum quaſi iacula quædam è pectore breues preces intorquemus, cum è rerum creatarum occurſu veluti gradibus quibuſdam ad Deum aſcendimus. Hoc habebat Tho. Vduardus Anglus miro animi candore ac ſubmiſſione Iuuenis, ſtudio piètatis apprimè deditus, vt è literarum ſtudijs ad pietatem ſemper aliquid transferret, exemplo ſit vnum quod memorabo. Cum Logicus eſſet, Syllogiſmorum formulis concinnandis ma- *Breui precatione Deo ſua negotia dicant.* *Anno* CIↃ. IↃ XCII.

teriam piam ſubijciebat, ſimul ad vſum diſputandi parandum, ſimul ad mentem excolendam. Talis fuit ille Syllogiſmus.

Sempiterna vita ſempiterno, ſi fieri poſſet, labore eſſet emenda
Paradiſi gloria eſt vita ſempiterna.
Labore igitur, ſi fieri poſſet, eſſet emenda ſempiterno.

Qui talibus cogitationibus vitam tranſigunt, eos ſanctiſſimè vita defungi neceſſe eſt. Ita & hic reliquæ vitæ ſimilem clauſulam habuit. Nam extremo illo tempore bis alto quodã mentis exceſſu abductus eſt à ſenſibus: vt ad ſe redijt, viſum ſibi eſſe ſuum Angelum Tutelarẽ, & S. Thomam Apoſtolum affirmauit, qui ſe in amœniſſimos locos.

Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas deduxerint, vidiſſeque ibi talia, quæ plus verbis hilaritate pleniſſimis, deſiderio cœli, in Deum amore, quam propria narratione explicabat. *Sic pietas ad omnia vtilis eſt.* 1. Timot. 4.

VII. Referam adhuc vnum illud è quo

è quo diſcere poſſimus, profana quoque in ſacra tranſmutari poſſe, ſi bonus animus artifex accedat. Craconiæ primarius quidam Academiæ Profeſſor ſibi in ſomnis viſum eiuſcemodi obiectum retulit. Vidit nomen Auctoris profani, quem eo ſemeſtri Auditoribus ſuis prælegebat, aureis & magnis literis deſcriptum, & in altari quopiam auguſti Templi ſuſpenſum. Facili coniectura aſſequi poſſumus, quid viſum portenderit. Solitus enim fuerat principium ſtudendi docendique à Deo & B. Virgine facere, eorundemque honori eruditionem ſuam dedicare. Nimirum profanorum quoque auctorum tractatio æſtimationem ſuam apud Deum habet, ſi vt olim *Ægypti ſpolia*, in religioſum vſū ſcripta profana conuertuntur. Sic ſomnum capere, cibo potuque vti, honeſtis oblectamentis curas diſpellere, precio ſuo non caret, ſi bona mens id genus actiones Deo deuoueat. Quare par eſt diligentem omnes

Quantū ea pietas proſit.

CIↃ. LↃCX.

nes

nes in hoc genere operam ponere, vnde tot tantasque opes animi reportent.

Meditatio rerũ piarum magnam vim habet.

VIII. Sed inter omnes preces excellunt illæ, quæ meditatione inflãmantur. Cum videlicet è re quapiam certâ cognitâque, discursu rationis sensim ad rem aliquam occultam eruendam cognoscendámque peruenitur, siue id fiat è caussis effectus deducendo, siue contra ex effectibus ad causas rimandas penetrando, siue oppositorum comparatione, alterius seu honestatem seu turpitudinem deprehendamus, siue alijs denique modis in veri incogniti notitiam deducamur. Quibus rebus fit, vt vitiorum fæditatem quasi intra viscera abstrusam meditando in lucem proferamus, iamque eius nos pigeat p[illegible]deatque & toto animo auersemur: contrà virtutem, quam sicuti acerbam refugeramus, nunc facilem iucundamque experiamur, penitusque complectamur. Interponuntur vota ardentia, quibus auxilium à cælestibus

bus expoſcitur, ſeu ad vitia deſerenda, ſeu ad virtutis viam fortiter ineundam, vel aliud aliquid impetratur. Sed de toto hoc meditationum opere Ludouicus de Ponte & Domitius Platus Societ. IESV præclarè multa ſcripſere; meliuſque experiendo, quam legendo perdiſcitur.

p. 1. medit. & p. 1. Ducis ſpiritualis.

IX. Sodalibus ex lege quadrans horæ in eo ſtudio expendendus eſt, cum ſacris epulis accubuerunt, vt in præſentis hoſpitis amorem meditando ingreſſi, quæcunque ſaluti ſuæ commoda aut neceſſaria ſunt in ea luce intelligant, atque ab illo amore conſequantur. Et nimium præſtat eo temporis articulo hanc precandi rationem ſectari, quàm è libro alienos affectus proferre. Nam noſtra vt à radice interiore procedunt, ita ex animo dicuntur, & penitius in animum demittuntur, quàm aliena.

De Paſſione Domini. Poſt Cōmunionē Sodales meditantur.

X. Multis quoq; in Sodalitijs vſu receptum reperio, vt in ipſo conuentu materiam propoſitam horâ vnâ vel dimidiâ commententur. In Ingol-

Alijs quoq; tēporibus. An. CIↃ. IↃXCI.

golſtadienſi vltimo biduo quadragintadialis Ieiunij horis diurnis ad Chriſti ſepulchrum precaturis, prius à Patre quopiam materia meditandi de cruciatibus Domini in certa capita diſtributa explicataq́; eſt; quod conſequentibus dein annis aliquandiu factum inuenio.

De Exercitiis ſpiritualibus.

XI. Verum diuturnior quidam receſſus tempusq́ue ad meditandum ſepoſitum (*Exercitia* vocant) pluribus ſaluti fuit. Nam cum præteritorum annorum errores relegunt, penſiculatius criminum grauitatem pœnaſque penetrant, veſtigia retro referre, aliam vitæ viam, qua Deus inuitat, qua Chriſtus ducit, diſſimiles ſui ingredi incipiunt; tanta morum mutatione, vt ſpectatoribus admirationi multiſque exemplo optimo fiant. In re quotidiana vnum adferam. Cordubæ quidam à pietatis ſtudio vehementer abhorrens animo diuinitus mutato, cæpit velle ſaniora conſilia meditari: Cum igitur in domum Societ. Iesv quaſi in ſecretum

Quo fructu ſuſcipiantur.
An. CIↃ. IↃXCVII.

tem-

templum feceſſiſſet,ſacraque exercitatione animum acuiſſet, & ad virtutem omnem incitaſſet, conſtanter poſtea cæptam bene viuendi rationem vrſit, dum ei vita fuit. Frequens Noſodochia adibat, omniaque ægrotantibus officia prꝗſtabat;in orationis ſtudio intentus erat; ter quaque hebdomade corpus flagris acriter cædebat; ieiunio ſibi indicto ad inopes reficiendos aliquid comparcebat. Ipſius exemplo monitiſq; domeſtici omnes vitæ totius culpas exomologeſi expiarunt. Videtur vitam breuem compendio maximis factis aliorum æuo æquiparare voluiſſe. Nam lapſus in morbum cum paulo poſt è vita migraturus eſſet,domeſticos ad ſe accerſitos manu prehendens, magno diuini honoris tuendi ſtudio obteſtatus eſt, ne vnquam vllo ſe peccato mortifero obſtringerēt. Morti proximus magnam cum infernis accuſatoribus viſus eſt altercationem ſuſcepiſſe; iam illorum reſpondere accuſationibus, crimina

na partim refellere, partim fateri, sed diuinæ misericordiæ iura obtestans, iam ea rite expiata dicere. Ad extremum modica interposita quiete Angelum custodem salutauit, & sicuti brachia collo eius circumiecturus, in eo conatu expirauit: cum & diem & horam, qua ad Dominam suam (ita loquebatur) proficisceretur iam antea prædixisset. Quis non videt tam felicem abitum, ab illo virtutis primo ingressu instructum fuisse?

XII. Ac mihi quidem consimiles morum mutationes ex eo secessu institutas contemplanti, in mentem venit causam tanti effectus aperire, vt auidius ad eam Exercitationem conuolent, quorum animus generosiore impetu humi iacentem vitam superuadere, Deoque se dignum effingere concupiscit. Supra iam causam vnam, alteram attigi; quod nimirum cum Deo familiaritas quædam maior necessitudóq; ibi intercedat, è qua non possit non mens collustrari & sanctis ignibus inflammari; deinde

Cur Exercitia animos tantopere immutent.

1.

inde quod rerum omnium eam vilitatem intueri queat, quam facile despiciat, amoremque suum ab illis abstractum ad Deum, cuius infinitam præstantiam vsu atque consuetudine propius nosse incipit, transferat. 2.
Quod se virtutis pulchritudo atque sincera iucunditas ibi aperiat; vitiorumque turpitudo & molestissimi aculei in lucem ac conspectum proferantur. Quo fit vt virtus probè cognita nullo negotio ad se trahat; & vitia remoto falsæ voluptatis velo prodita, horrore sui abs se cautiores absterreant. 3.

XIII. Sed illa potissima caussa mihi videtur, quod Devs optimus *diuitias bonitatis suæ* extenta manu mortalibus passim porrigat: Ea tamen contra nostra negligentia est, vt dici non possit, quantum quotidie damni faciamus, dum clauso pectore diuinam beneficentiam excludimus. Pauci toto sinu Deum accipiunt, & cælestibus se donis collocupletant. Enim verò si vnquam vllum tempus est, 4.

est, cum se animus cœlo dilatat ad eius opes capiendas, illud est, quo à curis alijs liber Deo vacat. Hic se diuina liberalitas vbertim infundit, capacemque mentem sanctissimis votis ipsoque adeo Deo complet, vnde alacris ad pia, veluti secundo vento, inferatur. Tunc illud dicit, quisquis

l.10. Confess. c.28. ille est, quod de se S. Augustinus: *Cum inhæsero tibi ex omni me, omnino nusquam erit mihi dolor & labor: & Viua erit Vita mea, tota plena te.* Et *quoniam, quem Tu imples, subleuas eum; quoniam tui plenus non* eram,

c.27. *oneri mihi* eram. Et paulo ante: *Vocasti & clamasti, & rupisti surditatem meam. Coruscasti, splenduisti, & fugasti cæcitatem meam. Fragrasti, & duxi spiritum, & anhelo tibi. Gustaui, & esurio & sitio. Tetigisti me, & Exarsi in pacem tuam.* Hæc ibi fiunt, & miramur alios inde prodire, quàm eò se receperant? Fabulæ memorant certis herbis nescio quem acheruntiсum senem Iuuentuti restitutum. Verè hîc plures senium exuêre; caloreque

reque diuina excocti lætæ Iuuentæ redditi sunt. Hic curuæ in terram animæ, *os sublime* gerere *cœlumq; tueri* doctæ sunt.

XIV. Denique mihi animus corpusque nostrum, vti vitæ consortio, ita morborum iactatione ac cura congruere videntur, cum corpus prauis humoribus diffusis lāguescit, neque cibo neque potu recreatur: literæ, colloquia, negotia omnia illi fastidio molestiæque sunt, languere tantum & nihil agere placet, & hoc ipsum adeò iniucundum est. At vbi cursu aut iactu disciue pilæue redundans humorū copia extenuata, corpore eiecta est, tum verò ciborum appetentia redit, delectant studia nos nostra, iuuat colloqui, tractare negotia, denique tunc viuere nos experimur. Ita cum animum prauæ libidines affectionesq; distortæ obsederunt, deijcitur ille & luxu affligitur, vt se tollere ad diuinas res tractandas nequeat. Cum pia audienda, dicenda, cogitanda, incredibile fasti- 5.

Animus cupiditatibus suis languet.

faſtidium : ſacris epulis ſine guſtu quaſi inſipidis accumbit. virtutum exercitatio Herculeus labor creditur : quid multis? Fractus ac diſſolutus, ſibimet diſplicens iacet. Hic vbi ſe ab illo ſuo tumultu & faſtidioſa iactatione recepit ad illam quietem, principioque leuem vim ſibimet intulit, & repetito mentis per pia diſcurſu, aliquandiu ſe exercuit, mirum dictu eſt, quam mox alia omnia velit ac ſentiat. Precari, loqui, commentari, legere, audire ſacra, minime arduum; ſemet frangere, excutere, expiare, iucundum eſt; Euchariſtiam ſumere, Deo ſeſe dedere, in illo hærere, voluptati eſt; denique iam verè viuit, & veterno excuſſo totus alacer eſt.

Exercitiis releuatur.

XV. Hæc ſunt illa bona, quæ ſtudium illud, ſi benè colas, in ſe continet. Cuius vim nemo verè ac perfectè æſtimare poteſt, niſi eo ſe ipſe exerceat, inquit Canarienſis. Inde mirabiles morum vitæque totius mutationes extiterunt, tantumque lumen vi-

Exercitia vſu

viuendi accenſum eſt, vt Bartholomæus Torres Epiſcopus Canarienſis *teſtatus ſit Deum, triginta annis, quibus verſatus ſit in ſtudijs Sapientiæ, & permultis, quibus Theologiam docuerit, nunquam ad ſuam vtilitatem didiciſſe tantum, quantum ſe Exercitia paucis diebus docuerunt. Ac neminem ſibi cognitum ait, qui non pietatis magnum inde profectum retulerit, palamq; prædicaret, nihil omnino è mortalibus rebus ſe voluiſſe ijs antelatum. Atque vtinam* inquit, *quanti eſt ille theſaurus tanti æſtimare poſſemus.* Vnde merito PAVLVS III. Pontifex Maximus plurimum *hortatus eſt in Domino omnes & ſingulos vtriusq; ſexus Chriſti fideles vbilibet conſtitutos, vt tam pijs documentis, & Exercitijs vti, & illis inſtrui deuotè vellent.* Sed de hoc ſatis ſuperque dictum eſt: plura Nicol. Orland & Ludouicus de ponte memorat, quæ non exſcribo, cum in multorum manibus verſentur. Nunc ad inſtitutum reuertor.

tantum cognoſcuntur. Nicol. Orlan. in Hiſtor. Societ. l. 13. n. 35.

In Bulla Exercitiorum libro præfixa.

In Hiſtoria Societat. in Vita Balth. Aluarez c. 42.

XVI. Sodales itaque & rationi-

aliisque suis opusc. culis. bus eiuſcemodi & exemplis quotidie ob oculos poſitis ad hoc orandi genus vehementer accenduntur. *P. Spinellus de B. Virg. c. 40. n. 16.* Neapoli ad oblatorum Clericorum Sodalitatem nemo admittitur, niſi qui diebus aliquot prius animum illis ſtudijs excoluerit. Alij ad præfecturas gerendas pro officij dignitate ſibi hinc adiumenta neceſſaria petunt. Nemo denique eſt, qui diuinis caleſcere cupiat, quin ad hunc ignem accedat, atque inde ignem accendat ſuum.

B. Virgo præcipua Exercitiorum Magiſtra. XVII. Quod eo libentius alacriuſque præſtare Sodales omnes debent, ſi B Virginem MARIAM horum Exercitiorum auctorem, iiſque olim vſam fuiſſe cognorint. Rem commemorat P. Ludouicus de Ponte, cuius *in Vita P. Alua. rez c. 43.* nomen ſcriptis celeberrimum facile fidem conciliat narrationi. *Ex multis*, inquit, *perſonis, quibuscum de rariori ac ſublimiori quodam precandi ſtudio tractare ſolitus ſum, quædam fuit, cui Deus Deiparaq; Virgo ſingulari beneuolentia fauere, cæleſtiaque dona*

dona impertiri consueuerunt. Cuius ego dictis eam fidem habeo, quam vlli homini veracissimo, absq; falsi formidine habere possum. Ea itaq; in hunc modum mihi memorabat. Anno seculari cum Patres Societatis à negotijs tractandis ad otium illud se seducerent, mihi quoq; in mentem venit, dies aliquos sumere atque domi meæ in eadem me studia abdere. Cum itaque prima luce meditationi rerum diuinarum me dedissem, repente cõspicor è Cælitibus vnum quendam oris maiestate insignem; isq; adeo ad me ire visus est. Obstupui: ille se Gabrielem Archangelum dicere, missum à Deipara, vt mihi salutem ex se, aliaq; nonnulla nunciaret. Ego, quæ me nossem tali nuntio indignam, erubui & blandæ salutationis insidias vereri cœpi; atq; ne in fraudẽ imprudens illicerer, rogaui, &: Sine, inquã si tibi videtur, me prius, vti cœperam, Deum super ea re consulere. Annuit is perlubenter meaq; trepidatione delectari visus est: vt iam ex eo

insidiarum suspicionem ponere cæperim. Solent enim si qui sunt tenebriones Genij lucis diuinæ censuram calidè euitare. Illo igitur omisso, pergo Deum obnixè precari, ne id ostétum mihi fraudi foret, néue aliquid accideret, quod Deus nollet. Interea quietem animo rediisse, & vera Legatum dicturum, promitti mihi diuinitus sentio. Accido igitur ad genua, & ad audiendum modestè me compono. Tum ille: Quod rebus pijs, inquit, comentandis Deique in te merita, eiusque Maiestatem meditatione altius perspicere instituisti; id vero Reginæ cœli gratissimum est; idq; sibi abs te obsequium deferri vehementer laudat. Nam se eorum Exercitiorum ait Auctorem ac Magistrā fuisse: adiuuisse enim ac docuisse Ignatium, vt ea in hunc modum fierēt; atq; vt is vellet, se impulisse: imo cum inter mortales vitam ipsa ageret, hoc se præcipuè orandi studio vitam traduxisse confirmat. *Hæc Gabriel perſonaliter, illa mihi retulit, quam si benè noui,*

Humilitas optima visorum exploratrix ac testis. Vide S. Tho. 2. 2. q. 171. a 5.

B. Virgo Exercitiis . . . ipsa.

noui, fallere noluisse; si rem, vt gesta est exputo, deceptam non fuisse certo affirmare possum. Hæc Ludouicus. Habent itaque Sodales Exercitiorum auctorem patronam suam, vt vel hoc nomine, si alia deessent, magni ea facere, amplecti, atque eo officio Magnæ Matri obsequi velle debeant. Sed nunc alia videamus.

CAPVT III.

CONFESSIONE PECCATA EXPIANT.

PEccatorum frequentem expiationem, & sacræ Eucharistiæ cõmunionem præcipua ad vitam sanctè traducendam adiumenta esse omnium iudicio comprobatum est, vt in ea re confirmanda nihil mihi laboris sumere debeam.

I. Ob eam rem è legum præscripto singulis mensibus, & plus eo mysteria illa obire Sodales soliti sunt. Multi vsum eorum nequeunt in mē- *Quoties Sodales confiteantur.*

ſem producere, ſed vel quinto decimo quoque die, vel etiam octauo ſeſe culpis exonerant. Sic Madriti mille Sodales octiduana Exomologeſi quamplurimos Sacerdotes occupatos habent. Alicubi vt ab omnibus id fiat, legibus proprijs ſtatutum eſt.
An. CIↃ. IↃCIX. Brugenſes in Belgio à R. P. Prouinciali Societatis IESV expetiuere, proque ſingulari beneficio accepere, vt ſibi quouis octiduo liceat conſcientiæ onus deponere.

An. CIↃ. IↃCII. II. Græcenſes vt id omnes factitarent lege quoq; ſanxerunt. Quam cum Sereniſſ. CAROLVS Archidux perlatam intellexiſſet: *Si omnibus*, inquit, *ea cura incumbit, par eſt vti me eximium non habeam; ſed quos lex in tam ſanctum opus deducit, eos vt ego meo exemplo pariter vrgeam cõuenit.* Quis ire recuſet, vbi tales Duces præeunt?

III. Habuerunt ſubinde alios
CIↃ. IↃ XCII. quoque monitores officij ſui Sodales. Petrocorij in Aquitania quidam ipſos tres & viginti annos quotidie

co-

corollam Virgini Matri precando pertexebat; eiusque ferijs sacra mysteria obibat. Omiserat forte negligenter die quodam eum morem: cũ nocte dæmon inuasit hominem & raptare cæpit; adfuit extemplo clienti suo Patrona Virgo, atq; in contrariam partem retraxit castigatore importuno reiecto. *Benigna,* inquit historiæ Auctor, *quod inimicũ à suo cliente repulit: fortasse benignior, quod inimicum in clientem immiserit: nam eo terrore in eius animo magna diligẽtia, constantia, pietatis, cæterarumque virtutum semina excreuerunt.*

Vrgentur Sodales terroribus ad cõfeßiones.

IV. Eundem monitorem, eandẽ patronam habuit Sodalis Diuionensis, qui grauioris culpæ conscius, verbera conscientiæ negligere videbatur. Adfuit enim hostis, rapereque ad inferos visus est; adfuit & Virgo vocata, suumq; hunc clientem asseruit; si tamen ab eo peccati genere immunem se inposterũ seruare vellet promisit; abiecit periculosum onus, totumque Virginis cultui se addixit.

An. CIↃ. IↃCVIII.

V. Alijs Confessionis auctores beatiores fuere. Madriti è Sodalium numero vnus aliquis morbo decumbebat, vt eius iã deplorata esset salus: nec tamen Sacerdotem, cui errata sua exponeret, accersendum curabat, veritus credo, ne molestus esset. Huic noctu visum eiusmodi oblatũ est. Vidit quamplurimos è Beatorum numero supplicantium ritu procedentes, ducente agmen Petro Apostolorum principe. Ægri complures adducebantur ab isto pro potestate sanandi: sed eum ad eum ventum fuisset, qui hæc spectabat: *At istum*, inquit, *prætereamus confessionis negligentem.* Hoc viso excitatus protinus conscientiæ arbitrum accersi iussit, peccatisque expiatis paulo post cum omnium admiratione meliori valetudine vti cæpit: postquam videlicet interiores morbi causas reiecit.

VI. Vt Virtus etiam post funera viuit, ita Monitores quoque mortui
CIↃ. prodesse student. In Menensi oppi-
IↃCXI. do Siciliæ Sodalis quidam & ad conuen-

uentus, & ad diuina myſteria obeun-da tardior ceſſatorque eſſe cœperat; atque à religione officij ſenſim de-clinauerat. admonet hominem fre-quenter Præſes Mariani Collegij, ſti-mulisque ad officium vrget acriori-bus. Sed quid facias veternoſo? non plus proficit, quam qui ſurdo fabu-lam narret. Maiore vi excitādus fuit. Nocte quadam viſus eſt ei Sacerdos è Societate IESV iam olim vita & mu-nere Sodalitij huius dirigendi defun-ctus, ante oculos adſtare, ſegnitiem-que grauiter exprobrare. *Nempe tu impune*, inquit, *tibi negligenti eſſe lice-re exiſtimas? falleris miſer. iam nomen tuum ad Magnam Matrem delatum eſt: ab ea pœna tibi imminet, niſi Soda-lium officia poſthac facere, non nomen tantum inane eſſe velis.* Somnium ille viſum id credidit, & pro ſomnio, id eſt, nihilo habendum. Sequenti ta-men nocte eadem ſpecies obiecta, minæ grauiores additæ. Sed & hæ ventis ab illo creditæ; & maius apud ipſum pondus inolita ſocordia ha-

buit, quam ſuperna monita. Tandem tamen repetitis ſpectaculis fidem habuit, & à mortuis viuere didicit.

An. CIↃ.
IↃXC. VII De tota vita retexenda Sodalem Neapolitanum admonuit Virgo Sanctiſſima, ea ipſa forma ſeſe videndam offerens, qua cernebatur in Sacello Sodalitatis. Sed maiorem admirationem parit, quod Franciſcus Bencius alicubi memorat eueniſſe alteri Neapolitano Sodali. *Occultabat*, inquit, *aliquandiu, in magna exiſtimatione pietatis, admiſſum ſcelus, ſeu patefacere differebat: nec licebat rem facere, quodlibet lucrum domeſtica impenſa deuorante. Die quodam operanti intentius, interuenit homo ignotus, habitu peregrino: ab inuiſenda Virgine Lauretana, cuius & imaginẽ inſuerat in veſtem, videbatur regreſſus. Tum arrepto inſtrumento artificij dat anſam mutui colloquij; eo procedente.* Iamdiu, *inquit*, animi angeris, & tectum quoddam facinus, quod premis, accendit intus dolorem tuum. Quin promis illud confeſſione,

vt

vt omnia tibi optata contingant? Quod si facere omittis, næ tibi tuisque rebus haud paulo deterius erit, quàm prunis istis (*aderant vt mos est opificibus in foculo prunæ*) ardentibus concepto igne. *Tum artifex pudore suffusus, negare tale quicquam sibi esse.* Noli culpam augere, *inquit alter,* apud scientem. Hæc me ad te misit: *simulq; imaginem Lauretanæ Virginis ostendit. Nec moratus plura, discedit, & relinquit hominem attonitum, omni contatione differendi Consilij exempta.* Ita Bencius de congregat. Neapolitana. Rem gestam ipse, cui euenerat, alijs ante narrauerat.

VIII Neque tantum hortatrix ad peccatorum exomologesin, sed adiutrix quoque fuit Mater Purissima. Cum enim Monachij Sodalis penetralia animi sui quàm diligentissimè perscrutatus fuisset, ne qua labes sibi inscio adhæresceret, quam Sacerdoti non ostenderet, vt nostra oculis lippis facilè peruidemus, rogauit Deiparam, vti eius be- An. CIↃ. IↃLXXX VI.

neficio ſibi fas eſſet, peccata omnia confiteri, neq; vllum notitiam ſuam effugeret. Audit rogantem integritatis Magiſtra. Ecce tibi è ſublimi ante os precantis pagella decidit candore eximio, quæ minutis elaboratiſque literis quoddam illius peccatum expreſſerant: adiecit, ſi id aperiret, Roſariumque perlegeret, bono loco res ipſius futuras. Auxit miraculum, quod, cùm Sodalis alter eius æqualis, parens, parochus alijq; conarentur, nunquam chirographum illud intelligere potuerunt.

XI. Poſſem hic nnumera cōmoda quæ è culparum frequenti expiatione proficiſcuntur, in medium afferre, ſed in re inculcata morari non placet. Illud rarius eſt, ob quod merito id ſtudium amare debeant literarum ſtudioſi, quod intellectui lumen quoddam accedat. Rem vnius experimento teſtatam faciam. Taurini Adoleſcens boni alioquin ingenij in literis vix quicquam proficiebat, tametſi labori atque induſtriæ nihil

Confeſſio ingeniū acuit.
CIↃ. IↃCII.

nihil parceret. Iamque ea quoque, quæ hauſerat effluere, & in dies res eius retro referri videbantur. Admonuit eum Magiſter, vt rationes cum animo de omni vita ſubduceret, cõſcientiæque ſuæ arbitro exponeret; paruit; luſtrauit; expunxit. Inde omnem diſciplinam ita complexus eſt, ea facilitate literas combibit, vt omnibus admirationi, & ſibi ipſi diſſimillimus eſſet. Contrà nulla re magis ingenia hebeſcunt, quàm flagitiorum conſcientia; ſiue ſtimuli perpetui effodiant, quod inſeritur; ſiue animus fæditate conſperſus parum perſpicax ſit. Sed alia de confeſſione, vt dixi, ſilentio prætereo. De eo, cui noxarum noſtrarum arbitrium committimus, verbum vnum addere viſum eſt.

X. Conſtituitur autem certus vnus alterque aut plures è Societate Sacerdotes, qui confitentibus aures præbeant, præter quos ad alium accedere non liceat, niſi eius legis cuipiam graui ex cauſa fiat gratia. Cur

verò ſic inſtitutum ſit, video mirari nonnullos alios moleſtius etiam ferre. Sed ſi rectè animum volunt aduertere, id ex æquo bonoque fieri intelligent. Nam principio qui Sodalitatum erectarum finem eum eſſe, conſiderat, vt Sodales ad maiorem virtutum Deique ac Deiparæ honorem amplificandum dirigantur: facilè is videre poteſt, quam neceſſarium ſit, vt cuique ſuus certuſque ſit vitæ arbiter, atque vt eorum Sodalium, qui à Patribus Societatis reguntur, non ſit alius, quam Societatis Pater.

Certus confeſſarius deligendus eſt.

XI. Vnum certumque eſſe conuenit, qui te norit, qui morbis tuis efficacem medicinam faciat: ſanitatem non amat, qui apud multos Medicos quærit; priuſquam morbum tuum quartus quintúſue inſpexerit, perijſti. Ita qui temere per diuerſos animorum medicos vagantur, morbis vix leuantur. Vt neque Paſtores, neque Cocos plures prodeſſe aiunt. Quid enim quæris? vt & hic & hic diſſi-

diſſimulet? vt impunè apud tertium deponas, quod ad primum iterato referre non audebas? vt quartus te ad ſe primo adeuntem benignè dimittat, quem primus relabentem toties, abſoluere non poſſet? vt nemo ſciat te eadem iterare? vt peccandi occaſiones nemo præſcindat, quia nemo notat? Quiſquis talis es, arbitros quidem mutas, ſed nō animum; & ſi neſcis, rarò abſolueris; quia idem, id eſt, reus eſſe vis, atque corrigere ad ſeriam frugem animum nunquam inducis. Et videlicet palpum aut fomentum, non ſcalpellum vlceribus tuis quæritas. Seriò integritatem animi tui expoſcenti, ſit certus, qui animum perſpectum habeat, qui conſtanter morbum curet, qui remedijs mutatis experiatur omnia, vt tibi ſanitas reparetur. Quibus alia mens, illi iam prope propius perierunt. Sed in re tam certa plus dixi, quàm ſatis fuit.

Vagorum certum periculū.

XII. Eundem è Societate eligi leges iubent. Neque id verò eo dictum

Cur è Societate Iesu confessarius petẽdus.

Leg. 4. Sodalit.

ctum eſt, quod alij non ſint, qui id munus rectè obire queant. Sunt ſanè, & quidem viri non minori prudentia, rerum vſu, eruditione atque ſanctitate præditi, quàm ſint illi, è quibus optionem faciendam volumus. Verum ita comparatum eſt, vt cuiuis hominum generi ſui ſint mores, ſua non tantum viuendi, ſed alios quoque tractandi ratio. Varijs itineribus ad Virtutis faſtigiũ itur. neque quoduis cuiuis commodum, neque omnia tentanda, nec quidlibet quiuis docet. Aliter ad Deum deducunt Societatis Patres aliter Religioſi alij: quiſque quà it, non procul ab ea via reliquis ad cœlum iter oſtendit. Qua in re ſi non plenum periculi, certè laborioſum valdè eſt, de via in viam diuertere, & ex ea, quam rectè inſiſtis, in aliam abripi, bonam illam quidem, ſed à priore diuerſam. Vnâ viâ & propius itur, & minor eſt erratio. Inſtitutionis verò ac præceptorum ambigua permutatione illud quæritur, vt deſultorio motu plurimum

fati-

fatigeris & parum promoueas. Hinc ſapientiſſimè inſtitutum opinor, vt Sodales, qui ſe Societatis Patribus in rerum ſpiritualium officijs erudiendos commiſerunt, ijſdem conſcientiarum ſuarum moderatoribus vtantur: vt ea ratione & facilius & citius, quò volunt, perueniant, dum præceptorum ſimilitudine vno in itinere continentur. Iam ſi illis in omnibus alijs auſcultent, quæ ad animos excolendos pertinent; in ijſdem verò expurgandis ac perſanandis aliorum opem expetant, laborem inanem ipſi capiunt, & cultorum induſtriæ malignè reſpondent: dumque gemina via decurrere laborant, neutram tenent. Vnde conſultiſſimum factu mihi videtur, aut eundem conſcientiæ doctorem, quem Sodalium leges proponunt, ſequi; aut in reliquo vitæ genere aliorum quoque vti magiſterio. Sic enim ſecurius ibis, & Sodalitati iniuriam non facies, cum ab ea te ſegregas, cuius leges diſplicent. *Vide dicta l. 1. c. 3. §. 4.*

Verum

Verum ad alteram nunc partem, quæ de Communione eſt, tranſeamus.

CAPVT IV.

DE COMMVNIONIS *vſu apud Sodales.*

I.

DE Communione leges tria præcipiunt. Primum vt cuiuſuis menſis initio & Ferijs nonnullis illuſtrioribus diuino epulo Sodales accumbant: alterum, *vt quoad fieri poteſt, Euchariſtiam ſimul accipiant.* Tertium, *vt ea ſumpta, quartam horæ partem in precatione mentali ſeu vocali, pro ſua quiſq; pietate ac deuotione collocent.* De hoc poſtremo ſupra dictum eſt: reliqua duo hic perſequi placet.

Leg. 3. & 7. Sodal.

II. Rectè omnino præceptum eſt, vt Sodales crebrius animorum ſuorum vires cæleſti pabulo reficerent, ob præſentiſſima bona, quæ Euchariſtiæ inſunt. Vel vnius Sodalis noſtri

Frequentis com-

ſtri teſtimonio verum me alioſque, *munionis*
qui copiosè pièque id argumentum *fructus.*
pertractarunt, dixiſſe comprobabo.
Ingolſtadij quidam certo vitio irre-
titus ſic tenebatur, vt quantumuis An. CIↃ.
multa conaretur, extricare ſe inde IↃLXXX.
& penitus abſoluere nequiret, quin
ſubinde in eaſdem plagas incideret.
Induxit denique in animum à ſa-
cra ſynaxi remedium petere; Chri-
ſtumque rogare inſtitit, vti ſibi cer-
tanti vires augeret, & ab illo flagitio
totum expediret. Valuere preces ta-
li ſanguine conſignatæ. Nam proti-
nus animus vitium illud auerſari, in-
ſultus quieſcere, & adeò cogita-
tiones de eo omnes euaneſcere cæ-
perunt, quaſi per omnem vitam ab
eo immunis fuiſſet. Aſſeuerauit
idem, ſi quid præterea ſaluti ſuæ op-
portunum iudicaret, idque à Deo
in ſacro illo conuiuio poſceret, ſi-
mul Beatiſſimæ Virginis ope implo-
rata, voti ſe ſemper compotem fieri.
Neq; admodum mirum id videri po-
teſt conſideranti hoc myſterio Gra-
tia-

tiarum omnium perennem fontem
Exempla contineri, vnde haurire poſſis, quic-
CIƆ. IƆ quid boni deſideras. Quin corporis
LXXXIV. quoque fami ſitique diuinam eſcam mederi multis experimentis conſtitit. De ſiti vnum in Dilinganis annuis ſic refertur. *Vnus quidam ſeptem omnino ſpatio dierum à potione abſtinuit: Denique ſiti prope enectus conſcientiam de more Sodalium apud Sacerdotem emaculat, ſynaxinque ſacratiſſimam percipit, cùm omnem ſenſit bibendi orexin illico reſtinctam; & id boni cecidiſſe ſibi deuinitus arbitratur.*
Ioan. 4. Non vanè: ex *Aqua* enim *Viua* quis
v. 10. ſitim non reſtinguat?

An. CIƆ. IƆCV. III. Hinc ſapienter omnino faciunt, qui tanti theſauri occupandi occaſionem abire nullam ſinunt. Qua in re laudandi ſunt Panormitani, qui ſtipendio certum Sacerdotem conduxerunt, vt quotidie diuinis operetur; & verò dies nullus abit, quin vnum aliquem eius epuli participem quoque faciat.

An. CIƆ. IƆCV. IV. Subinde negligentioribus in

eo

eo ſtudio, diuinitus ſtimuli admonentur. Id Chilenſis quidam Sodalis expertus eſt. Is namque ſolenni quodam die, quo erant omnes Euchariſtiam libaturi, nauſeabundo ſimilis, nulla illius appetentia inuitabatur; adhærebat fortè tum lateri domus cuiuſdam, cum vocem ſibi audire viſus eſt, quæ, vt aliquantulum ab eo loco, in quo erat, abſcederet, admonebat. Seceſſit ille tantiſper, continuoque tota illa domus pars corruit, cui ipſe adſtiterat; qua procul dubio, ni voci paruiſſet, obrutus fuiſſet. Qua re propè extinctæ ſuæ pietatis ac religionis admonitus, ad confitendum cum multis, communicandumque acceſſit, nec ſine præcipua quadam animi voluptate, quod tantum periculum beneficio Sodalitatis euaſiſſet; tantoque quòd periculo ſapere didiciſſet.

V. Enimverò qui inde fructum aliquem percipere cupiunt, illi animos ſuos veluti ad ſatus accipiendos curâ diligenti ſubigent. Nihil enim *Præparatio animi præmittenda.*

æquè

æquè officit diuinæ segeti, quàm culturæ negligentia: & haud scio an non maximè irascatur Deus, cum tam bonum semen tam neglecto agro committitur, quem etsi optime exercuisses tali semine indignus fuisset. Hinc videas complures à frequenti Eucharistiæ vsu nihilo meliores fieri, quam si ad profanam mensam accubuissent. Quod iàm olim nos admonuit S. Paulus: *Probet autem*, inquit *se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit; non diiudicans corpus Domini.* IDEO *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiūt multi.* Quem tametsi de morbis & morte ex indigna sumptione consecutis rectè interpretentur; de animi tamen morbis & torpore non malè accipimus. Quæ autem animi præparatio adhibenda sit facile aliunde cognoscent. duas præter cæteras attingam.

Quare fructus multi destituantur.

1. Cor. 11. V. 28. 29. & 30.

Cornel. de Lap. in eum locū. Vide Franc. Costerū. lib. 1. Inst. c. 5.

VI. Prior est, vt corporis aliqua casti-

castigatione animus ad delicias præstantiores auocetur. Hinc alij pridie flagris se cædunt; alij tunica molesta se affligant. Creberrimum est, & apud plurimos vsu receptum, vt spe melioris saginæ pridianum ieiunium sibimet indicant. Hoc in vltimis terris consuetum inuenio. Nam in Peruuio Chitensium Sodalium is feruor perhibetur, vt ad sacram Eucharistiam prius non accedant, quàm vel diem totum ab omni cibo potuque abstinuerint; vel verberatione se multarint; vel noctem insomnem lacrymis precibusque traduxerint. *Corporis castigatio animum bene parat.* An. CIↃ IↃCIV.

VII. Altera est accēsa cupiditas, simul maxima demissio animi, dum optimum iuxta ac Maximum hospitem exspectat. Id Sodalis Virdunensis docuit. De quo paulo plura ita vt accepi referam. *Vir erat grauis & in Senatu primarius, qui Sodalitati nomen dederat, cum ætatis iam sexagesimum esset prætervectus. Is & alias verberibus in suum corpus sæuire solitus, & in eo morbo, qui postremus illi fuit,* An. CIↃ IↃCXI. *Cupidè submisseque Epulo diuino accumbendum.*

fuit, nullo die ſtatas & quotidianas omiſit precationes, vt illa ipſa luce, qua è corpore egreſſus eſt, religioni ſibi duceret coram Sodalitatis moderatore, quod ſacram Diuæ Matri corollam nondum pertexuiſſet. In eadem ægrotatione eius virtus quodam alio in opere eluxit. Nam cum prima cuiusque menſis Dominicâ è Sodalium Inſtituto ad Synaxim ſit adeundum, idq; ſolenne retinere in omni vita ſtatuiſſet, fractis iam & effetis viribus ſenex, mortique proximus, contra Medici omniumque domeſticorum ſententiam, qui Euchariſtiam ipſi domum deferendam cenſuerant, lecto tectoq; egreſſus, in parœciam ſe ſuam ægrè ſæpiusque interquieſcendo contulit, ibi auguſti myſterij communione reficiendus. Obiurganti ſuauiter Patri Societatis, & intempeſtiuam, vt videbatur religionem notanti, paulo poſt reſpondens quæſiuit: Conueniretne tantum ad ſe venire Regem, an eum ab ſe adiri.

Communio rectè

VIII. Vno autem loco eodemque in ſacro celebrare id conuiuium iuben-

iubentur Sodales, partim vt præci- *ſimul in-*
puam vnionis teſſeram ſimul accipi- *ſtituitur.*
ant, fœduſque omnes inter ſe amoris 1.
renouent; partim vt mutuis flammis
ſeſe incendant & ſimul quaſi id pro 2.
ſe quiſque alteri accinat, quod S. Au-
guſtinus: *Rape ad eum tecum, quas*
potes animas, *& dic eis: Hunc ame-* *l. 4. Con-*
mus, hunc amemus. nam *Vnus quomo-* *feſſ. c. 12.*
do calefiet? Denique reliquorum bo- *Eccl. 4.*
no atque exemplo id fit, vt multitu-
dine illecti, & ipſi ad eas dapes fre- 3.
quentius adeundas inuitentur. Fuldæ
Sodalitium quoddam conuenit, cui CIƆ.IƆ
propoſitum eſt, vt SS. Euchariſtiæ LXXXII.
honorem, quacunque poſſint ratio-
ne, amplificent. Quare octauo quo-
que die ſacro epulo ſe reficiunt, ali-
oſque ſuo exemplo & cohortatione
ad idem inuitant. Similia Pragæ & CIƆ.IƆ
Drobricij in Ruſſia fieri reperio. LXXXIV.

IX. Eam legem miraculo Deus LXXXVI.
approbauit. Panormi enim in Sicilia
Vir primarius, qui aliquando præfe-
cturam geſſerat, conſtituerat in diem
ſequentem cum alijs Socijs, de more

ſacrum epulum adire, cum ineunte nocte ad multas horas acerbo lateris dolore peruelli cæpit, qui eum reliquorum cœtu & Synaxi prohibiturus fuerat. Tum ille ad Deiparam conuerſus: *Age, O Domina,* inquit, *tuo mihi fauore fiat copia ædem ſacrã cras adeundi, quo Miſſæ ſacrificio ſacroq́; conuiuio cum alijs interſim, nec deprecor, quin inde dolor recrudeſcat; hoc tantum indulge.* Mirum dictu: nondum omnia finierat eloqui, cum ſomno corripitur, quem ante dolores ne conniuere quidem ſiuerant; & duas poſt horas ſomno pariter ac dolore ſolutus expergiſcitur, templum adit, ſacro intereſt, cũ reliquis Euchariſtiam ſumit, tabellam accepti beneficij teſtem ſuſpendit: quod eo certius eſt, quod illo cruciatu quindecim dierum ſpacio antea liberatus nunquam fuerit.

X. Locus autem plerumq; ſacra ædes eſt. Ad quam Brunsbergæ ordine quodam procedere, manibus præferre faces dicuntur. & alibi eundem

dem morem seruari audio. Ingolsta- *Quid Ingolstadij statum fuerit.*
dij olim constitutum fuit, vt ante id
sacrum prius in Oratorio Congre-
gationis conuenirent omnes & de
pia re differentem Præsidem audi- An. CIↃ.
rent; vt ardore animi concepto vna IↃLXX
omnes in templum ad diuinas epu- II.
las se conferrent. Reperio quoque CIↃ. IↃ
frequenter iteratum statutum de LXXXIII
Synaxi eodem tempore locoque ce-
lebranda, ad quam diu maioris æris
campani signo conuocati sunt, mul-
ctaque negligentibus constanter ir-
rogata est.

XI. Ingolstadij præterea aliquan- An. CIↃ.
diu in Aula Gymnasij, in quem locũ IↃXX.
Maioris Congregationis Sodales VI.
coire solent, communio instituta est.
Verum cùm pro Sereniss. Ducibus
Bauariæ eodem tempore ac loco res
diuina solenniter peragenda esset,
Sodales vnanimi consensu, pro loco
Templum Societatis, pro tempore
horam septimam delegerunt, vt in a-
ctis copiosius refertur. quã consuetu-
dinem qui mensibus tribus neglexis-

ſet, eo ipſo Congregatione motum eſſe perpetuo ſtatuto decreuerunt. Sapienter videlicet iudicabant Sodalium ordine retineri non oportere eum, qui eius ſtatutis parere detrectaret. Cur enim beneficijs frueretur, qui officia ſequi nollet? Verum de confeſſionis ac communionis legibus abunde dictum arbitror: quas ſponte ſequentur, quibus verus Sodalitatis amor inerit, de quo nunc agendum eſt.

CAPVT V.

SODALES MAGNI AESTIMANT SODALITATEM.

ERror hominum multis rebus precium ſtatuit: ſed pauca ſunt, quę verâ moueant æſtimatione, inter quæ diuina numero. Hæc enim quia remota à ſenſibus ſunt, apud paucos duntaxat valent, qui perſpicaci animo res omnes peruident, Quare qui rectè

recté æstimare volunt, iustoque ponderé ac libra res Æternitati commodas expendere, illi oculos à terrestri puluere expurgare, & à vulgi iudicijs longius abire debent: vt videlicet ea sola preciosa, & humano amore digna censeant, *Quæ in precio habenda sint.*

Quæ vitam faciunt beatiorem.

Cæterisque labentibus non modò ætatem, sed æuum ferunt. Inter quæ Sodalitatum instituta libenter accenseo; quæ talia sunt, vt inter primas rationes beatitudinem obtinendi iure ponenda sint. Libro superiore *cap. 1.* vtilitatem inde existentem indicaui, ac libro consequenti beneficia in Sodales collata pluribus aperiam: ex quibus omnibus confiet, quanto Sodalitates in precio habendæ, quamque earum integritas cordi omnibus esse debeat. Hinc sapientiores plurimi semper eas fecerunt.

I. Quam laté per orbem diffusa, quantoque numero aucta sint Sodalitia, supra satis ostensum est. quot etiam generis atque dignitatum splẽdore *Quanti fiant passim Congregationes Beatæ*

Virginis. l.1.c.2. l.1.c.8.& 9.

dore clari, aut virtute illustriores nomen Sodalium albo inscribendum curarint, itidem memoratum est. Ex quo vnico, si alia deessent, dignitas Sodalitatum abundè demonstraretur, quas totus penè orbis omnisque status amplexus sit, & verò etiam cupidius ambierit. Magnum aliquid boni in eo inesse debet, quod Tanti tam sedulo persecuti sunt. Sed eandem æstimationem aliorum exemplis comprobemus.

Eremum in locum ad eas venitant. CIↃ. IↃXCIII.

II. Vir domi suæ nobilissimus, cum de virtute Duacensium Sodalium inaudisset, quamuis diuturna tabe confectus, Duacum ex vrbe proxima cum vniuersa familia demigrauit, eo consilio, vt in Sodalium numerum adscriberetur. Vbi tantos in pietate progressus fecit, vt ab ijs reb⁹ omnibus, quas cæteri habere solent in delicijs, penitus abhorreret. Inde ingrauescente morbo Dei Matrem identidem inuocans, in eius honorem, se nudum super nudam humum deponi iussit, ibique terram deoscu-

lans,

lans, & B. MARIÆ ac IESV nomina iterans æquissimo animo è vita discessit. Quod iter absque dubio securius reperit, quia Sodalitatis amore iam prius è patria emigrarat.

III. Nec paruo illum amore succensum oportuit, qui vix dum è graui morbo recreatus, difficillimo anni tempore itineribus per belli licentiam infestis sex leucarum iter nocte confecit, vt tempori Congregationi Diuionensi interesset. Quo in genere aliorum quoque studium enituit, qui ex villis ab vrbe sepositis quindena & vicena milliaria conficiunt, ne statis diebus à conuentu Sodalium Portuensium abesse cogantur. Huc pertinent Neapolitani illi Sodales, qui triginta annorum spacio nunquam à cœtu reliquorum, cum conuenirent, abfuerunt. An. CIↃ. IↃXCV.

IV. Ea in frequentandis conuentibus diligentia, etiam corpori valetudinem restituit. Luxemburgi adolescens graui morbo afflictus decumbebat, & à morte propè aberat, cum *Quia abesse noluit, conualescunt.*

è patria certus homo equum adduxit, quo valetudinis restaurandæ, salubriorisq; patrij aëris captandi causa domum ad lares domesticos deportaretur. Negare adolescens se quicquam nisi è prȩfecti sodalitio nutu facturum; non iam sui, sed alieni iuris esse velle. Defertur negotium ad Sodalitatis Magistratum: hic sibi iter displicere, neque adeo suscipiendum dicere. paret adolescens; & mox equum famulumque ad suos remittit. Et vide miraculum; è vestigio morbus simul cæpit abscedere, vt post biduum se in templum contulerit, atque ob recuperatam valetudinem DEO VIRGINIQVE MATRI gratias egerit; quam domi forsitan nunquam reperisset.

Et periculis eripiuntur. V. Quis dubitet & Murcianum illum Sodalem eandem ob causam è vitæ periculo ereptum? Aberat hic ab vrbe longius eo die, quo cæteri Præsentatæ Virgini solenius operantur. Vt ergo cum reliquis mysteria sacra celebrare posset, ante lucem

cum

cum tribus comitibus in viam se dedit, mula vectus: hæc in monte aspero atque decliui, laruâ nescio quâ perterrefacta, sessorem excussit, atque in immane barathrum præcipitem dedit. Exclamauit homo in ipso casu: *Adsis mihi ô Sanctissima Patrona.* Non procul ab imo præcipitio aberat, cum sensit se quasi lecto quodam excipi, cum tamen in eo loco rari admodum sparti & satis inter se dissiti minimè mollem thorum quieturo, ne dum casuro, præbere potuissent. Nemo fuit, qui pro miraculo non habuerit, è tanto casu incolumem ipsum euasisse: si tamen iam miraculum dici potest, Sodales à patrona sua adiuuari, quod quotidianum est.

VI. Sed in obtinenda retinendáque Sodalitate dici vix potest, quantum studium adhibuerint Sodales. Grecij quidam in ijs, quæ ex legum imperio ab ipso requirebantur, negligentior erat. monito reprehensóque sæpius; tandem exauctorationis periculum denuntiatur: contemnit *Nolunt ab ea dimitti.* An. CIↃ. IↃCII.

 pue-

pueriliter. Verum vbi communibus Sodalium calculis damnatus, exesse publicè iussus est, ita eum sententia perculit, vt in genua procideret, veniam peteret, emendationem polliceretur. Flexerunt serij gemitus clementissimos Sodales, vt veniam darent, inque gratiam supplicem reciperent. Quæsitum deinde ex illo, vndenam melius hoc propositum hausisset? Nocte sibi prope lectulum Virginem augustâ formâ adstitisse respondit, quæ quidem nihil elocuta sit, animum tamen suum ingenti voluptate permulserit; sensisseque se, hoc viso admoneri, vt quod hactenus neglexisset, Sodalitij ius retinere eniteretur. Mores insigniter correcti visi fidem probârunt.

Nec abstrahi patiuntur. An. CIↃ. IↃXCVI. VII. OEniponti Sodalem quendam ab illo sacro cœtu retrahere familiares eius nitebantur. Cum nihil agerent, apertè tandem denunciarunt, nisi ab ea Sodalitate se abduceret, se neque ipsum, neque eius liberos in amicorum numero esse habi-

turos:

turos; neque si quid ipsi ab aduersa fortuna mali obtingeret, opem laturos. *Tanto ergo,* inquit, ille, *impensiori studio partes Marianas mihi sequendas video, vt si vos me deseratis, à patrona mea, quæ neminem deserit, præsidium paratum habeam.*

VIII. Nec iniuria tam tenaces sunt instituti sui Sodales. nam vt hic omittam, quàm desertores pœnas graues inconstantiæ suæ luant, vt sequenti libro explicabo; certè Dæmon eum temporis articulum diligenter obseruat, si tunc nocere aliquid possit, quo è tutela magnæ Matris se auelli patiuntur. Louanij à Sacerdote quodam Dæmon sacris precibus ex infesso fœminæ corpore facessere iubebatur, magna subinde mala, ni dura hæc imperia omitteret, & digitos mordicus se auulsurum, si eos in os fœminæ insereret, minatus est. Risit Sacerdos inania terriculamenta, digitisque in os immissis: *Age,* inquit, *exequere, quod* DEVS, *quod* DEIPARA *tibi permisérunt.*

Dæmon vehementer cupit Sodalitatem deseri.

runt. Infrenduit Dæmon, &: *Nimis tu quidem,* inquit, *audax es sacrificule; nimios tibi animos tua facit Deipara, quòd duodecim annos eius seruitio traduxeris. Noui tamen, & redi mecum in memoriam, septenniū nunc esse, cum tu parthenianum illum cultum & cœtum res sibi suas habere iubere voluisti: atq; vtinam fecisses. Sed, nescio quo pacto, spem tum meam exspectationemque fefellisti.* Affirmauit dein Sacerdos ille, duodecim ipsos annos inter Sodales se nomen suum professum fuisse. Et verò ante septennium cum vrbem locumque mutare cogeretur, de deserenda Sodalitate ob quædam incommoda cogitâsse; sed re melius exputata omnia alia amori in Virginem post posuisse, atq; eam Sodalium ritu colere perrexisse. Quid sperarit inde lucri dæmon, si discessisset ille, facilè conijcimus, qui Sodalitatis bonum nouimus.

Angeli congratulantur in Soda-

IX. Ac quemadmodum malo genio voluptati est, si quis nomen è Sodalium albo expungat suum: ita cælites

lites contrà, illi quam plurimos inſe- *litatem*
ri lætantur. Quod exemplo vnico *admiſſo.*
docebo. Ipris ſenator erat, Vir anti- A.'. CIↃ.
quæ pietatis, ſed vt fit, à nouis pieta- IↃCIV.
tis ſtudijs, & incitamentis alienus, etiam à Sodalitate B. MARIÆ abhorrebat. mira res: ſubita correptus ægritudine, cum à morte non procul abeſſet, repentè mutatus, Sodalitio adſcribi obnixè poſtulauit. Mirari Sodalium præfectus, & vix credere, eum id velle. Sed cum etiam atque etiam vrgeret, voti tandem fit compos, pluribuſque ad lectum ipſius cōgregatis, ex formula ſe Mariano cultui deuouet, & conſueto illis complexu Sodalis ab omnibus ſalutatur. Animum eius lacrymæ vbertim per os decidentes teſtatæ ſunt; præ ſuauitate vix cæptas preces proloqui poterat. Inſequenti nocte, cum forte, qui obſequij cauſa aderant, fabulis tædium noctis fallerent, ſilentio indicto rogauit, vt ſecum aures animumque aduerterent ad ſuauiſſimos Angelorum concentus, qui ob initā

 à ſe

rat. *Si hoc vnum, inquit, obstat, facilè impedimentum tollam.* Simulque flexis genibus, in medio cincinnum totondit, vt hoc signo se Deiparæ consecratum demonstraret.

XII. Olyssipone in nouam Sodalitatem è ducentis & quinquaginta capitibus conflatam, magnus numerus hominum etiam lacrymis aditum sibi quærebant, vt quasi in arce tutius hostiles impetus sustentare possent. Duo inter alios auidè eam expetebant: Sed alteri sinistra de moribus, alteri de natalibus læua suspicio obsistebat, quo minus admitterentur. Vterque publica auctoritate conficiunt instrumentum iuratis testibus firmatum, quo se à sequiore fama vitæ & generis expurgant, vt ingressum impetrent. Non his sua fama charior, quam Sodalitas fuit; nam absque hac foret, nunquam illius tam sollicitam curam suscepissent. An. CIↃ. IↃCIX.

XIII. Sed quid humana iudicia de præstantia Sodalitiorũ quærimus, *Sodalitatis Votum*
cum

sanitatē cum Deus certis argumentis eandem
affert. ostenderit? Dolæ adolescens morbo
An. CIↃ. afflictus, cum à præceptore suo mo-
IↃXC. nitus fuisset, vt votum adeundæ So-
CIↃ. dalitatis conciperet; vt fecit, confe-
IↃXCI. stim conualuit. Alius in eadem vrbe
aliquot mensibus febri grauiter ia-
ctatus & propemodum euersus, vo-
CIↃ. to consimili periculum euasit. Simi-
IↃXCII. lia Anicienses, Bisuntini, alij experti.
Ingolstadij ita quidam Sodalitatis
desiderio æstuabat, vt quamuis san-
guinem spueret, mortiq; vicinus esse
crederetur, vix vt iam pedibus toto
corpore tremulus consisteret, bacu-
lo tamen nixus ægrè in Oratorium
Sodalitatis perreptauit, eo die, quo
adscribi debebat; adscriptus est, &
quid quæris? quasi è Virgineis vberi-
bus lac suxisset, ita robur ac valetu-
dinem bonam breui consecutus est.
An. CIↃ. XIV. In eadem Germania Fri-
XCVIII. burgi Nuithonum quidam è scalis
præceps ruerat semimortuus; ger-
manus eius frater Virginem Sospita-
tricem pro fratre inuocat; si fratri
sani-

ſanitas reſtituta foret, ſe Sodalitati nomen daturum vouet. Audijt Virgo preces votoque annuit: recepit frater valetudinem omnium opinione citius; nam poſt noctis medium, integrè ſibi reſtitutus eſt. At non itē Germanus illius ſibi conſtitit. mutato enim animo, voluit pecunijs votum Sodalitatis conceptum ſoluere, incertum qua cauſa tum & ſæpius antea à Sodalitio abhorruerat, cum eò tacitè nihilominus traheretur. Sed eum denique ancilla, neſcio quo furore correpta, inuadens compulit, ſanctiora illa conſilia maturáre. Suo igitur periculo & alieno bono cautior, Sodalibus ſeſe adiunxit.

XV. Ex quibus omnibus recta ratione deducitur, merito Sodalitatem in precio haberi, magnique ab omnibus fieri debere, quam ſuperi, Inferi iuxta æſtimarunt; illi promouendo, hi metuendo. Sed cum in omni vita, ſi accuratè attendere voluerimus, eius bonum cognoſcere liceat; tum præcipuè, cum è vita abeundum eſt, *Morictes ſentiunt, quid ſit fuiſſe Sodalem.*

est, magnum solatium affert Sodalibus. Id moriens Dolanus quidam comprobauit. Hic hora vna antequàm migrauit è vita, Crucifixi signum in manus sibi tradi postulauit; sibi vltimum certamen imminere dictitans; simul Sodales præsentes rogauit, ne se in eo tempore desererēt. Tum ad se suamque luctam reuersus, crebrius vocem *Credo* ingeminans, quanto propius ad mortem accedebat, eo ab his rebus sensuque longius abducebatur. Itaque totus in certamen intentus, subinde illa iterare auditus est, *Non ita est, mentiris.* Et quasi in aduersarium telum vibrans, crucem in aduersam partem aliquoties intentabat. Ad extremum sicuti victoriâ partâ tranquillo animo: *Quam bonum est*, inquit, *B. Matri in eius Sodalitio famulari?* abstractusq; à præsentium rerum sensu inter gratulationes exspirauit, præmioque tam boni famulatus potitus est. Quod qui exoptant, seruitijs Marianis libenter se addicant; Dominis merces non datur.

An. CIↃ. IↃXCIV.

XVI.

XVI. Quantam ſpem ad bene moriendum ſitam in Sodalitio habuerit, alius quiſpiam docuit. Biturigibus Iuriſprudentiæ operam nauabat: cumque lethali morbo conflictaretur, primùm Sacramentis ſe munijt; deinde ſocios grauiter hortatus eſt, Deum vt metuerent, flagitia procul haberent, noxios familiares à ſe ſegregarent, myſteria ſacra frequentes adirent, B. Virginem inprimis cultu omni proſequerentur; in qua poſt Deum ſuas ipſe ſpes collocatas dicebat. Tum adferri iuſſit ſanctorum nomina, quæ in menſtrua ſortitione ipſi obtigiſſent, vt illis ſe vltimum commendaret. Euenit vt prima ſcheda eam ſententiam inſcriptam haberet, quæ mortem à probis optari, vitâ tolerari ſignificabat. eam cum legiſſet: *Satis*, inquit, *Satis hoc eſt.* Atque ex eo tempore totus in mortis exſpectatione, ac vitæ æternæ deſiderio fuit. Denique cum horam fatalem inſtare intellexiſſet, literas commendati-

Studioſi Iuris præparatio ad moriendum.

tias,

tias, quas ſecum è Congregatione Muſſipontana tulerat, petijt, acceptasque pectori admouit, atque cum his ſe emori & eas ſecum tumulo ſimul inferri, ſepulchrumque in templo Virginis Annuntiatæ capere velle dixit. Omnia eo ibant, vt ſuum in Sodalitatem amorem, quamque in Virgine Patrona ſua ſpem poſitam haberet, nobis oſtenderet.

XVI. Poſſent conſimilia plura in medium afferri, niſi ſuo loco de felici Sodalium abitu aut deſertorum pœnis ea reſeruarem. His interea animum imbuamus, vt magna opinione concepta de Sodalitij bonis, omnia alia poſt amorem illius ducamus; neque cuiuſquam gratia aut odio inde abduci nos ſinamus. Atque illud præcipuo ſtudio enitamur, ne tantum ſplendorem vitæ noſtræ macula aliqua obfuſcet. Tanta enim dignitas aut beatos nos faciet, ſi benè coluerimus, aut valdè miſeros ſi contempſerimus. Res magnæ ſine magno malo non negliguntur. *plura dicerem*

cerem si ignauis virtutem verba ad-derent. Nam strenuis abundè satis di-ctum puto; ait ille. *Salluſt. in Iurg.*

CAPVT VI.

DE MENSTRVO SANCTORVM CVLTV.

I.

COnsueuerunt Sodales ad mensis cuiusque principium schedulas Diui alicuius nomine inscriptas sortiri, quæ præterea sententiam è sacris literis aut sancto Patre depromptam continent. Adscribitur virtus vna, aut honesta operatio, cui præ cæteris per eum mensem vacare debeant. denique pro certis seu negotijs seu personis preces indicuntur. In Congregationibus superioris Germaniæ eo tempore Sodales Symbolam bonorum operum conferũt, quæ deinde publicè recitantur, vt alij ad *Consuetudo offerendi bona opera descripta quo tempore caperit.*

ad imitationem inardescant. Quem scribendi bonorum operum morem Ingolstadij ortum reperio ex eo, quod prius quisque rogatus, verbo enunciare solitus fuerit, si quid publicè priuatimq; benè gessisset. Quod cum multis difficile videretur, & modestia aut verecundia præpedirentur, ne liberè in medium afferrent, quæ perpetrassent: cæpta est ea ratio, vt chartis sua opera perscripta crederent, & in Sanctorum sortitione in commune conferrent. Omnia hæc & ad virtutem Sodalium augendam, & consolationem ingenerandam facere, manifestum esse arbitror.

CIↃ. IↃLXXX.

Sortitio Sanctis Sodalibus cordi est. CIↃ. IↃCIII.

II. Hinc eum morem diligenter seruarunt, & in eo præsidium Sodales sæpe repererunt. Portuenses tanto studio ferri ad optionem illã sanctorum memorantur, vt eos non pigeat leucas quatuor & quinq; etiam emetiri, ne exortes sint.

Ad Limensem Sodalitatem die cælitibus omnibus sacro, ad sanctos sor-

ſortitò [illegible]pendos conuenere mille quingenti. Nec defuere huic tantæ celebritati Regij Conſiliarij, inter quos omnes, quam plurima pro Fidelibus vita functis ſuffragia deſignata ſunt; Sacra verò ſpeciatim procuranda amplius mille ſchedis inſcripta. quod Limæ magnum opus eſt, cum pro vno ſacro ſtipendium octo argenteorum expoſci ſoleat.

III. Etiam vita defuncti ſpem aliquam in ijs Schedis pia religione collocarunt. Qui moriens eas ad extremum perlegit exemplum, ſupra memoraui. Neapoli ſeptuagenarius duos poſtremos vitæ annos Sodalitio conſecrauerat. atque hos tantum ſe vixiſſe dictitabat, amiſiſſe reliquos nullo fructu hic moriens mandauit ſuis, vt ſchedulas menſtruas filo collectas colloque ſuſpenſas ſepulturæ ſecum inferrent, teſtimonium pietatis.

Schedas ſecũ tumulo inferunt.

c.5. n. 15.

An. CIↃ. IↃXC. CIↃ. IↃXIII.

Alter Aletij eaſdem in ſpeciem monilis cõtextas ſibi iuſſit collo circumdari, vt eo ſeu ornatu ſeu patrocinio.

CIↃ. ICX[illegible]

Mor-

Mortem contra audentiorem iret.

Quod Oeniponte quoque fecisse aliquem annuæ ipsorum referunt. Leuia hæc videri cuiquam possunt: sed pietatis æstimatori magnum est omne, quo Deus colitur.

CIↃ. IↃXCIV. *Deus eũ morem miraculis probat.* IV. Quam vero superis ille cultus gratus fuerit, beneficia, quæ suis inde clientibus contulerunt, satis declarant. Cæsaraugustæ præteribat forte Sodalis quidam inprimis honestus pontem, quem Iberus subterlabitur; cumque equus, quo vehebatur, ex inopinato euentu, concitari ac ferocire cœpisset, equitem in vlteriorem crepidinem pontis ita deiecit, vt excussus ex ephippio sederet in summa trabe transuersa. quod diuinitus factum, ne in flumen præceps eijceretur, nemo dubitauit, qui loci angustias, equi ferociam & periculi magnitudinem attentè perspexit. cum salutis causa quæreretur, eam non de nihilo inuenerunt, quod eo ipso tempore eques corollam precatoriam in honorem D. Augustini,

qui

qui eo menſe pro tutelari ſancto ob-
tigerat, recitauerit.

V. In ea Braſilorum Sodalitate, quæ à Patribus Collegij Fluminis Iánuarij regitur, Sodalis quidam à vicinis hoſtibus occupatus confracto vulneribus capite, & corpore conſciſſo pro mortuo fuerat relictus. Is, cum primum corpus ſentiendi vires recepit, cruce frontem muniens, S. Barnabæ Apoſtoli menſtrui patroni opem implorauit. tum vaſto flumini ſe commiſit, ſenſitq; auxilium, quod poſtularat. nam & vitam polliceri, & animum addere, & quaſi prætenta manu natantem adiuuare viſus eſt ſanctus; ita incolumis euaſit, & præter omnium exſpectationem ſanitatem quoque recuperauit. An. CIↃ. IↃXC.

VI. Sed vt animus dignitate præſtat corpori, ita pluris facienda beneficia ſunt, quæ illi impenduntur, quá quæ in hoc conſumuntur. Neapoli duo, quæ narrabo euenerunt, an Sodalibus, pro comperto non habeo. certè talia ſunt, quæ morem illum, de *Ad meliorem vitam reuocatur.*

quo agimus, insigniter comendent. Quidam, quamuis omni vitiorum generi immersus, ad patres tamen Societatis accessit, atque ab ijs patronum aliquem in tali scheda scriptum sibi dari petijt: datus est S. Hieronymus sorte eductus. sequenti nocte cum se quieti dedisset, vidit sanctum senem illum truci vultu, ardentibus oculis, accensam digito sibi fornacem monstrare, atque horribili voce dicere, in hos quam primum conijcieris ignes, nisi aliam viuendi rationem instituas. Alius accepta schedula, somno se dedit, sed à Dæmone excitari se sensit, & per vim è lecto extrahi; & cum contra tam fœdum hostem nulla aptiora arma infelici iuueni suppeterent, quanta maxima poterat vocis contentione, tutelarem sanctum appellabat. ecce tibi illico niueis induta vestibus mulier, & Dæmonem contuens: *An nescis,* inquit, *quibus iuuenis hic hodie præsidijs sese firmauerit?* non tulit long erem orationem fœdissi-

dissimum mancipium, & in suas se tenebras coniecit: mulier ex oculis abijt. Vita emendatè postea instituta est.

VII. Illud feliciusne sit an lepidius dubito. Ridebat adolescens omnem rationem Sodalitij Olyssiponensis petulantius; cuius flagitij cum ab vno Sodalium seuerius castigaretur, *Age*, inquit ille, *Schedulam mihi vnam hoc mense Rhadamantus aliquis ex vrna moueat apud vos; & si quidem sancti, quem Tutelarem veneror, nomen mihi exierit, ea syngrapha sit, me Sodalitati vestræ accessurum.* Ergo dies aderat, demittuntur in vrnam nomina, sortitò educuntur, eo ipso nomine, quod optauerat, scheda elata est; accepit omen & Albo Mariano nomen dedit. Ita ioci aliqui seriam fortunam trahunt. — An. CIↃ. IↃCXIII. *Quidam ad Sodalitatem.*

VIII. Iam quod ad sententias subscriptas attinet, plus ijs boni inest, quam prima fronte ostentant. Nā vt omittam, quod menti cogitationē piam subijciant; sæpe eam vim habuerunt, — *Quid boni sententia subscripta contineant.*

 erunt,

erunt, vt insignis vitæ aut morum commutatio sequeretur. Notæ Virgilianæ sortes ad agendum duces: nota Diuorum facta, qui sacrorum verborum auditione lectionéue vitam aliam ingressi sunt. S. Antonius audijt: *Vade, vende, quæ habes; veni, sequere*, Sibi dictum credidit; & ex eo quantus? S. Augustinus cum æstu cogitationum miserrimè iactaretur, audissetque *Tolle lege, Tolle lege: Arripui*, inquit, *APERVI ET LEGI in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei: Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induimini Iesum Christum: & carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentijs. Nec vltra volui legere: nec opus erat. Statim quippe cum fine huiusce sententiæ, quasi luce sinceritatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.* Vide è quali principio tantus Doctor in viam deductus sit. Consimilia multa memorat P. Ioannes Dauid, quæ non ex-

S. Athã. in eius Vita.

S. Aug. in cõfess. l. 8.

Ad Rom. 13.

In Orbita pietatis.

exſcribo : ſed Sodalibus ſua non deſunt, quæ alijs quoque in hoc genere exempla exhibeant.

IX. E Camberienſi Sodalitate ad familiam S. Franciſci Capucinorum duo ſe contulerunt. Hi ſententijs in menſtrua ſortitione eductis, ad hoc vitæ inſtitutum amplectendum permotos ſe fuiſſe proteſtati ſunt. Ingolſtadij voto quidam ſe Religioni deuouerat, vt inde morbo remedium quæreret. Conualuit; & animus ægrotare cæpit, atque in dies peius habere; ac peſſum iuiſſet ni inter ſortitionem Sanctorum ad mentem meliorem, votique memoriam & executionem ſubſcripta ſententia reuocatus fuiſſet. Erat illa ex D. Bernardo: *Quid tardas ipſum quem iam dudum conceperas ſpiritum parturire ſalutis? nil mortalibus vel morte certius vel incertius hora mortis. Quomodo viuere potes, vbi mori non audes?* Rem fuſius narrat R. P. Ieremias Drexelius in ſuo Triſmegiſto, lib. 2. c. 7. §. 3.

Ad Religionem Vocant.
CIↃ. IↃC.
CIↃ. IↃC VI.
Epiſt. 105.

X. Barij graui iniuria laceſſitus a-

An. CIↃ. IↃCIV. *Iniuriarum Condonationem suadent.*

dolescens inimici cædem meditabatur. Interea menstruis illis sententijs constanter admonebatur, vt iniuriam condonaret. Deterritus igitur tandem à prauo consilio secum cæpit voluere, qua ratione posset animum reconciliatum inimico significare. In forum ergo procedit, vbi alter esse consueuerat; aderant inimico frequentes, & in foro spectatorũ ingens numerus. Sodalis nihilominus victoriæ de se reportandæ cupidus, quid alij de se opinaturi essent, parum attendens ad genua inimici se abijcit, &: *Quid hominum leges*, inquit, *iubeant non ignoro. Sed me tibi Deus pacem amicitiamq; offerre imperat; tanto Imperatori repugnare nõ potui.* Simul vbertim lacrymans pedib⁹ oscula impressit. Hærere alter, tum etiam in amplexus ruere, & sibi Oresti eũ posthac Pyladem futurũ dictitare.

CIↃ. IↃCIV. *Ab inhonesta Vita abstrahunt.*

XI. Hic, quem dixi ab odio inimicitijsque ad amicitiam traductus est: alium ab amoribus eadem apophthegmata reuocarunt. Neapoli qui-

quidam parum integritatis amans sententiam acceperat, quâ impuritatem suam aperte perstringi sentiebat. ratus igitur non fortuna eam sibi, sed hominum industria obiectam fuisse, illis se immiscuit, quibus nondum distributæ fuerant; simulque cum ijs denuo sortitus est. At vbi sententiam eduxit, elata voce: Pater, inquit, licetné coram hac multitudine facinus fateri meum? Pater è Societate prohibuit tunc quicquam proloqui; at vbi dilapsi sunt alij: *Accepi*, inquit, *in templo schedulam, quâ cum acriter vulnerari me animaduerterem, domum te deduxi accepturus aliam mitiorem; & ecce tibi, ijsdem verbis eademq; sententia vitæ meæ turpitudo reprehenditur.* Dicebat hæc animo ferè attonito & perturbato, vt facile posses conijcere, altius ipsi infixos aculeos hærere, paulò post vitæ maculas confessione abstersit. Verè dicere hic Deo potuit. *In manibus tuis sortes meæ.* Solus enim ille nouit, quæ verba cuiusq; mentem

A Deo afferuntur.

Psal. 30.

vincere valeant: alij sæpe in aërem effundunt.

An. CIↃ. IↃCIV. *In bonis propositis roborant.* XII. Hinc eadem in vrbe cuidam inter alia illud dixisse memoratur. *Singulari studio te sancto illi commenda, & vitæ rationem imitare, qui tibi sorte obtigit; & subscripta verba non ab alio, quam à meo tibi dici spiritu existima.*

An. CIↃ. IↃCV. XIII. Itidem perditæ vitæ iuuenis & meretricijs amoribus implexus, cuiusdam Sodalis labore ad saniora consilia reuocatus est: consuetudine tamen inueterata propè retrahebatur in fornices. Ne fieret, anxiè Virginis MARIÆ identidem opem implorabat. Aderat primus dies mēsis; sortitus est illam è D. Gregorio sententiam: *Noli cessare ab oratione tua; quod enim tibi largiturus est Deus, non negabit, sed differt.* Hoc quasi subsidiorum nuncio animatus, persistit in precibus & casto consilio. Posteriore mense idem planè apophthegma omnino diuinitus illapsū obtigit. Itaque tantum animo concepit

cepit pietatis æſtum : vt non modo à veteri conſuetudine omnino ſe abruperit, ſed cænobij conſilia agitare cæperit. Atque hæc ferme de ſanctorum & ſententiarum ſortitione occurrerunt ſcribenda.

XIV. Certam autem virtutis exercitationem, & Perſonam, Comunitatem, aut negotium, pro quibus Sodalis ille ex inſtituto precetur, ſubſcribimus, vt humanam mentem in multa diffuſam, & ob id facti ſæpè incertam ad certum aliquid reuocemus. Atque id quod de vnius virtutis propoſito diximus, vehementer cõmendant vitæ ſpiritalis Magiſtri. Nã quemadmodum *qui duos inſectatur lepores, neutrum capit.* ; ita qui ſine ordine ac certa lege virtutes vno omnes impetu perſequuntur, laborem magnum ſumunt, fructum exiguum capiunt. Monent igitur vnam aliquã deligendam eſſe, cui præ cæteris operam impendamus noſtram, quam & noſcere penitus ; & vſu continuo propriã facere ſtudeamus. Sic è toto

Certa Virtus eligenda cui ex propoſito inſiſtas.

Vide Aluar. de adept. Virt. p. 3. c. 7.

 vi-

Ita vitiũ vnum seorsim expugnandum. vitiorum agmine quasi ad certamen singulare prouocandum vnum, cum quo strenuè congrediamur atque debellemus; tum aliud atque aliud tentandum ac conuellendum est. Tela seorsim fragilia, in fasciculum ligata quoduis robur eludunt. Ita vitiorum omnium victor erit, qui contra singula pugnauerit. Vnde *l. 1. de imitat. c. 11.* Thomas ille Campensis: *Si omni anño, inquit, vnum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur.*

De Examine particulari. XV. Tota verò seu virtutis inserendæ seu vitij extirpandi ratio quatuor præceptis continetur. Primum, vt è somno experrecti ante alias curas virtutem illam serio animi proposito complectamur, eiusque exercendæ occasionem elabi nullam passuros constituamus; simul Deum precemur, vt tantis cæptis bonus annuat, roburque addat cogitata perficiendi. Alterum, vt nullam deinde occasionem rectè agendi omittamus, & vltrò quæramus, si se non offerat, totoque conatu ad virtutem

illam

illam acquirendam nitamur. Tertium, vt bis interdiu rationes inſpiciamus, examinemusque quid in ea re præſtiterimus, quid neglexerimus: tum diligenter notemus quoties in eo officio ſocordes fuerimus. Quartum denique vt diem cum die, hebdomadem cum hebdomade, & menſem ſæpè cum menſe conferamus, vt conſtet, quo augmento virtutis, quo decremento vitij rem egerimus. Quo ſtudio breui tempore quamuis virtutem nobis comparabimus, quodlibet contra vitium eradicabimus. Plura de hac ſortitione ſcitu per quàm vtilia reperiet lector in Triſmegiſto P. Drexelij. l. 2. c. 5. 6. 7. 8. 9. 8.

XVI Ad extremum quæ de bonis operibus ſcripto conſignandis & in commune conferendis instituta ſunt, nemo ambiget ſapienter inſtita ta fuiſſe; non ſui oſtentandi cauſa; quis enim tantum laborem fumo vendat? Sed vt cum ad reliquorum notitiam cuiuſque facinora

De more bona opera ſcripto offerendi.

Eius cauſa.

1.

2. præclara deuenerint, ad imitationem
alij prouocentur; alij lætitiam capiant se in ea Sodalitate viuere, è qua tantum boni in omnes participes de-
3. riuetur. Accedit, quòd vt infirmi ac miseri omnes sumus, inscientes sæpe alijs id obijciamus, vnde deteriores fiant; nulla alia ratione opportunius damnum id sarcire possimus quam si ea perscribamus, quæ seu legant seu audiant *glorificent patrem, qui in cœlis est*. Vt omnino in hac consuetudi-
Matth. 5. ne mali nihil aut vani inesse prudentes inuenturi sint, quàm quòd reprehendatur.

Capvt VII.

SODALES STAtum Religiosum complectuntur.

SOdalitia Religionum quædam seminaria videri possunt; ita ex illis in has multi commeant. Cuius eam ego causam esse cogito, quod ad sacram

cram illam militiam illi euocentur, quibus maius animi robur eſt; atque eos flamma illa diuina citius corripiat, quorum mens ad amorem Dei concipiendum perpetuo quodam calore præparata eſt. Suis enim cupiditatibus immerſi ſcintillam cæleſtem cito ſuffocant. Quare cum in Sodalitate continuis exercitationibus animi ſenſim maioribus imbuantur, mirum videri non debet, ſi tam multi, quibus Deus bonus præ alijs fauet, com̃odis vitæ ſpretis ſpeq; rerum ampliſſima depoſita, in arctũ viuendi durumque genus ſe transferant: Alij, quos Deus ſtationem mutare non ſinit, in vita communi præclaris factis Remp. tueantur. Sed totum hoc genus, quia ad alios pertinet, ſtrictim tantum attingam.

Cur multi Sodales Religioſi fiant.

I. Nec eſt mihi hic propoſitum bona Religionis dilaudare; fecerunt abunde alij. Satis eſt, ſi cœli viam aut portam dicamus. Ea Sodalis quidam Peruſinus ad beatitudinem decurrit. Nam cum vixdum ſexto decimo ætatis

Hieron. Platus lib. 3. Leſſ. diſp. de ingres. c. 5lr.

CIↃ. IↃXCV III. tis anno Capucinis adlectus fuisset, vitam omni virtutum genere cumulatam maturè cum æterna commutauit. Cuius id argumentum fuit. Cum enim animam ageret eximia specie virum vidit, qui dictitabat cum hoc vitæ instituto atque inculto vestitu immortalia gaudia promeritum fuisse. Quibus auditis commilitonem quendam suum, cum quo arctiorem vitæ illius disciplinam amplexus fuerat, accersendum curauit, & tunica prehensâ: *Si his vestibus*, inquit, *mi Frater; animus tuus demissus responderit, cœli ciuis fies, quo ego nunc propero:* ac mox animam cum dicto efflauit. Fient alij quoque eius patriæ ciues, si maluerint Tusculi primi esse, quam Romæ secundi.

Variæ vocationũ causæ fortuitæ. CIↃ. IↃ CVIII. II. Ad ea bona varijs sæpe modis, & quod in humanis frequens est, leuibus initijs ad magna inuitati sunt. Camberij Theses Philosophicas Sodalitati quidam dedicarat; & tum sibi Religionis amplectendæ desside-

ſiderium iniectum fuiſſe quaſi pro munere teſtatus eſt. Alius Muſſiponti perſonam S. Alexij magno plauſu egerat. Viſi ſunt ſpectatores ſibi videre rediuiuum Alexium. Frons, oculi, motus corporis, omnia ad ſanctitatem compoſita, lacrymas paſſim ciebant: ita ſerio omnia agebantur. Et vere res agebatur. Nam & ipſe adoleſcens toto Alexij animo ſe imbuerat. iam tum mortalia omnia faſtidire, parentum obliuiſci, patriæ memoriam abijcere, Deum tantùm ac Religionem ſpectare. Sed viæ compendio celerius in cœlum euolauit. Vi enim morbi oppreſſus, ſacris procuratus, totum in Virgine MARIA veneranda, à cuius imaginis intuitu oculos nuſquam dimouit, occupabat animum, cumque ea vna ſemper colloquia conferebat. Inter hæc ſubito aqua luſtrali conſpergi petijt, ſalutationem Angelicam iterans. Tum *Satis eſt*, inquit, & nonnihil ſubmurmurans, quid diceret, interrogatus: *Diabolus* An. CIↃ. IↃCII.

bolus est, inquit: Quo paulo post fugato magna tranquillitate è vita alacris abijt; à qua iam nuper abire cœperat.

An. CIↃ. IↃCXIII. III. Quod narrabo ad proximũ caput pertinuisset; sed hic quoq; non importunum erit. Vilnensis quidam Sodalis in menstrua sanctorum sortitione schedam eduxit, cuius omnes partes ad religiosum stadium inuitabant; ac nominatim Beati Ignatij Loiolæ patrocinium, & indicta pro eius Societate oratio. Cum pro more publicè recitarentur ea omnia, cohorruit primum, moxque in lacrymas resolutus cogitare cœpit apertiorem vocantis se Numinis videri voluntatem, quam vt vlli tergiuersationi locus relinqueretur. Quod institutum suum attentius agitanti periculosa incessit ægrotatio; quam tamen Beatus Ignatius Stanislausque, in subsidium ab ægro vocati adeò feliciter depulere, vt supra naturam valetudo restaurata fuisse facilè aduerti potuerit.

IV. Alio

IV. Alio quodam sortiendi genere Sodalis alius Vilnæ ad Religionem ineundam deductus est. Huic namque Codex fortuitò apertus sententias aliquoties obiecerat, quibus ad Religiosum statum inuitaretur: quæ sortes ne temerè obtigisse viderentur, easdem sibi sæpè ac sępius iterandas putauit, iterantique frequentius eiusdem semper argumenti acciderunt. Quo velut cælesti oraculo admonitus votū Religiosæ vitæ nuncupauit. Sed sponsionem sacram iuuenili leuitate postea neglexit. Huic Liberalibus ipsis genialia studia fidentius persequenti, repentinus periculosusque morbus incidit, atque inter decumbendum tetra species inanium monstrorum oblata est, cuius vel aspectu ipso mirum quantū cruciaretur. Vnde cum declinaret lumina, grandioribus consignata literis vox huiusmodi, VOTVM, ex cōspicua tabula illius oculis importunius obtrudebatur: cui comes aderat seuerus promissorum exactor, his

Eodem anno.

Morbo quidam ad sanitatem reuocatur.

graui-

grauiter intonans verbis: *Redde quod debes.* quod & facturum se ægrotus spopondit. Adhibitis deinde Patribus Societatis consultoribus, iterato se voto obstrinxit, ac post tridu- um conualuit. Sed rem non contemnendam inuitus animus facile negligit. Ecce igitur tibi cœlo irato immissus idem planè morbus, nec ita multo post, quam discussus, nec mitior, longè verò diuturnior, cuius vexatione ad officium reuocatus, instauratiua deuotione omnia sua Deo arctius addixit, ac primo Castitatem perpetuam vouit, tum Religioni se mancipauit.

Diuinitus alij vocantur.

V. Hi fortuna quadam beatitudinis iter ingressi sunt: Alios Deus deduxit. Adolescens Perusinus cùm in templo Societatis de vitæ genere deliberaret eo ipso tempore, quo sacra fiebant, quotiescunque populo à Sacerdote sacrum Christi corpus ostendebatur, toties pie Deum obsecrabat verbis Paulinis: *Domine quid me vis facere?* cum ecce tibi iam tertiùm

tiùm ſacra hoſtia ſupra verticem ef-
ferretur, atque is eadem illa verba
ingeminaret, viciſſim ſibi hæc reddi
audire viſus eſt: *Sine te regi:* Ad con-
ſcientiæ igitur ſuæ moderatorem
protinus accurrit; rem aperit; ſtatim-
que Capucinorum inſtitutum ſibi
amplectendum eſſe decernit.

VI. Alibi dum eiſdem curis qui- CIↃ.
dam angitur, mœrore penè cõfectus IↃXCIII.
B. Virginem videre viſus eſt, quæ be- *Bruna.*
nignè eum hortabatur ſi è fluctibus
illis in tranquillum inferri vellet,
Chriſtum, quem ærumnis pariter
preſſum coram intuebatur, adiret.
Quem cum afflictum ac iacentẽ ſub-
leuare conaretur, eius vocem audire
viſus eſt: *Confide fili, quoniam me ſub-
leuaſti, ipſe viciſſim à me ſubleuaberis.*
Quo dicto ejus Religionis, à qua plu-
rimum ante abhorruerat, incredibili
deſiderio flagrare cœpit.

VII. Neapoli Sacerdos omni ſtu- CIↃ.IↃCI.
dio diligentiaque à conſuetudine
patrũ Societatis ſibi cauebat, veritus
videlicet, ne illi pro ſua dicendi, vt
puta-

putabat, arte facilè sibi persuaderēt, vt nuncio rebus fluxis remisso illis cū vnà viuendi eandem rationem sequi cogeretur. Ea dum secum aliquando agitaret, hæc sibi apud se dici tacitus inaudijt: *Non est quod de me in extremo Iudicij die queraris, Societati* IESV *tibi nomen dandum esse prædixi, salutis viam ostendi: Tuum erit vel hanc ingredi, vel aliò te conferre.* Perculit hoc tonitru hominem, vt fulmen nō exspectandum esse censuerit, & è vestigio se Societati adiunxerit.

An. CIↃ. IↃLXXX V. VIII. Referam è Nicolao Orlandino admirandam alterius cuiuspiam vocationem. Sodalis Taurinensis *probæ indolis adolescens Nouitiorum consuetudine in suscipiendis, mendicorum ritu, peregrinationibus cognita, idoneam captans opportunitatem, comitem in itinere se duobus de Societate adiunxit, quorum pia religiosáque consuetudine (nec enim alij erant nisi de pietate sermones) tantum concepit ignis, vt ad humana despicienda omnia, sequendumq́; serio Christum induxe-*

duxerit animum. Auxit eam mentem admirabile per quietem visum. Dormienti enim auus iam vita functus occurrit, qui ante oculos rerum humanarum vanitate proposita, auctor ei esse videbatur, vt cuncta despiceret, & Puerum Iesvm, quem præsentem exhibebat, sedulo sequeretur: ita apud eum nepote relicto senex euanuit. Varie hic aspectus infantis Iesv animum adolescentis affecit: sensit enim tum primùm, quam nihil esset, & sese totū tentauit atque perspexit. Qua ex cogitatione ingentem ob admissas in Deum noxas hausit, & ex dolore inusitatam quandam diuini amoris suauitatem, ita vt vi amoris à corpore mens auulsa Christi charos inter amplexus conquiescere sibi dulciter videretur. Sed non fuit huius mora dulcedinis diuturna. Obiecit sese mox Christus eâ ipsa specie, qua quondam in cruce fuerat, & ab illa suauitate ad tristitiam suæ necis crucisque traduxit. Cuius recordatione sic animus figebatur, vt doloris vim consequi oratione nō posset.

Indicia veræ visionis.

Quæ in diuino obsequio quærenda sint.

Inie-

Iniecta est subito ardens quædam cupiditas, extrema quæque patiendi pro Christo. Sed dum varias sibi ipse mortes & cruciatus fingit, blandè sibi visus est à Christo moneri de cruce pendente, Non magnum aliquid facturum, si corpus tantum doloribus ac morti traderet; gratissimam autem crucem ipsi fore, si se interioribus cruciatibus ac morti dederet, quæ cum cæteris cupiditatibus, tum liberæ voluntati necem atque interitum afferret. hanc aiebat crucem tollendam in humeros; hanc alacriter in omni vita gestandam. Vidit hæc & ad eadem gerenda animum mox conuertit.

Angeli alium vocant. IX. Admiratione dignum quoque est, quod Parisijs cuidam euenit. Hic cùm apud Iosephum celebrem scriptorem belli Iudaici legisset Angelos Tutelares adytis templi Hierosolymitani excessisse, visus est persæpè mediæ noctis silentio audire vocem, quæ eum excitabat: *Surge, eamus hinc; iam tempus est.* Quam rem cum aperuisset aliquando anxi-

us Sacerdoti, cuius auribus animi onera deponebat; eiusque admonitu, alter veluti Samuel respondisset: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Vocem quidem nullam prætérea audiuit, sed se adeo immutatum animo sensit, vt aliud nihil, nisi cælum & cælestia cogitaret. Perpolitus deinde institutionibus spiritalibus, videbatur identidem audire in aurem loquentem: *Qui non odit patrem* &c. Itaque relictis rebus omnibus ostendit diuinos susurros surda aure non esse audiendos, quos impunè nemo neglexit.

X. Ita Panormi quidam cum ab ingressu Religionis in dies materno amore retardaretur, morbo graui afflictus est. Qui illi monitor seriusque consilij maturandi auctor fuit. Nam cum ad Religionem impetrandam matris quoque deprecatricis opera vsus fuisset, eodem die morbo releuatus est, quo petitioni suæ locum fuisse intellexit. Quā morbi leuationem Parisiensis cuiusdā Sodalis pater

Morbis alij adiguntur.
An. CIƆ. IƆXCVI.
An. CIƆ. IƆLXXXVI.

pater eodem quoque momento sensit, quo filij ad excelsiora consilia capessenda properantis voto annuit.

XI. Atque vt ille sua indulgentia beneficium promeritus est, ita dum alij obluctantur malum senserunt. An. CIↃ. IↃCII. *Qui obstant puniuntur.* Posnaniæ Sodalis quidam animum appulerat ad religionem, remque patri suo indicarat, surdo videlicet fabulam. Tandem cum vrgeret id responsi retulit: *Me viuo*, inquit *caue quicquam tentes; nihil efficies: si obiero, age sanè, quod collubitum fuerit.* Quid quæris? citius impetrauit filius, quàm voluerat: nam biduo post pater extinctus est, vt videlicet filio liceret benè viuere. *l. 2. de Virg. l. 2. Epist. 18.* Similia olim euenisse narrant S. Ambrosius & Hieronymus.

XII. Genuæ expetierat Minimorum religionem, parentis opulenti vnicus filius. Verùm non modo nihil impetrauit, sed in non optimorum quoque seu custodiam seu corruptelam traditus est, vt ea illi mens excideret. Sed tenuit aliquandiu fortem ani-

animum; & ter fuga elapſus, ter retractus eſt à parente tentandi, vt aiebant, propoſiti gratia. idque primum Summi Pontificis auctoritate factum, tum propria vſurpari cœptum eſt. Certatum eſt ſeſquianno fortiter, blanditijs tandem omnibus euictus ceſſit parenti filius. Sed infelicis victoriæ, non fuit gaudium diuturnũ. Deſciuit enim primò adoleſcens à pietatis ſtudio; tum inuito atque inſcio patre alienas à familiæ ſuæ dignitate, impares diuitijs nuptias, clandeſtinè adeptus eſt. Enim verò inopinata re perculſus parens, cum tam grauem ſibi poſteriſque inuri notam non pateretur, illum continuo domus ſuæ aditu ita prohibuit, vt nullis etiam principum virorum ſummis precibus in aliquem priſtinæ gratiæ locum, plus quondam æquo expetitum filium reſtituere voluerit. Coactus igitur eſt carere neſcio cuius caducæ dignitatis cauſa pater vnico filio, quo Chriſti cauſa carere ſe non poſſe animũm induxerat. Et mi-

ſer iuuenis ad inopiam maiorem recidit, quam in religione inueniſſet. Atqui multa ſe dederunt, vbi poſſet, ni malè ſanus fuiſſet, diuinã cognoſcere voluntatem. quid enim aliud, dũ nutat, repentino amici odio inflictũ vulnus? dum ferocem frenat equum, crus ad murum propè effractũ? quid grauis denique è febri morbus aliud monebant, quam *vt magis Deo obediret, quam hominibus?*

Actor. 5. An. CIↃ. IↃCIX. XIII. Alterum adoleſcentem Sodalem indulgentior pater à patrũ Capucinorum familia prohibebat, & feruori temperando aquulam affuſum iri credebat, ſi Muſſipontum ſtudiorum cauſa eum mitteret. Vix tertia hebdomas abierat, cum ad parentem triſtis affertur nuncius, filium lethali vulnere iniquè confoſſum ferè exanimem iacere. Penè hoc nuncio funeratus pater aduolat, vt extremum halitum legeret. Horis adhuc tribus filius ſuperuixit, ſolatióne patris maiori, an dolori neſcio. Id vnũ ſolari illum potuit, innocentem perire,

rire. Exorauit quoque à parente veniam percussori: & ad extremum causam mortis suæ exponere non dissimulauit. Secesserat à lecto paulisper parens, cum intermortua volentis aliquid atque appellantis voce reuocatur: respicit, accedit, incipit filius: *Vides*, inquit, *mi Pater, quem nuper Christi Cruce in Capucinorum domo insignitum passus non es ad astra tutam viam quærere, eundem alieno facinore crudeliter morientem videre cogeris.* Non fuerunt hæc verba, sed spicula quibus paternum pectus nimis nuper blandum propè effossum est. Sic videlicet datur; qui erga Deum parci sunt.

XIV. Possem alia ferè innumera eorum exempla memorare, qui vel ipsi pertinacius vocanti Deo restiterunt vel alios à Religione retardarunt, quam miseris modis luerint; sed nolo tristissima narratione librum hunc funestare, cum ad ea quæ Sodalium omnium communia sunt, festinem.

CIƆ. IƆXCV III. tis anno Capucinis adlectus fuiſſet, vitam omni virtutum genere cumulatam maturè cum æterna commutauit. Cuius id argumentum fuit. Cum enim animam ageret eximia ſpecie virum vidit, qui dictitabat cum hoc vitæ inſtituto atque inculto veſtitu immortalia gaudia promeritum fuiſſe. Quibus auditis commilitonem quendam ſuum, cum quo arctiorem vitæ illius diſciplinam amplexus fuerat, accerſendum curauit, & tunica prehensâ: *Si his veſtibus*, inquit, *mi Frater; animus tuus demiſſus reſponderit, cœli ciuis fies, quo ego nunc propero*: ac mox animam cum dicto efflauit. Fient alij quoque eius patriæ ciues, ſi maluerint Tuſculi primi eſſe, quam Romæ ſecundi.

Varia vocationũ cauſæ fortuitæ. CIƆ. IƆ CVIII. II. Ad ea bona varijs ſæpe modis, & quod in humanis frequens eſt, leuibus initijs ad magna inuitati ſunt. Camberij Theſes Philoſophicas Sodalitati quidam dedicarat; & tum ſibi Religionis amplectendæ de-

ſide-

ſiderium iniectum fuiſſe quaſi pro munere teſtatus eſt. Alius Muſſiponti perſonam S. Alexij magno plauſu egerat. Viſi ſunt ſpectatores ſibi videre rediuiuum Alexium. Frons, oculi, motus corporis, omnia ad ſanctitatem compoſita, lacrymas paſſim ciebant: ita ſerio omnia agebantur. Et vere res agebatur. Nam & ipſe adoleſcens toto Alexij animo ſe imbuerat. iam tum mortalia omnia faſtidire, parentum obliuiſci, patriæ memoriam abijcere, Deum tantùm ac Religionem ſpectare. Sed viæ compendio celerius in cœlum euolauit. Vi enim morbi oppreſſus, ſacris procuratus, totum in Virgine MARIA veneranda, à cuius imaginis intuitu oculos nuſquam dimouit, occupabat animum, cumque ea vna ſemper colloquia conferebat. Inter hæc ſubito aqua luſtrali conſpergi petijt, ſalutationem Angelicam iterans. Tum *Satis eſt*, inquit, & nonnihil ſubmurmurans, quid diceret, interrogatus: *Diabolus*

An. CIↃ. IↃCII.

bolus est, inquit: Quo paulo post fugato magna tranquillitate è vita alacris abijt; à qua iam nuper abire cœperat.

An. CIↃ. IↃCXIII. III. Quod narrabo ad proximũ caput pertinuisset; sed hic quoq; non importunum erit. Vilnensis quidam Sodalis in menstrua sanctorum sortitione schedam eduxit, cuius omnes partes ad religiosum stadium inuitabant; ac nominatim Beati Ignatij Loiolæ patrocinium, & indicta pro eius Societate oratio. Cum pro more publicè recitarentur ea omnia, cohorruit primum, moxque in lacrymas resolutus cogitare cœpit apertiorem vocantis se Numinis videri voluntatem, quam vt vlli tergiuersationi locus relinqueretur. Quod institutum suum attentius agitanti periculosa incessit ægrotatio; quam tamen Beatus Ignatius Stanislausque in subsidium ab ægro vocati adeò feliciter depulere, vt suprà naturam valetudo restaurata fuisse facilè aduerti potuerit.

IV. Alio

IV. Alio quodam ſortiendi genere Sodalis alius Vilnæ ad Religionem ineundam deductus eſt. Huic namque Codex fortuitò apertus ſententias aliquoties obiecerat, quibus ad Religioſum ſtatum inuitaretur: quæ ſortes ne temerè obtigiſſe viderentur, eaſdem ſibi ſæpè ac ſæpius iterandas putauit, iterantique frequentius eiuſdem ſemper argumenti acciderunt. Quo velut cæleſti oraculo admonitus votũ Religioſæ vitæ nuncupauit. Sed ſponſionem ſacram iuuenili leuitate poſtea neglexit. Huic Liberalibus ipſis genialia ſtudia fidentius perſequenti, repentinus periculoſuſque morbus incidit, atque inter decumbendum tetra ſpecies in manium monſtrorum oblata eſt, cuius vel aſpectu ipſo mirum quantũ cruciaretur. Vnde cum declinaret lumina, grandioribus conſignata literis vox huiuſmodi, VOTVM, ex cõſpicua tabula illius oculis importunius obtrudebatur: cui comes aderat ſeuerus promiſſorum exactor, his *Eodem anno.* *Morbo quidam ad ſanitatem reuocatur.*

graui-

grauiter intonans verbis: *Redde quod debes.* quod & facturum se ægrotus spopondit. Adhibitis deinde Patribus Societatis consultoribus, iterato se voto obstrinxit, ac post triduum conualuit. Sed rem non contemnendam inuitus animus facile negligit. Ecce igitur tibi cœlo irato immissus idem planè morbus, nec ita multo post, quam discussus, nec mitior, longè verò diuturnior, cuius vexatione ad officium reuocatus, instaurativa deuotione omnia sua Deo arctius addixit, ac primo Castitatem perpetuam vouit, tum Religioni se mancipauit.

Diuinitus alij vocantur. V. Hi fortuna quadam beatitudinis iter ingressi sunt: Alios Deus deduxit. Adolescens Perusinus cùm in templo Societatis de vitæ genere deliberaret eo ipso tempore, quo sacra fiebant, quotiescunque populo à Sacerdote sacrum Christi corpus ostendebatur, toties piè Deum obsecrabat verbis Paulinis: *Domine quid me vis facere?* cum ecce tibi iam tertiùm

tium sacra hostia supra verticem efferretur, atque is eadem illa verba ingeminaret, vicissim sibi hæc reddi audire visus est: *Sine te regi:* Ad conscientiæ igitur suæ moderatorem protinus accurrit; rem aperit; statimque Capucinorum institutum sibi amplectendum esse decernit.

VI. Alibi dum eisdem curis quidam angitur, mœrore penè cōfectus B. Virginem videre visus est, quæ benignè eum hortabatur si è fluctibus illis in tranquillum inferri vellet, Christum, quem ærumnis pariter pressum coram intuebatur, adiret. Quem cum afflictum ac iacentē sublevare conaretur, eius vocem audire visus est: *Confide fili, quoniam me sublevasti, ipse vicissim à me sublevaberis.* Quo dicto eius Religionis, à qua plurimum ante abhorruerat, incredibili desiderio flagrare cœpit. CIƆ. IƆXCIII. *Bruna.*

VII. Neapoli Sacerdos omni studio diligentiaque à consuetudine patrū Societatis sibi cauebat, veritus videlicet, ne illi pro sua dicendi, vt puta- CIƆ. IƆCI.

putabat, arte facilè sibi persuaderēt, vt nuncio rebus fluxis remisso illis cū vnà viuendi eandem rationem sequi cogeretur. Ea dum secum aliquando agitaret, hæc sibi apud se dici tacitus inaudijt: *Non est quod de me in extremo Iudicij die queraris, Societati* IESV *tibi nomen dandum esse prædixi, salutis viam ostendi: Tuum erit vel hanc ingredi, vel aliò te conferre.* Perculit hoc tonitru hominem, vt fulmen nō exspectandum esse censuerit, & è vestigio se Societati adiunxerit.

An. CIↃ. IↃLXXXV. VIII. Referam è Nicolao Orlandino admirandam alterius cuiuspiam vocationem. Sodalis Taurinensis *probæ indolis adolescens Nouitiorum consuetudine in suscipiendis, mendicorum ritu, peregrinationibus cognita, idoneam captans opportunitatem, comitem in itinere se duobus de Societate adiunxit, quorum pia religiosáque consuetudine (nec enim alij erant nisi de pietate sermones) tantum concepit ignis, vt ad humana despicienda omnia, sequendumq́; serio Christum induxe-*

duxerit animum. Auxit eam mentem admirabile per quietem visum. Dormienti enim auus iam vita functus occurrit, qui ante oculos rerum humanarum vanitate proposita, auctor ei esse videbatur, vt cuncta despiceret, & Puerum Iesvm, quem præsentem exhibebat, sedulo sequeretur: ita apud eum nepote relicto senex euanuit. Varie hic aspectus infantis Iesv animum adolescentis affecit: sensit enim tum primùm, quam nihil esset, & sese totũ tentauit atque perspexit. Qua ex cogitatione ingentem ob admissa in Deum noxas hausit, & ex dolore inusitatam quandam diuini amoris suauitatem, ita vt vi amoris à corpore mens auulsa Christi charos inter amplexus conquiescere sibi dulciter videretur. Sed non fuit huius mora dulcedinis diuturna. Obiecit sese mox Christus eâ ipsâ specie, qua quondam in cruce fuerat, & ab illa suauitate ad tristitiam suæ necis crucisque traduxit. Cuius recordatione sic animus figebatur, vt doloris vim consequi oratione nõ posset.

Indicia veræ visionis.

Quæ in diuino obsequio quærenda sint.

Inie-

Iniecta est subito ardens quædam cupiditas, extrema quæque patiendi pro Christo. Sed dum varias sibi ipse mortes & cruciatus fingit, blandè sibi visus est à Christo moneri de cruce pendente, Non magnum aliquid facturum, si corpus tantum doloribus ac morti traderet; gratissimam autem crucem ipsi fore, si se interioribus cruciatibus ac morti dederet, quæ cum cæteris cupiditatibus, tum liberæ voluntati necem atque interitum afferret. hanc aiebat crucem tollendam in humeros; hanc alacriter in omni vita gestandam. Vidit hæc & ad eadem gerenda animum mox conuertit.

Angeli alium vocant. IX. Admiratione dignum quoque est, quod Parisijs cuidam euenit. Hic cùm apud Iosephum celebrem scriptorem belli Iudaici legisset Angelos Tutelares adytis templi Hierosolymitani excessisse, visus est persæpè mediæ noctis silentio audire vocem, quæ eum excitabat: *Surge, eamus hinc; iam tempus est.* Quam rem cum aperuisset aliquando anxi-

us Sacerdoti, cuius auribus animi onera deponebat; eiuſque admonitu, alter veluti Samuel reſpondiſſet: *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* Vocem quidem nullam præterea audiuit, ſed ſe adeo immutatum animo ſenſit, vt aliud nihil, niſi cælum & cæleſtia cogitaret. Perpolitus deinde inſtitutionibus ſpiritalibus, videbatur identidem audire in aurem loquentem: *Qui non odit patrem* &c. Itaque relictis rebus omnibus oſtendit diuinos ſuſurros ſurda aure non eſſe audiendos, quos impunè nemo neglexit.

X. Ita Panormi quidam cum ab ingreſſu Religionis in dies materno amore retardaretur, morbo graui afflictus eſt. Qui illi monitor ſeriuſque conſilij maturandi auctor fuit. Nam cum ad Religionem impetrandam matris quoque deprecatricis opera vſus fuiſſet, eodem die morbo releuatus eſt, quo petitioni ſuæ locum fuiſſe intellexit. Quā morbi leuationem Pariſienſis cuiuſdā Sodalis pater

Morbis alij adiguntur.

An. CIↃ. IↃXCVI.

An. CIↃ. IↃLXXXVI.

pater eodem quoque momento sensit, quo filij ad excelsiora consilia capessenda properantis voto annuit.

XI. Atque vt ille sua indulgentia beneficium promeritus est, ita dum alij obluctantur malum senserunt. Posnaniæ Sodalis quidam animum appulerat ad religionem, remque patri suo indicarat, surdo videlicet fabulam. Tandem cum vrgeret id responsi retulit: *Me viuo*, inquit *caue quicquam tentes; nihil efficies: si obiero, age sanè, quod collubitum fuerit.* Quid quæris? citius impetrauit filius, quàm voluerat: nam biduo post pater extinctus est. vt videlicet filio liceret benè viuere. Similia olim euenisse narrant S. Ambrosius & Hieronymus.

An. CIↃ. IↃCII. *Qui obstant puniuntur.*

l. 2. de Virg. l. 2. Epist. 18.

XII. Genuæ expetierat Minimorum religionem, parentis opulenti vnicus filius. Verùm non modo nihil impetrauit, sed in non optimorum quoque seu custodiam seu corruptelam traditus est, vt ea illi mens excideret. Sed tenuit aliquandiu fortem ani-

animum; & ter fuga elapſus, ter retractus eſt à parente tentandi, vt aiebant, propoſiti gratia. idque primum Summi Pontificis auctoritate factum, tum propria vſurpari cœptum eſt. Certatum eſt ſeſquianno fortiter, blanditijs tandem omnibus euictus ceſſit parenti filius. Sed infelicis victoriæ, non fuit gaudium diuturnũ. Deſciuit enim primò adoleſcens à pietatis ſtudio; tum inuito atque inſcio patre alienas à familiæ ſuæ dignitate, impares diuitijs nuptias, clandeſtinè adeptus eſt. Enim verò inopinata re perculſus parens, cum tam grauem ſibi poſteriſque inuri notam non pateretur, illum continuo domus ſuæ aditu ita prohibuit, vt nullis etiam principum virorum ſummis precibus in aliquem priſtinæ gratiæ locum, plus quondam æquo expetitum filium reſtituere voluerit. Coactus igitur eſt carere neſcio cuius caducæ dignitatis cauſa pater vnico filio, quo Chriſti cauſa carere ſe non poſſe animum induxerat. Et ini-

rire. Exorauit quoque à parente veniam percussori: & ad extremum causam mortis suæ exponere non dissimulauit. Secesserat à lecto paulisper parens, cum intermortua volentis aliquid atque appellantis voce reuocatur: respicit, accedit, incipit filius: *Vides*, inquit, *mi Pater, quem nuper Christi Cruce in Capucinorum domo insignitum passus non es ad astra tutam viam quærere, eundem alieno facinore crudeliter morientem videre cogeris.* Non fuerunt hæc verba, sed spicula quibus paternum pectus nimis nuper blandum propè effossum est. Sic videlicet datur; qui erga Deum parci sunt.

XIV. Possem alia ferè innumera eorum exempla memorare, qui vel ipsi pertinacius vocanti Deo restiterunt vel alios à Religione retardarunt, quam miseris modis luerint; sed nolo tristissima narratione librum hunc funestare, cum ad ea quæ Sodalium omnium communia sunt, festinem.

CAPVT VIII.

CASTOS MORES COLVNT.

QVæ Sodales officia Religionis exequantur satis opinor dictũ est. Nunc ad ea virtutum exempla veniendum est, quæ circa tractationem corporis animique coërcitionem eluxerunt.

I. Ac primum Castitas sese offert, *diuina res* & quæ *proximum facit esse Deo*; virtus, quæ Sodales cumprimis decet, vt qui Virginis Virginum peculiares clientes sint. Est enim Castitas, Virtus, *qua homo secundum iudicium rationis & electionem voluntatis moderatè vtitur corporis membris*, quoad venerea. Cui si adiungatur constans propositum integritatis conseruandæ, *Virginitas* vocabitur, quam S. Augustinus *in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditationem* vocat. Cum igitur casti-

Sapi. 6.

De Natura Castitatis. S. Th. 2.2. q. 151. a. 1. ad 1.

lib. de Virg. c. 13.

tas

tas belluinos motus coërceat, nullaque turpitudinis simulacra menti affigi sinat, patet quam longe ab his inferioribus rebus, id est, à luto ad diuinam quandam viuendi rationem mortalium animos attollat atq; euehat: vt sancti patres eam virtutem *Angelorum vitam* iure optimo nuncupent. Vnde & Angelorum consortio beatas & patrocinio defensas virgines legimus; & diuinus quidam odor per earum cubicula sparsus indicio fuit, quanta suauitas illis animis inesset, quos castitas incoleret. Deinde Cadauera à tabo integra & putoris expertia ostendunt sæpè, quã Sanctus Spiritus in eo corpore libenter habitarit, quod casta mens à brutis voluptatibus conseruauit. Denique *nomen* illud *melius à filijs & filiabus; nomẽ sempiternum*, quod Eunuchis promittitur; illud *canticum nouum Agni, quod nemo canet* nisi Virgo sit, manifestè declarant Deo castitatem præ reliquis gratam acceptamque esse, vt rectè dictum sit. *Qui*

Dignitas Castitatis.

Isa. 55.

Apoc. 14.

Prouerb. 22.

diligit cordis munditiam habebit amicum Regem. Sed de huius virtutis eximia dignitate passim multi scripsere: nos Sodalium nostrorum in ea tuenda aut comparanda pugnas porrò enarremus.

Vide simul. Virtut.

Oppugnatur. An. CIↃ. IↃLXXXVI.

II. Neapoli adolescens in re lauta & ampla satis familia abiectis inanium curis, totum se ad seria conuerterat. Inde suspicio familiaribus incidit, eum nescio cuius vitæ consiliũ animo versare; hoc vt eximerent, mentem eius ad alia auocare studuerunt: Sed pessimo incepto. Nam fœminam forma bona, sed quæ parum honestè pudicitiam habuerat, eo immiserunt, vbi meridiari solebat, magnis oneratam promissis, si voluptatis illecebra animum adolescentis infringeret. Verùm mens sanctis cogitationibus imbuta lenocinijs impervia est. Os enim illud impudens perfrictamque frontem ea verborum vi tamque acri oratione verberauit, vt insueto pudore suffusa recesserit.

III. Cæ-

III. Cæterùm his tentationibus concitandis egregiam operam Dæmoni locant ſæpè peſtilentes ſocij, qui cum ipſi vndequaque pudicitiam omnem profligarint, aliorum quoque famam atque pudorem atterere nituntur. Sed B. Virginis cultores peſtibus eiuſcemodi facile reſtiterunt. Peruſinus quidam ſodalis die dominico, qui proximè Ci- An. CIↃ.
neralia præit, cum ſe ſtudiorum ſuorum cauſa domi contineret, cubiculi oſtium digiti crepitu pulſari audit, ſurgit, aperit, impudentem mulierculam eo à duobus contubernalibus perductam aſpicit; & ſicuti viperam vidiſſet, retro pedem refert, peſſuloque obdito trepidus refugit. Perſtare illa, crebroque pulſu ſollicitare aditum. pudicus adoleſcens cum ſe oppugnari ſentiret, ad B. Virginem confugit, preces litaneuticas de illius titulis ingeminat, alia vota magno animi ardore pronunciat. Interim petulans fœmina per vim mollita ianuam irrumpit, adoritur

IↃXCII.

iuuenem quid faceret? Vim vi propullat calcibus, pugnis, verberibus primum impetum frangit; tum ingenti animo in obſiſtentes illatus, eos diſijcit, elabitur, ſpoliaque opima fugiens reportat ſeruatæ caſtitatis.

In Cruce vincunt. An. CIↃ. IↃCIV. IV. Alius Malacæ in conſimili periculo, cum telum ad manum non haberet, quo ſe tueretur, Crucifixi effigiem obiecit, ac tantopere propudioſas caſtimoniæ oppugnatrices perterrefecit, vt fugam fecerint, quaſi ſi *Lupæ* flammam vidiſſent. Non potuit meliori telo à ſe nefas propulſare. nam inter præcipua ſeruandæ integritatis remedia ponendam Chriſti patientis accuratam meditationem cenſeo. Cum enim *corpora noſtra membra ſint Chriſti* (*1. Cor. 6.*) quis tam proiectæ improbitatis ſit, vt Chriſti corpore diris cruciatibus conſciſſo, ipſe ſpurcis delicijs ſeſe inquinet?

De modis caſtitatis tuendæ. V. Et quoniam remediorum mētio incidit, compendio plura ſuppeditare, vtque illis Sodales vſi ſint indicare

dicare visum est. In magnis malis nulla nimia est diligentia:& hostibus potentibus magna præsidia opponenda sunt. Castitatis autem tuendæ rationes plurimas annumerant; eas ad tria genera reuocabo, *Orationem, Ieiunium, fugam.*

Vide Iacob. Aluar. t. 1. l. 5. c. 14. & 15.

VI. Oratione defendi mentis integritatem S. Augustinus ex Sapiente docet: *propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius, cum tam stultus essem, vt nescirem sicut scriptum est:* Neminem esse posse continentem, nisi tu dederis. *Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas & fide solida in te iactarem curam meam.* Experientia multos docuit profuisse ad castimoniæ propugnationem Deo, B. Virgini, & Angelo tutelari quotidie se serio commendauisse. Sola recordatione B. Virginis aut quod ipsis in mentem venerit Sodales se esse, aliquibus adiumento fuisse reperio; ex ea maxime cohortatione S. Bernardi *Cum tentationibus pulsaberis*

Sap. 8.

Ope D. Virginis castitas defenditur.

An. CIↃ. IↃXCVII.

N 5 respi-

An. CIↃ. IↃCVII. *respice stellam, voca Mariam.* Atq; ita præterea Frexenalensis quidam genere Nobili oriundus è Sodalitio

An. CIↃ. IↃCVIII. Virginis Immaculatæ Concept. mulierculæ illecebris prouocatus cogitabat : *Sodalis B. Virginis sum : si qui vitam politiorem profitentur, agrestes habentur, cùm verbo factoue immodestiore contra vrbanitatem peccant; profecto Sodalis non est, qui vita, factis, dictis alius est, ac Immaculatæ Virginis Sodalem deceat.*

An. CIↃ. IↃCX. VII. Cordubæ Sodalis audierat ad corporis lasciuiam compescendam præcipuè valere annulum literis AVE MARIA inscriptum, si eodem se quis Virgini desponsum esse vellet. placuit rei periculum facere. Indidit digito annulum; atque ab eo tempore amorem libidinis omnem restinctum sensit, quasi sine corpore vitam degeret. Iaspidi ferunt eam vim inesse, vt pudicitiæ florem in vigore conseruet : mea Iaspis sit MARIA VIRGO, cuius virtus nunquam hebescit.

VIII. Quod

VIII. Quod ſequitur, plus admirationis habet, quam exempli, quamuis à viro maturo factum ſit. Hic cũ ante aram Virginis, voto caſtitatis ſe obligaſſet, extare voluit voluntatis ſuæ votiq́ue monumentum. Domum igitur reuerſus venam ſibimet aperuit, exceptoq́ue ſanguine votum in charta conſignauit, ſchedam in lipſanotheca repoſuit, religioſeque ſecum in ſinu circumtulit, magnuſq́ue caſtitatis amator, pro ea tuenda ſanguinem ſe profundere poſſe demonſtrauit.

IX. Vſitatiore via in Magnæ Matris patrocinium ſe Cracouienſis quidam Sodalis inſinuauit. Conſueuerat hic in honorem Deiparæ Officium ipſius à biennio quotidie recitare; & quartum inſuper hebdomadis diem, ipſumq́ue Sabbathum ieiunio tranſmittere. Cæpit illi hoſpita, apud quam diuerſabatur, blandius alludere, quam erat honeſtæ ſatis, atque ad facinus pertrahere; nec à periculo longe abeſſe videbatur.

Cum nocte quadam dormienti sub ipsam auroram species Augustissimæ Virginis obijcitur, altera manu sertum viride gestantis; altera ipsius quoque manum apprehendit, eumque supra montem amœnum amicissimè inuitans deduxit. Cœpit consequi; & mox id sertum suo capiti imponi sensit. Id visum vani nihil habuisse, argumento fuit, quod à somno experrectus pestilentes ardores remisisse, seque ab illecebris omnibus abhorrentem animaduertit. Nã vbi animus semel ad interiores voluptates admissus, & cælestium fragrantia florum perfusus est, nauseam putat, quod corpori blandum est. Vnde & literarum honestarum studia, & piarum rerum meditationem contra veneris faces vim magnam habere omnes perhibent.

X. Sæpe etiam profuit, ad Patronos quos sibi quisque vel quos omnes delegerunt confugere. Hanc nouam rationem & ad Castimoniæ amorem magis inflamãdos Sodales

&ad

& ad eam conſeruandam excogitarunt Duaceni, vt præter Virginẽ Virginum Mariam, aliam è Virginibus cælitibus patronam ſibi deligerent, quod inſtitutum ſic narrat P. Petrus Pennequin eius Sodalitatis director: *Eſt & illud in hoc Sodalitium non ſine prouidentia Numinis inductum; placuit enim, vt magnis Principibus Fœminis fieri videmus, Magnæ Matri Mariæ, honorariam Puellam ac velut pediſequam è Cælitibus aliquam ſeligere, quæ per annum ſuum etiam diem haberet, quo ab Vniuerſo Sodalitio ſolenni cultu coleretur; ad eam verò electa eſt Sancta Aldegundis Virgo Belgica Regio ſanguine oriunda, Virginitatis amore & laude, & prodigijs, ad eius cuſtodiam Virtutis editis omnino ſingularis. huc enim potiſſimũ ſpectabat hoc nouum inuentum, vt per eam occaſionem de laudibus Caſtimoniæ apud Sodales haberetur Oratio, & huius virtutis amor altè eorum pectoribus imprimeretur: Et probaſſe videtur hanc nouam induſtriam Deus:*

nam inuocatione S. Aldegundis biennio vix integro decem aut duodecim prodigia admiranda edidit, ac è Sodalium corpore complures è periculosis morbis eripuit: ac ante octiduum duo iterum visi sunt publico Sospitatrici huic Diuæ duos cereos offerre testes beneficij in desperato morbo accepti: & iam eius reliquiæ argēto inclusæ prorsus habentur à Sodalibus in morbis remedium. Hæc ille. Sic nouo testimonio discimus, quod iam veteres docuerunt, Castitatem corporibus quoque salutarem esse, thesaurumque tam preciosum apud plures patronos depositum securius asseruari.

Sacramentorū vsus castitatem cōseruat. l. 2. cap. 4.

XI. Ad orationem meritò reuocant Sacrorum Mysteriorū frequentationem. Ac quanta sacræ Communioni ad vitia domāda vis insit, supra ostensum est. Et pro castitate defendenda multum posse, nemini dubiū est. Hoc enim est illud *frumentum electorum & vinum germinans Virgines.* Confessio verò peccatorum frequens & seria, incredibile dictu est, quàm

Zachar. 9.

quàm citò ac fortiter totam impuritatis ſentinam exhauriat. Cauſam quærenti ea occurrit, quod vt Sacramenta cætera peculiares vires in ſe continent, ita pœnitentiæ vis peccatum quoduis elidendi inſita eſt. deinde nihil adeo dæmonem auertit ab oppugnatione mortalium, quam ſi eius machinationes in aperto conſtituantur. nam vt arrogans eſt, ita vehementer turpitudinem ſuam prodi perhorreſcit, quod cum frequenti culparum expiatione fiat, à conatu improbo tandem deſiſtit.

XII. Confirmat, quod dixi Murcienſis quidam Sodalis. Hic cum impudicitiæ æſtu propè abriperetur, vt periculoſas cogitationes animo diſpelleret, rus prodeambulauit. Obiecit ſe illi tunc quidam Sacerdotis habitu ætate iuxta ac ſupercilio venerandus, quæſijtque ex eo, cur vultu mœſto oculiſque in terram deiectis incederet? Non tacuit cauſam mœroris ſui; credo, vt eſſet, vbi eam ægritudinem animi exſpueret. An. CIↃ. IↃXC.

Hic

Hic veteratori campus apertus eſt, in quo eius oratio decurreret. Cœpit multa variaque ſuper ea re diſſerere, vt qui ætate atque experiundo ſapientiam magnam collegiſſet, interim vaferrimè prunas in pectore concluſas, quaſi flabello quodam ventilabat, vt aquis illis, quas affundere velle videbatur, iuuenis penè conflagrarit. Tandem cum labefactari ſenſit perturbatam mentem, huc euaſit: *Quid dicendo diem conſumo?* inquit, *Vidi multa, legi varia, cognoui fermè omnia, quæ morbo huic curando profutura dicebantur, ſed efficacius remedium nullum dum reperi, quàm inuiſam hanc vitam citò abrumpere, & ex his ſordibus vi vnâ factâ quam maturrimè euolare.* Hæc ille; & cum dicto laqueum offerens, *En*, inquit, *hoc remedium præſentaneum.* Cohorruit iuuenis: atque vt in cæteris ſpiritalium Patrum conſilio vti ſolitus fuerat, ita ad Patrem Societatis ſuper hac re conſulendum prouocauit. *Non equidem te contemno,* inquit: *ſed*

Dæmonis conſilia omnia fraudulenta.

ille

ille notior eſt, ideoq; quod ille mihi conſilium dederit, id ſequar. Diſputare contra ille alter, & aduerſum niti; multa ac probroſa in Societatem ingerere. Cum nihilo ſecius gradum ad vrbem reuocare pergeret iuuenis, & à Collegij porta non longe abeſſet, quaſi manu iniecta à veſtibulo repellebatur. Perrupit tamen virtute Numinis inuocata, remque omnem in apertum protulit, & inſidias cauere didicit. Neque ad extremum omnino deſtitit dæmon. Nam dum eius fallaciæ deteguntur, ſcabellum, quo nitebatur iuuenis, graui motu concuſſit atq; euertit, ſatis indicans, tum ſua conſilia atq; machinationes improbas concuti ac peſſundari, cum aperiuntur.

XIII. Sed eam Confeſſionem, quam certam adeò medicinam facere diximus, oportet frequentem eſſe atq; ſeriam: Frequentem, quia morbi vis naturæ inſita quotidianis ferè aſſultibus animũ oppugnat, vt quotidianis contra remedijs agendum, & tan- *Qualisnam Cõfeſſio preſit.*

& tandem vis illa retundenda ſit. Seriam dico; quæ firmiſſimo animi propoſito conſtituat pro viribus eniti, vt vitium oppoſitum penitus è pectore excludatur: atque vt id opportunius fiat, certum deligat, cui peccata ſua confiteatur, de quo iam ſupra hoc libro actum eſt. *c. 3. §. 11.*

Corporis caſtigatio remedium caſtitatis.

XIV. Alterum remedium caſtitati tuendæ neceſſarium, Ieiunium præſcribunt: quo aliæ corporis macerationes quoque pertinent. S. Ambroſius ieiunium appellat *fundamentum caſtitatis.* corporis caſtigatione effrenem carnis vim coërceri *& in ſeruitutem redigi* S. Paulus admonet. Quod Sodales noſtri inſigniter præſtiterunt. *l. de Helia & ieiun. c. 3.* *1. Cor. 9.*

CIↃ. IↃCVI. Pacenſes in Peruana Prouincia, vt libidinem omnino perdomarent, ſacrum id tempus, quod natalitijs ferijs antecurrit, carnibus abſtinuiſſe, multique ſolo pane victitaſſe perhibentur. Verberibus quoque & cilicina veſte corpus affligunt, vt non defuerit, qui annum integrum ſetis

acer-

acerbiſſimis ſe excruciarit, vt cogitationum turpium moleſtia ſe liberaret.

XV. Mediolanenſis quidam ad ſacram ſynaxin acceſſurus, conſueuerat ad fœdas ſomniorum imagines expungendas, thorace cilicino per noctem ſe munire. Forte contigit, vt nocte quadam diligenter conquiſitum non inuenerit: ita illo omiſſo quieti ſe dedit. Nocte intempeſta dormientem inimica ludibria inceſſunt. Ille odio obſcœni phantaſmatis, & vſu eius luctæ experrectus proſilit e ſtrato, vt flagello ſe tueatur. cumque nec hoc quidem reperiret, linteo tantum indutus (& erat ſæuà hyems) in hortum domeſticum deſcendit, ibique tamdiu inambulauit, dum periculoſus ardor nocturno frigore extinctus eſt. An. CIↃ. IↃXCIV.

XVI. Dolæ in peruigilio Natalis Chriſti ſimilibus flammis correptus quidam, eandem reſtinguendi rationem inuenit. Nam nudum ſe per niues peruolutauit, vt ſi quid An. CIↃ. IↃCIV.

vo-

voluptatis inuito animo se insinuauisset, vrente frigore penitus deleretur.

An. CIↃ. IↃXCIX. XVII. Dilinganorum quoque strenuum in eo genere certamē memoratur. Fuere enim qui vincendæ cupidinis causa se in niues, aut in spinas abijcerent; alij, qui digitos in ignem extenderent, qui saxo pectus plangerent, aut pugnis faciem contunderent; alius ferè ad mensem hispida se tunicula macerauit, de quibus sequenti capite plura afferam.

CIↃ. IↃXCVIII. XVIII. Ingolstadij nouus quidā Scæuola manum tamdiu prunis torruit, dum flamma pestilens per viscera grassari desineret. Verbera, cilicia, ieiunia, & alia quotidie à nonnullis vsurpantur, vt preciosissimum castitatis thesaurum à prædonibus conseruent. Imitantur videlicet Diuos Hieronymum, Benedictum, Dominicum, Franciscum, qui armis eiuscemodi domesticum hostem debellarunt.

CIↃ. IↃCIX. XIX. Lugduni Parthenius quidam

dam cùm nulla alia ſeruandæ integritatis via ſupereſſet, manus ipſas in vultum ſuum armauit, atque elicito vnguibus cruore, oris ſui florem ita contaminauit, vt quid porro in ipſo amaretur, nemo videret. Profuit aliquibus teterrimarum rerum olfactu atque guſtu Veneris mephitin ſuperaſſe. Sed de genere hoc toto ſequenti capite plura afferentur. CIↃ. IↃ XCIX.

XX. Fuga erat tertium è tribus propoſitis remedijs. Huc ſpectat orientes cogitationes atque motus ſtatim animo eijcere; & ſi poſſis, ne admittere quidem. Hanc Beatus Ægidius magni Franciſci diſcipulus præ reliquis collaudauit pugnandi rationem. Scintilla veſti illapſa cito maculam inurit; ita praua cogitatio mentem facile inficit, niſi eam quam primum excutias. Huc pertinet fæminarum adſpectus, colloquia, munuſcula præſentiam, occaſiones alias deuitare. colubrum in ſinu tutius feres, quam in oculis, in auribus, in animo muliebres blanditias. Vnde ore

Fugâ caſtitas defenditur.

vno

vno sancti Patres consentiunt, cætera vitia pugnando, luxuriam fugiendo rectissimè profligari. Hinc *Fugite fornicationem*, S. Pauli verbū est.
1. Cor. 6.

An. CIↃ. IↃCXII. XX. Sic ille Pultouiensis fugit. Nam lasciuius ab impura muliercula appellatus, fuga se in conclaue interius coniecit; quo cùm insecuta eum fuisset scelesta aliudque præterea effugium misero non pateret, ne laberetur, ex alta se fenestra non sine discrimine eiecit. sed incolumis ad terram quasi per funem delapsus est: non enim solus timor alas addit, sed etiam castitas, quæ cum sublimem mentem euehat, corpori quoque pondus detrahit, & cælestē facit.

CIↃ. IↃXCIV. XXII. Panormi quidam per speciem colloquij à fœmina euocatus, non obscuris signis insidias suspicatus, properauit inde se abripere. Ex eo dein tempore, quamuis negotijs suis sæpius eodem reuocaretur, transitu tamen per plateam illam semper abstinuit. Ibidem alius ad flagitium

com-

comprehensus pallio relicto fugientem Iosephum repræsentauit. Alius è simili incendio elapsus, recta ad ædem D. Virginis contendit, eique quam defenderat, castitatem voto dicauit. Quod hic votum nuncupauit victoria iam obtenta; alteri ad victoriam parandam commodo fuit. Nam vnus aliquis è Viennensi Sodalitate in Gallia castimoniæ votum nuncuparat, idque in libello parthenico consignatum sigilloque munitum apud se gestabat. Adiecit ad eũ oculos animumque impura muliercula, varijsque telis ac technis pectus castum adorta, expugnare nitebatur; philtris atque incantationibus res gerebatur. Sed irrito omnia conatu, ad votum quasi ad clypeum appulsa, resiluerunt. CIↃ. IↃCXI.

XXIV. Hispalensium quoque Sodalium laudanda est cautela, qui se præsentibus nunquã passi sunt ancillas domesticas musæa sua ingredi. Ex ijs quidam morti proximus corã Sodalitij Præfecto seriò testatus est, An. CIↃ. IↃCIII.

sibi

ſibi nullam fæminam ex facie notam, præter duas conſanguineas, quas ob vitæ rariones ſæpius alloqui neceſſe fuerat. Vixerat autem annos ipſos nouem Hiſpali, quo tu magis eius continentiam mireris.

XXIV. Quod ſubnectam & exempli optimi eſt & facti voluptatem magnam habet. Agennenſis Sodalitij Præfectus, Iuuenis generis antiquitate & auita maiorum gloria illuſtris fuit. Confluxerat ad vrbem vicina Nobilitas, vt Proregem Aquitaniæ aduentantem exciperet. Multi erant Iuueni illi ſanguine coniuncti, & familiariter eum cognorant, ideoque ſubinde ad eum viſebant. Dum de varijs inter ſe vltro citroque ſermones conferunt, vnus quiſpiam: *Cæterum,* inquit, *inſignes forma ac genere Dominas ſimul aduenisse ſcire vos arbitror.* Alius: *Quin igitur imus,* inquit, *viſum?* Et ad Iuuenem noſtrum conuerſus: *Et tu Theophile,* inquit, *nobiſcum ito, & vnius tibi alicuius fauorem conciliato.* Erubuit ad dictum vere-

cun-

cundus iuuenis, & : *Ignoſcite,* inquit, *Dominarum ego gratiam non ambitiosè quæro. Vitæ meæ rationes me ab hoc muliebri obſequióne dicam an ſeruitute iam pridem reuocarunt.* Iam enim animum induxerat, diuino cultui ſe mancipare. Cum alia inſuper afferret, quibus officium illud deprecaretur, vrgebant illi contrà, importuniuſque vti ſecum iret inſtabant. Ne igitur inurbanus agreſtiſque haberetur: *Agite,* inquit, *ne pertinacius amicis relučter, aliam viciſsim operam mihi promittite : quam à me petiſtis haud inuitus præſtabo. Dic,* inquiunt. *Primum ad eas ibitis,* inquit, *quas ego conuentas voluero. tum porrò ad veſtras, ſi lubet. Faciemus,* inquiunt; *duc quo voles.* Ille igitur die conſtituta ſplendidiore veſtitu ſe exornat, frontem ſolito elegantius comit, auro gemmiſque ſuperbiſſimè ſe oſtentat, vt qui modeſtiam hominis norant, vehementer admirarentur. Procedit nobile agmen : venitur ad ædes prima fronte magnificas. Propylæum

fenestræq́, altiores nobilem incolam spondebant: pulsatur: Seniculus satis officiosè accurrit foresq; reserat. Ibi cum certaretur, quis primus ingrederetur, *Date veniã*, inquit Theophilus, *rusticitati meæ, quod primus irrumpam; volo tempori parcere, quod inter hæc certamina effugit. Rectè tu quidem*, inquiunt, *Theophile, & moras importunas abrumpis, & familiaris per notas ædes deducis.* Cumque in atrio vellent resistere, ne de improuiso importunius interuenirent Dominis: *Nil verendum est*, inquit ille, *minimè fastidiosæ sunt hæ dominæ.* pergit deducere. illi interea verborum gestuumque compositiones meditari, vestes decenter accommodare, denique prouidere, ne delicatos Dominarum oculos quidquam offenderet. Postquam in parthenonem, vt credebant, deducti sunt, mirificissimum spectaculum illis oblatum est. Erant ibi aut veternosæ anus lippientibus oculis, buccis fluentibus, labijs demissis, incuruæ, edentulæ,

tulæ, pannosæ, macie illuuieque squalidæ aut fœdissimis morbis afflictæ mulierculæ, lectulis pleræque affixæ. Morbi senectutisque stabulum illud erat. Aliæ fila ducebant digitis marcentibus, & inermi gingiua inæqualia stamina morsu complanabant: aliæ detritas togulas pellium frustulis resarciebant, atq; ad fallendum laborem anile aliquod carmen hiabant verius, quam canebant. Duæ tunc forte nescio super qua re contentissimè litigabant, & promptis conuitijs sese inter se atque omnium aures proscindebant. multæ siccissima tussi tenacem animam eiectare velle videbantur. Vbi introgressi sunt Iuuenes, aniculæque suum Theophilum aspexere: *Venit*, exclamant, & rebus suis omissis tremulum gradum accelerant, *O noster*, inquiunt, *saluum te aduenire gaudemus*; manuque porrecta sessum inuitant. Vna tum caput pexuerat, & breues ac raros pilos in nodum colligere laborabat, hæc Theoplilo cōspecto ita

vt erat soluto capillitio, & *ridens catuli ore gallicani* officiosissime nouos, vt rebatur, Theophilos conciliare, nouosque mæcenates parare studebat, aniliter multa garriens ac blandiens. Stabant inter hæc compti Iuuenes attoniti & tardè senserunt se per gynæceo in Xenodochium deductos fuisse. corrugata igitur fronte omnia illa, fœminarum officia auersabantur, dubij irascerentur n'e an riderent in fraudem piam se à Theophilo inductos fuisse. quos ille humanissimè iocans, ad hilaritatem & paria obsequia præstanda inuitabat, *An vultis*, inquiebat, *O amici, vt cum ad vestras me Dominas deduxeritis tristi adeo ore atque auerso vultu eas aspiciam? quin frontem exporrigitis & has verè dominas salutatis?* Quid multa? effecit virtus iuuenis, vt pro indignatione admiratio eos occuparit tam raræ sanctitatis, cæperintq; laudare ingeniosam pietatem. Denique erogata liberaliter in miseras eleemosyna discesserunt, & Theophilo

de

de fœminis posthac visendis negotium nullum amplius facessere tentarunt. Vidit sapientissimus iuuenis formam decusque oris fluxa esse, quę mortales mirantur; atque id in vetulis amicos suos docere voluit.

XXV. Sed nec omne quod nitet aurum est; nec omnis flos sine veneno est. blandum malum mulier plerumq animo, non rarò corpori nocuit. Sodalis id prope extremo suo cum periculo didicit. Nam Mexici cuidam oris corporisque totius dignitate conspicuo laqueos improba mulier tetenderat, ipsa fœdissimo dudum amore irretita: precibus alijsque modis ad facinus bonum Sodalem sollicitauerat, vano incepto. vbi se frustra fuissę speque potiundi deiectam vidit, repulsæ impatiens & dolore furens necē adolescenti machinatur: venenum parat, eique medicata saccari condimenta in delicias officij, & amatorij muneris simulatione transmittit. Adolescens imprudens, vrbanitatis retinendæ donū

Fœminis non nimis fidē. dum.

An. c I ↄ. Iↄ X C I X.

Sub melle venenū.

admittit. Irritabant gulam dulcia munuſcula, & propè propius manum inijciebat, vt guſtaret. ſed refrenauit cupidinem lex conſtans ſibimet indicta, in honorem B. Virginis eum diem ieiunio tranſmittendi: iubet ergo recondi in lucem poſteram. Ea cum diluxit, popoſcit promum hypotrimmata; inferuntur ſtatim, ſed olida, vitiata, & vermibus ſcatentia comparent. Tunc demum fraude intellecta, & inſidijs detectis, agnouit Iuuenis Magnæ Virginis beneficio è vitæ diſcrimine ſe ereptum fuiſſe, in quod impuræ fœminæ conijcere ſolent. I nunc, & à Medeis vel Deianiris munuſcula accipe: ni mortem crudelem ac lentam tibimet quæras.

Quare Sodales caſtitatis amantes eſſe debeant.

XXVI. Hæc de caſtitate Sodalibus proponenda eſſe duxi, qua eos in primis excellere neceſſe eſt, cum virginis virginum ſint clientes: indigni ſunt tanto porci patrocinio.
1. Quo magis etiam ſtudere illi eos virtuti par eſt,
2. qui toties in corpus atque

que animum suum virgineum Christi corpus recipiunt. Aurum gemmæque vilia sunt, vt in his Christus collocetur; & tu insuper in sterquilinium impurum eum pergis abijcere? Cogita Christi dignitatem, & te 3.
membrum illius; quam parum te æstimas, si luto obscæno te inquinas.
lauit ipse te, ô quali lauacro! quid 4.
iterum in volutabrum irruis, & in cæno turpissimè te prouoluis? Sedem 5.
ac templum suum te Sanctus sibi Spiritus dicauit, quid immundæ Veneris idolo mentem tuam profanas? Rationes has breuiter complexus est S. Paulus: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?* 1. Cor. 6.
Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit. Et: *Fugite fornicationem. Omne peccatū, quodcunque fecerit homo, extra corpus est. qui autē fornicatur, in corpus suū peccat. An nescitis quoniā mēbra vestra templū sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis precio magno.*

6. *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Nil potest addi, quod à libidine magis coërceat Christianum: nisi audire velit & illud Paulinum: *Si quis autem templum* DEI *violauerit, disperdet illum Deus.* Nos ad alia transeamus.

1. Cor. 3.

CAPVT IX.

SODALES DVRE aliqui se tractant.

QVæ hoc capite de sensuum totiusque corporis coërcitione scribentur, alijs locis subinde tacta sunt, vt hic breuioribus esse liceat. Est autem hæc rebellium affectuum refrenatio tanti momenti, vt sine ea neque castitas, neque vlla virtus locum tenere possit, neque precandi studium vim magnam habeat, vt Asceticorum doctores produnt. Sed vt Sodales hac in palæstra se exercuerint, videamus.

Necessitas Mortificationis.

I. Prima in gulam luctatio suscipitur.

Gulam refrenát.

pitur. Herbipoli quidam maioris Ieiunij tempore quinquies in quadragenas horas traxit inediam. Alius pio S. Catharinæ ſtudio incenſus, annum totum eius honorandæ gratia carnibus abſtinuit. Friburgi in Heluetijs ſingulis Quadrageſimæ hebdomadis dies aliquos pane & aqua quidam tranſegerunt. An. CIↃ. IↃXCVI.

II. Ex Sodalibus S. Annæ Olomucenſibus quidam ſextis quibuſq; ferijs ob Chriſti necis memoriam, vinum non guſtant: alij ijſdem diebus pane & aceto victitant. Vino in honorem Beatæ MARIÆ ſacratioribus eius diebus Boholani quoque in Philippinis abſtinent. An. CIↃ. IↃLXXXII. CIↃ. IↃCIX.

III. Ingolſtadij & fuit & etiamnum viget aliquorum conſuetudo diebus ſabbathinis ieiunio Deiparam venerandi. Aliqui triduana ſibi ieiunia eaque rigida, vt præter panem & aquam nil guſtarent, indixerunt. Nõ erit iniucundum audire, vt ex ijſdem intemperantiam aliquis caſtigarit. Cum ille bibendo temperantiæ fines CIↃ. IↃXCVI. CIↃ. IↃCI.

nonnihil excessisset, & se liberalius inuitasset, facti pænitens, vt meritas à seipso pænas reposceret, celebriori quodam die mendicum inuitatum suam domum deducit: mensæ paratæ iubet accumbere: mox ad pedes eius deiectus osculatur vtrumque; assidens deinde mendico vnà prandet. Cùm vellet bibere, surgit, iterumque prouolutus ad genua pauperis supplex ab eo petit potestatem bibendi. Id cùm postremum faceret, non prius haurire voluit, quam mendicus inuitus atque abnuens sputo potum fædauisset. Nemo horreat: nunquam spurcius bibitur, quam cum nimium bibitur.

Corpus duriter habent. CIↃ. IↃCIX. IV. Aspera corporis tractatio frequens Sodalibus esse debet, aliorum exemplo. Luxenburgi nudis pedibus Natalitijs matutinis interfuerunt. Niuium thoros alijs vsitatos supra memoraui. diuerberationes statæ & quotidie ante oculos, & libro superiore recensitæ sunt. Michaëlis Ayatumi in hoc genere fuit penè in-

c. 5. §. 9. & seq.

inexplebilis ardor. *Quot diebus semel funiculis se cecidit: publicè ab alio flagellari sæpenumero postulauit. postremis vitæ suæ diebus enixè petijt, vt liceret sibi seminudo per publicas oppidi plateas flagellis cædi : quare biduo ante eius mortem Michaeli adiuncti sunt quatuor collegæ, à quibus eam pœnam a seminarij domo ad vsque templum Societatis* IESV *sustineret. Deposito igitur indusio vmbilico tenus vni propria dat manu chirographum, in quo quicquid præconis voce publicè recitari vellet descripserat: alteri tubam porrigit, tertio flagellum: ipse lætus flagrionis habitu incedere gestit ad eum omnino modum, quo vno ante mortem anno publicè plecti viderat Balanas quasdam Idolorum Sacerdotes. Stantem ita in procinctu militem, & iam ad verbera excipienda paratum, pedem subito reprimere iussit pater, piam illam voluntatem Deo tantisper satis fore persuadens, dum cõmodiore tempore factum ipsum concederetur. Difficile ac durum fuit hoc imperium*

Michaeli, sed cessit; indignum se compellans, qui Christi causa plagas acciperet. Hæc in Alphabeti appendice.

CIↃ. IↃCII. V. Mediolani alius fuit, qui noctu ad orandum surgebat, easq; preces nudis genibus absoluebat: tum se catena ferrea diuerberabat acriter. Neque hoc quotidiano supplicio contentus, ieiunio ferè nimio se macerabat, præter panem & aquam re nulla victitans. Ibidem cum aliqui flagro carerent, cingulo se ferro præfixo male multarunt.

An. CIↃIↃLXXXV VI. Dilinganorum quoq; in corpore edomando feruor pro exemplo proponi debet. Inuentus est, qui se nudo corpore peruolutaret in niuibus, & qui hebdomadas totas omni se potione fraudaret; & qui ad amplificandum voluntariæ verberationis ardorem inflicta vulnera acri sale consspergeret. alij sacculis denso lapillo refertis indormierunt, ne suauiter cubarent. Placet hunc feruorē in ipsorummet annalibus cognoscere. *Multi Sodalium ad cogitationes tur-*

turpium illices auerruncandas ingeniosi fuêre, cum digitos dentibus inuasissent, nomen IESV implorassent, nudis genibus manibusq́; passis precati essent, culcitræ incubuissent stramentitiæ, fame, cilicio, flagello, virgis elicito, sæpe sanguine corpora sua vexauissent. Extra Ieiunium Quadragintadiale sibi ipsis inediam frequentissime indixere, alij quemq́; Veneris diem nullo libato liquore, alij vno contenti cibo, alij nullo traduxere. Vnus quidam tuendæ Castimoniæ plusquam spartanâ sese virtute tractauit, siluam inijt hyeme peracri, niue prealta. Hic minime mollis ille mollem in niuem sese deponere, lacertisq́; quam pote diductis salutationem Angelicam globulis adnumerando ad vltimum frequentare, tum quasi prolusisset, commentans animo illud diui Pauli, à se corpus castigari suum professi, virgas corripere interq́; candorem niuium corpus sanguine purpurare. Æmulus hunc alius nocturno tempore, in Dormitorijs vita functorum, alijsq́; locis religiosis mortē

vitæ metam instituit contemplari, tum ligulis, loro & ære rigidis ita se concidit, vt auersus aduersusque largiter sanguinaret. Hactenus ô adolescens & redi domum. Abest ab hac mensa salinum: ergo & recentibus ac sponte doliturus vulneribus salem adspergit infricatq́, memor vulnerum Christi Seruatoris. Hinc fortasse minus mirabimur (cunctis tamen absque inuidia verbi propono) si tantas irrigationes tanta fœcunditas est consecuta, vt quindecim omnino, repudiatis seculi rebus in Societatem Iesv *concesserint.* Ita illi. Fuere qui Diuorum Benedicti Francisciique exemplo in spinas ac niues se abijcerent, aut digitum in ignem extenderent, aut pectora saxo tunderent aut pugnis faciem impeterent. Quidam sex omnino horas ingeniculatus Christi Domini mortem ac supplicia est contemplatus. Alius vt ægroti subleuaret inopiam, vino suo abstinuit, obtulitque decumbenti. Viginti sex diebus noctibusque vnus asperitate setarum sese attriuit.

Vnus

Vnus retundendis laſciuiæ inſultibus An. CIↃ.
ipſas decem horas ſub graui, quod IↃC
poſuerat, ſaxo diſtenſus in formam VII.
crucis iacuit. Alius morſibus vexabat linguam tantiſper dum ſpurca cogitationum reprimeret.

VII. De Ingolſtadienſibus illud CIↃ.
quoque memoratu dignum reperio, IↃXCIV.
quod ſolo ieiunij verni tempore plus ducentæ Zonæ cilicinæ diſtributæ ſint; nec tamen omnibus petentibus ſatisfieri potuerit. Ac fuit inter eos quidam, qui vrticas & roſarum ſpinas pro cilicio corpori applicuit, quem merito Roſam dixeris, qui ſine ſpinis viuere noluerit. vt contra pro ſpinis eos habendos iudico, qui roſarum adſcititias delicias ſectātur.
Ac certe felicior illè fuit, qui Nea- An. CIↃ.
poli ſubito extinctus cum cilicio in- IↃLXXX
uentus fuit, quam neſcio quis Vene- VI.
ris nepotulus, qui roſarum inter folia ſomnum capere conſueuit.

VIII. Generoſum etiam fuit fa- CIↃ.
cinus & Xaueriano æmulum Sodalis IↃCIX.
Antuerpiani, qui cum Sodalitio B. Vir-

Virginis Angelico nomen dediſſet, vt fidem ſuam Magnæ Matri arctius obſtringeret, ter fune circa lumbos circumacto, quaſi baltheo quodam fortis miles ſe conſtrinxit. Mox tamen attritis lateribus, exulcerata cute, aſperior fuit dolor, quàm ferrent tantillæ vires. Poſt trimeſtre ſpatium rem apud magiſtrum cum fletu depoſuit, qui è veſtigio inolitum ſanguinolentæ pelli funem cultro abſcidit. Rectius enim quædam facta miramur, quàm imitemur.

Animi victoria nobiliſſima eſt.

IX. Verum vt animus corpori præſtat, ita qui animum coërcent, præſtabiliorem victoriam reportant, quàm qui corpori imperant. Ea autem pugna ferè in ſui abiectione cernitur. Exempla capite primo huius libri relata ſunt; pauca tamen hic quoque ſubnectam. Treuiris pridie Natalis Domini poſt breuem de Seruatoris noſtri amore atque humilitate diſſertationem, Præfectus eximia pietate Sacerdos, vt propoſitum exemplum imitaretur poſitis humi genibus,

CIↃ.IↃC.

nibus, opus aliquod pium, quod exequeretur, imperari sibi petijt. Quem reliqui facto illo piè commoti, certatim secuti sunt, & egregia sanè virtutum illarum documenta in nosocomijs præsertim ediderunt.

X. Granatenses pauperum adolescentium sumpsere patrocinium, pro quibus ipsi inter se per decurias diuisi, celebriores vrbis plateas obeunt, ac publicè Eleemosynam corrogant. E quibus mantica vnus onustus, nocte ac cœlo pluuio, asperrimisque ventis flantibus, hanc pauperibus operam nauauit, tanto ciuium motu, vt nonnulli, quod dabant, flexis genibus porrigerent. CIↃ.IↃXCV.

XI. Neapoli quidam in scatentē lepra hominem inciderat, in eumq; omnia pietatis exercuerat officia; æger admiratus viri pietatem grates agere incepit. Tum ille: *Ego verò,* inquit, & *gratias tibi agere debeo & immortales ago, qui pij operis faciendi ansam mihi præbueris*; simulque caput acclinans leprosum hominem mag- CIↃ.IↃXCV.

magna cum eius admiratione oſculatus eſt.

CIↃ.IↃCV. XII. Limæ in Petuana prouincia Canonicus quidam in Sodalitatem cooptatus, beneficium hoc, veluti maximum quoddam ac ſingulare beatitudinis capeſſendæ indicium prædicauit. cumque intellexiſſet ſolere aliquibus hebdomadæ diebus Xenodochia à Sacerdotibus Sodalitatis adiri, miniſteriorum deferendi gratia, ad ipſum id munus præſtandum celerrimus accurrit, togaque ac pileo ſepoſitis, ſumma animi voluptate pauperibus inſeruiuit. Quod eo illuſtrius exemplum fuit, quo ipſe ſcientia, ætate, dignitate magis omnibus antiſtabat.

CIↃ.IↃLXXXVIII. XIII. Quo in genere obſequiorum auerſos animos fortiter retinere, & tota vi eo applicare debuerunt. Ex Aletinâ Sodalitate ſeni quotidie ad Xenodochia publica mittebantur. Eorum vnus cum neſcio quæ nauſea inter abluendas lances animo facta fuiſſet, ad eam cohiben-

dam

dam præclaro amuleto vſus eſt. Nam reliquias eſculentas inter retrimenta culinæ vel ante triduum abiectas auidè deuorauit, generoſa ſuimet victoria.

XIV. Mediolani magna animorum alacritate in officijs illis Sodales occupantur. Perhorreſcebat bonus quidam adoleſcens nomen Xenodochij, nedum adſpectum; diuino tandem impulſu Præſidem Sodalitij adit, animi ſui mollitiem atque imbecillitatem fatetur; ait velle ſe ſibi vim facere. Conſtituitur dies: adeſt benè manè; itur ad infirmos. Vbi in loci conſpectum ventum eſt, ecce tibi expalleſcere adoleſcens, horrere, titubare, ſudore diffluere, ſed nihilominus Chriſti amore obfirmatus colligit ſe, cubiculum ingreditur, terram oſculatur, cœleſte numen ac vires implorat. Nec mora, ſtrenuè ſe ad opus accingit, pallium abijcit, ſternit lectos aliaque exequitur tāta alacritate, vt omnibus incitamento poſtea fuerit, cui CIↃ.IↃC.

pri-

prius aliorum exempla vix esse calcaria potuerunt.

CIↃ. IↃCV. XV. Neapoli alius quidam tenerum nimis fastidium egregiè vltus est. Nam cum in Nosocomio vlcerosum hominem sæpius contrectasset, domum reuersus seipsum ferre vix poterat: auersabatur vel facti memoriam: aquam, qua nefas ablueret, quæritabat. Cum in promptu non esset, subito diuinitus generosior mens homini immissa est: cæpit detestari ignauiam suam; & vt insigne victoriæ genus admirere, osculari ac lingere eas partes, quæ magis vlcerum fæce fuissent infectæ. Macte animi! hac ad virtutem itur. *Illi* enim *maximè præ cæteris in virtutibus proficiunt, qui ea quæ sibi magis grauia & contraria sunt, virilius vincere nituntur*, ait Th. de Kempis. vt proinde Sodalibus nostris virtutum agendarum cupidis athletica hæc viuendi ac vincendi ratio præcipuè cordi esse debeat, vt qui præstanti indole non nisi ardua atque magna sibi proposita habeant.

l. 1. de imit. c. 25.

Iul. Fac. Francisc. Arias propriis tractatibus. Aluar. t. 2. l. 2. &

Sed

Sed de toto illo genere alij vberibus perſcripſere. Hæc pro exemplo ſufficiant.

L. de Pōt. l. 4. ducis ſprrit.

Capvt X.

SODALES ANIMI *robore præſtant.*

Fortitudo contemptum quendã diuitiarum, honorum & voluptatum, atque firmum propoſitum inhærendi bono honeſto complectitur: tum maximè robur quoddam animi ſignificat in ſuſtinendis periculis audaciaque nimia moderanda. Qua in re etiam generoſa Sodalium facinora non defuerunt.

Vide S. Th. 2. 2. q. 123. a. 2. & S. Ambroſ. l. 1. de off. c. 36.

I. Poſſent hic in medium afferri omnes ij, qui ſpretis his humanis diuiniorem vitæ degendæ rationem ſecuti ſunt. Sed & longum foret multos percenſere, & ſupra ſuo loco aliquorum exempla numeraui. Vnum tamen alterúmue adijciam, in quo fortis indoles magis eluxit, Ex Sodalibus

Religionis obſtacula fortiter perrumpũt.

CIↃ.IↃ LXXXIII. libus Neapolitanis anno vno amplius quadraginta varia Religioſorum instituta complexi ſunt. In his adoleſcens illuſtri loco natus, præclaris naturæ donis inſtructus fuit, cui quidem magno ſtetit Religio. Nam cum eius de Religione conſilium reſciſſet pater, furore percitus, & pugnis eum verberibuſque contundens: *Moriere flagris*, inquit, *priuſquam abeas.* At ille: *Non mihi tum*, inquit, *erit India aut Anglia Martyrij cauſa peragranda, ſi paternis manibus interficiar.* Cum animaduerteret pater, nihil ſe aſperitate proficere, ad lacrymas blanditiaſque deflexit. Ne hæc quidem firmum animum abducere ab inſtituto potuerunt. Reditum ad acerbitatem, reditum ad minas. Domeſtica eum cuſtodia pater incluſit, vt tanquam reum aliquem in proprium oppidum, quod tridui itinere aberat, vinctum amandaret. Senſit hoc perſpicax adoleſcens, & fugam attentè meditans non ſine vitæ diſcrimine, edito de-

de loco, confeſtim deſiluit. Inde ad Religioſorum domicilium nullo pallio, nullo in publicum prodeuntis ornatu inſequentibus à tergo famulis tranſuolauit.

II. Nec minus ſtrenuè fortiterque ſe geſſit alius adoleſcens ex hac eadem virtutis ſchola profectus, qui poſtquam patri, ſe religioni adſcribendum eſſe ſignificauit, nolletque patrijs bonis, quæ ſibi hæreditario iure obuentura erant, inconſultis illis Religioſis, quorum ſe numero adiungere meditabatur, credere, verberibus malè acceptus, ad Religionis ædem brachio ſemifracto cõfugit. Tum accerſito tabellione antiſtitis permiſſu nuncium paternis bonis patrique ipſi remiſit.

III. Panormi Iureconſultus honeſtiſſimo loco natus, magnaque apud omnes auctoritate in Religioſorum cætum adlectus eſt: Hic cum per patriam neceſſario iter faceret, mater illius voluntate cognita cum benè magna matronarum caterua

CIↃ.IↃ LXXXI.

pro-

processit atro vestitu, passisque crinibus; & pedibus aduoluta obtestata est, ne se desertum iret. Sed vt lacrymæ muliebres cito exarescunt, ita vim magnam non habuerunt. Alium mercatorem, ad quem hæreditas quinquaginta millium aureorum deuenisset, parens à patrum Capucinorum instituto auertere frustra tentauit.

Ob aditam Sodalitatē vexati generose vincunt.

IV. Non minorem commendationem meritus est eadem in vrbe nobilissimus quidam Eques, qui parthenianis adiunctus, æqualium suorum in se odium quoddam prouocauit. Cum igitur eum ad D. Christinæ templum illius ferijs venturum cognouissent, aream, vbi maximâ Siciliæ totius frequentiâ nundinæ celebrantur, cum scorto obsidēt, quod ille quondam perditissimè amauerat, ac sese plus quinquies pro eo certissimæ morti obiecerat. Scortum, vt fuerat edoctum, Iuuenem aggreditur, pallioque arrepto, verbis petulantissimis susceptam vitæ rationem ex-

exprobrat, domumque & ad pristinam consuetudinem inuitat. Quid multa? plus semi horâ Iuuenem sic vexauit mulier impudentissima, vt nusquam elabi potuerit. Dynastæ interea alijque Iuuentutis Principes, totusque populus cachinnis concuti, sibilis perstrepere, clamoribus hominem exagitare. Sed ille ea constãtia & grauitate mulieris procacitatẽ à se reiecit, vt duos equites petulantissimos traduxerit ad honestatem, vt statim criminibus expiatis in Sodalitij sacellum secesserint, ac sese per semi horam acriter ceciderint; alter etiam mundo nuncium penitus remiserit. nescio an fortiorem hunc prædicem, quia sibilos sannasq; tam cordate pertulit, an quia animum suum à veteri ruina labefactari non siuerit. vtroque certe in genere heroëm se ostendit. *Ad vetera peccata non relabi fortis animi est.*

V. Pueri virile responsum est. Hic ex Regina Angelorum Sodalitio Olomucij erecto, per plures Ieiunij magni dies cibario pane contentus vitã *Forte pueri responsum.* CIↃ. IↃCX.

traducere maluit, quam carnibus vesci. Quam ob causam & tergoris sui periculum adiuit sæpe, & incommoda non pauca pertulit. Die quodam Sabbathi cum ad carnes edendas vrgeretur, diceretque reluctanti pater stomachabundus: *Itáne verò te parentibus obedire docent Iesuitæ? Ego enim vero obedio*, inquit: *nam & Ecclesia Mater est.*

CIↃ.IↃ. VI. Dictum hoc consimilis me in
XCVIII. simili constantiæ admonet. Nam è Dilingano Sodalitio domum profectus Adolescentulus appositos interdicto die carnes canibus obiecerat; rogatus causam, *Ista*, inquit, *mihi, non cani sunt hodie vetita*; cumque instarent accubantes, & vel bucceam (rem oppido paruam) sumere hortarentur; *Nec sane*, inquit, *pomũ grande fuit cuius ob esum primi parentes è Paradiso sunt profligati.* Quis neget Sodalitia esse præstantiora Philosophorum lyceis, vnde tam sapientia dicta condiscunt.

VII. Ti-

VII. Timidi videbitur factum, quod narrabo, si humanis oculis rem quis spectauerit. Sed reuera fortitudinis non leue argumentum habet. Sodalem quendam Sassaritanum in Sardinia quidam in compito adortus ad pugnam prouocauit: excusauit Sodalis, quod ensis suus obtusus foret. *Stringe*, inquit alter: *quid enim gestas? Egone vt stringam?* inquit ille, *nequeo: nam Sodality præses iamdudum gladium meum vaginæ affixit, vt conuellere non poßim.* Egerat videlicet sæpe Pater de ira moderanda & temerarijs congressibus declinandis; quod tam altè animo combibit iuuenis, vt nullo iurgio lacessi potuerit. Belluarum est in quasuis pugnas ruere: fortis robur suum non temerè effundit, sed loco suo reseruat.

Ad duella prouocari nequeunt.

CIↃ. IↃCIV.

VIII. Aduersos casus excelso animo tolerare, fortium virorum est. Ita Sodalis Dolanus ex agro reuersus cum & domum & quicquid inerat incendio absumi fortuito inuenisset, in genua procidens: *Dominus,*

Bonorum iacturā ferunt. Eodem

inquit, *dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* Qui Iobi verba tam citò in promptu habuit, eiusdem robur animo dudum concepisse debuit. Eum multi suspexerunt vt *contempta dominum splendidiorem rei.*

Nec à morte abhorrêt.
CIↃ. IↃCI.

IX. Nec ad mortis minas ita cohorruerunt, vt partheniana indole indignum aliquid facerent. Neapoli adolescens tanta ira in Sodalem exarsit, vt cùm hominem celebri in loco contumelijs omnibus onerasset, stricto etiam mucrone mortem ei minatus sit. Sed ad hæc impauidus noster; *Mortem*, inquit, *Dei causa libentissimo animo excipiam.* Simul, ad pedes insanientis allapsus ijsdem osculum defixit.

CIↃ. IↃCXI.

X. Memorabile aliud Boholanus Sodalis aduersus veteris superstitionis reliquias fortiter patrauit. Arbor erat in suburbio de earum genere, quas Nonoe incolæ nominant, quæque eius naturæ sunt, vt si qua adhuc tenera aliam aliquam arborem contin-

tingat, eam vitis in morem arctè cō-
plexam ramulis implicet, & totam
denique exiccet, humoremque to-
tum in ſe deriuet. Hęc igitur miræ in-
ter omnes pulchritudinis ac prodi-
gioſæ præ alijs vaſtitatis tantum ſibi
conciliarat opinionis, vt ipſam olim
Pyntati inter Numina colerent, & ſi
quis ramuſculum ex ea decerperet,
aut terram ſubiectam aratro viola-
ret, piaculum vitâ luiturum dicerent.
Facile quidem ſtultitia hæc vnâ cum
cæteris penitus abolita fuiſſet, ni hæ-
ſiſſet altius quorundam cordibus in-
fixus minarum metus. Arborem at-
tingere audebat nemo, donec Par-
thenius ille gloriosè de falſo Deo tri-
umphauit, qui exciſam admiranti-
bus ſpectatoribus arborem igni de-
dit, agrumque ferro euertit. fixum
dein eo loco crucis ſignum, conſper-
ſus luſtrali aqua fundus vberiores,
præ quam alijs in locis fructus dedit.

XI. Forte illud quoque facinus CIↃ.
eſt Panòrmitani cuiuſdam qui die IↃCX.
quodam fortè è Sodalitate domum

repetens, à quodam in palatium euocatur. Atq; vt animus bonus minimè suspicax est, ita ille periculum subesse non aduertit. Ingreditur; mox à duobus profligatissimæ vitæ hominibus interceptus, prece primum ac precio; tum verò minis etiam atque verberibus ad nefanda eorum mandata perferenda sollicitatur. Sed didiscere potuerunt, qui viri sint Sodales. Repudiat hic conditiones, verbera contemnit, alienum à se, alienũ à tantæ Matris cliente asserit, in tam indigno flagitio esse sequestrem. Expediunt illi mucrones, pugionibus inuolant, & ni pareat, mactaturos se ostendunt. *Occidite*, inquit, *forte hoc potestis; vt sceleris internuncius fiam, nunquam à me impetrabitis. Florem integritatis seruare certum est*, LILIVM *an* ROSAM, *id verò parum mea interest*. Admirati sunt iuuenis fortitudinem, & porro vrgere destiterunt. Vide quid animus liber possit: & se incolumem seruat, & hostibus nefas sæpè è manibus extorquet.

XII. Ad

XII. Ad fortitudinem Parthenianorum oſtendendam puto hoc quoque facturum. Taurini adoleſcens ab equo calce petitus in inguine vulnus acceperat. Sed eâ erat verecundiâ, vt chirurgo vulnus aperire nulli auderet. Inde morbus, inde vitæ periculum. diſſimulauit tamen, quantumuis grauibus conficeretur doloribus, donec Patris Spiritalis præcepto malum pandere coactus eſt. Sed putreſcente vulnere, eo iam res deducta erat, vt morbi vis nullo remedio vinci potuerit. Quo etiam non multo pòſt ſummos inter dolores vitam innocentem abſoluit, cum patientiæ ac fortitudinis exemplum, ſimul ducentos aureos Sodalitati teſtamento reliquiſſet. CIↃ.IↃCXI

XIII. Quo ille animo cruciatus tulit, ne ſanaretur, eodem alius ferrũ & ignem, vt glans ferrea pedi infixa euelleretur ſuſtinuit, vt nec verbo nec vllo indicio dolorem proderet, ſed Iesv & Mariæ nominibus

vim cruciatuum mitigaret: eamque patientiam è materno B. Virginis ſinu ſe haurire profitebatur. Eam deinde glandem eidem Virgini in memoriam beneficij ſuſpendit.

XIV. Hæc Sodales patientiæ atque fortitudinis exempla intuiti, generoſos Spiritus induent, & iam non modo inanes malorum iocos aut aculeos fucorum, ſed mortem quoq; contemnere audebunt, ſi pro virtute paciſcendum ſit, vt nunc in Iaponia multi conſtanter faciunt etiam hodie. Et ab Indo factum infra referam. Sed vt ad iniuriarum tolerantiam acrius extimulentur, eiuſdem rei ſpecimina præclara proponamus.

CAPVT XI.

INIVRIAS ACCEPtas remittunt.

NEſcio an quicquam ſit, quod ingenuo homini maiorem dolorem afferre poſſit, quam ſi indigno iniu-

iniuria impingatur. Nam alia vel casus infert, vel merito nostro nobis obtingunt: vtrumque admixtum habet, quod malum leniat. Quæ enim casu eueniunt, communia sunt mortalibus; nec toleratu tam est difficile, quod omnes ferre coguntur. Quæ culpa nostra accidunt, sponte à nobis suscipi videntur. Quæ verò aliorum nequitia nobis irrogantur, illa talia sunt, vt nos idoneos visos fuisse indicent, quibus impunè illuderetur; quod honesto cuique perquam difficile est. Vnde & maximi animi est, iniurijs eiuscemodi non succumbere, nec earum remedium à vindicta petere. Neq; enim æquè malum malo, vt clauus clauo benè expellitur. Bonus animus supra iniurias se erectum credit, facilique obliuione eas conterit: Mollis infra se abijcit, ostenditque tam se humilem esse, vt tangere eum iniuriæ possint. Quo in genere fortitudinis, quam præclarè Mariani milites pugnarint videamus.

Vindicta cupiditas imbecillis est.

I. Cracouiensis quidam Sodalis

Homicidis ignoscunt. CIↃ. XCVI. vitæ iñocentia præstans hospitio suo egressus, in ignotum fortè militem incidit, à quo ne verbo quidem inter eos commutato, lethale in capite vulnus accepit exanimisque in terram corruit. Frater eius germanus vbi rem intellexit, excandescens perditum homicidam socijs sibi aliquot adiunctis inuestigat, & tandem inuentum, catena oneratum domum abducit, vt sequenti die extremo supplicio plecteretur. Adolescens porrò saucius vt fugientem animum nonnihil collegit, aduertitque percussori malum iminere, multis precibus apud fratrem agere instituit, vt veniâ data homicidam abire fineret: mortem eius sibi iam morituro commodi nihil allaturam, & se in suo è vita abitu præclarum Christi ignoscentis exemplum imitaturum. Non videbatur exorari posse frater; ita rei indignitas & tam boni fratris amissio faces irato subdebant. Cum tamen alter finem rogandi non faceret, atque, si negaretur, animi dolore citius

citius conficiendus videretur; ficte pollicetur, se eum liberum dimissurum. Non latuit læsum dolus. *Atque,* inquit, *mi frater, oro te obsecroque, vt hominem coram ad me solutum vinculis adducas.* Repetebat istud sæpius, & lachrimans obtestabatur, vt tandem sisti debuerit. Hunc ille vt vidit, statim coram omnibus, quantum potuit clara voce liberum pronunciat, & protestatur, se necem propriam nulla ratione vindicare velle; conuersusque ad hominem: *Deus tibi,* inquit, *ignoscat; ora pro me Deum & Beatissimam Virginem,* sicque solutum vinculis abire iussit. Post die & nocte, qua superuixit Salutationem Angelicam assiduè iterans, pie ex his corporis vinculis in libertatem filiorum Dei euolauit.

II. Veronæ vir honestus quotidie solitus erat recitare B. Virginis Officium, atque inter eas preces genibus niti. Oblitus id aliquando pensum persoluere, cubitum se receperat: sed cum somnum capere nō pos- CIƆ.IƆCI.

ſet, ſubijt neglecti officij memoriam recordatio. nulla igitur morâ ſe è ſtrato corripit; & cum neſcio quos in via ante fores ædium ſuarum inambulantes inaudiret, ne qua fraus strueretur metuens, cubiculi feneſtram aperit, ac quid rei ſit perſpicit. Lucente luna videt ille in tenebras abdentem ſe quendam, & eo vtcunque agnito, nihil iam ſuſpicans mali, paulo ibi diutius æſtus leuandi causâ moratur, cum ecce tibi repente coniecta ab improbo ſicario per fiſtulam ferream glande, periculoſum in capite, ſiniſtro penè oculo excuſſo, vulnus accipit: tum, vt in re trepidâ primum vehementer perturbatur; deinde implorato eius patrocinio, in cuius obſequio iam eſſe parauerat, animo diuinitus confirmato, *Ignoſco*, inquit, *Ignoſco, quiſquis es.* Et ſicuti ipſe læſus non fuiſſet, curam omnem aliam ſepoſuit, placidiſſimeque vt inſtituerat, preces pertexere incepit. Quibus demum finitis domeſticum aduocat, quid factum ſit, quid fieri

velit

velit edocet. rogatus de auctore, *Nihil opus est*, inquit, *te hoc scire, cura quæ mandaui.* Eadem fuit hominis constantia cùm ad eum Prætor misit, qui de tanti facinoris auctore interrogarent. neque enim vllis aut precib9 aut minis aut artificijs adduci potuit vnquam, vt illum indicaret. Nec verò ipse pro se obliuione iniuriam deleuit, sed apud Deum quoque sæpe numerò egit, vt reo veniam facti daret. Huncné Deum offensum habere potuisse credimus, qui inimico suo eum conciliare tam solicitè studuit? *Nolint prodere eos à quibus læsi.*

III. Perquam similis virtus fuit Ingolstadiensis cuiusdam Sodalis, qui luculento in capite vulnere, eoq; mortifero ab Equite cęsus & veniam statim dedit & à ductore equitum interrogatus, nullo indicio percussorem notare voluit. Quod Panormi à quodam præstitum quoque fuisse reperio. Pars enim vindictæ videri potest, auctorem iniuriæ prodere. CIↃ.IↃC XIX. CIↃ.IↃ IↃC.

IV. Aliūs Sassari glande plumbea

 ictus,

Veniam impetrant. An. CIↃ. IↃCVIII. ictus, apud parentem suum prius supplicare non destitit, quàm facinoroso veniam impetraret. Qua re ille se postea mortis periculum euasisse, citiusque opinione sanitati pristinæ restitutum fuisse credidit. Vbi enim animus sine cicatrice est vulneris, corporis quoque vulnera cito obduci possunt.

CIↃ. IↃC. V. Neapoli per errorem vulneratus Sodalis, primum à suis obnixè contendit, ne quid in suum interfectorem durius agerent; tum maiori idem vi apud matrem dolore ferè insanientem euincere laborauit. Cumque durior illa esset ob vnigeniti necem: *Ne quæso*, inquit, *mater mea, iter meum ad cœlum impedi: Christum, si sapis, in filij locum tibi adopta, hæredē & minimè auarum & locupletissimū: cui ego quidem pro hoc mortis genere grates lubens ago.* Inter hæc cum nihil nisi de cælesti patria vel audire, vel loqui vellet, ad extremùm Christi effigiem arctè complexus suauissimè exspirauit.

VI. Le-

VI. Leuiori in re non minus fortitudinis eſt exemplum, Balearis cuiuſdam Sodalis, qui ab alio pugno percuſſus, aduolutus ſtatim ad illius genua, veniam petijt, & maxillam alteram, ſi ita opus foret, præbuit verberandam. Quod Olyſſippone Sodalis quidam imitatus ſcribitur. Monachij itidem adoleſcens ingenij præferuidi fuit. hic cum æqualem officij admonuiſſet, gratiarum loco pugno os ei verberatum eſt. Poterat vlciſci & paria facere, ſed præceptorum memor, quæ illi identidem inculcabantur, de ira cohibēda, nihil contra, niſi illud tantum: *en tibi*, inquit, *genam alteram*. Non minus liberalis alter, colaphum alterum infregit. eadem adoleſcentis patientiâ. Indignum id viſum alijs; ad Sodalitij Præſidem res delata eſt. Hic experiundi adoleſcentis gratia, grauiter eum, quaſi neſcio quid concertationis incepiſſet, reprehendit; tum in reliquorum conſeſſu vterque ad pœnam quaſi reus vocatus eſt,

Maxillā alteram verberādam exhibent.

CIƆ.IƆ LXXXVI.

An. CIƆ.IƆLXXX VIII.

CIƆ.IƆCIX.

eſt, iuſſique ſunt alter alterius pedes exoſculari. Qui læſerat, tergiuerſari, vt non inconſtanter iniuriam feciſſe videretur: ille verò alter è veſtigio in genua procidere atque oſculari velle. Sed à conſcio innocentiæ Præſide prohibitus eſt; cui ſatis fuit, Sodalibus generoſæ victoriæ palmam præfigere, ad quam decurrerent: Virtutem penitus abijcere par non fuit.

Satisfactiones respuunt. VII. Alij ſatisfieri ſibi noluerunt. Aletino cuidam Sodali e que Regio Iudici, homo iræ impotens colaphū impegerat; promptum erat vlciſci, niſi Chriſtianus animus inhibuiſſet. Redijt interea ad ſe alter, & animaduertens, quem læſiſſet, pro iniuriæ compenſatione grandem pecuniæ ſummam obtulit. Cui Sodalis: *An tibi ignoſcendum ſit*, inquit, *non pecuniam tuam, ſed Chriſti voluntatem in conſilium aduocabo.* Dedit deinde veniam, eamque tabulis conſignatam, ad Magiſtratus publicos tranſmiſit. Laudarunt factum omnes; nec immerito; talia enim fiunt, cum Chriſtus con-

consultor est. *Cupidine atque ira pessimis consultoribus*, vt ille appellat, fieri æq. i bonique nil potest.

V III. Parum esse visum est multis iniuriam non vlcisci, nisi iniuriũ beneuolentia complecterentur. Barienses contumelias publicè acceptas pedis osculo rependerunt. Quo alius Mediolani facto, irã in pectore intumescentem repressit. Marsalensis alius fuste iniuriosè pulsatus, repentina occupatus iniuria, saxum iam sustulerat, vt verbera vlciscere-tur, cum ratio admonuit, Christiani officij esse, accipere potius, quam facere iniuriam. Itaque ad pedes aduersarij procidens ijsdem osculum infixit.

Beneuolè iniuris tractant. CIↃ.IↃ LXXXVI. CIↃ. IↃCIV. CIↃ.IↃCI.

IX. Imo beneficijs quoque contra certarunt. Posnaniensis quidam Sodalis multo tempore potentis alicuius & factiosi ciuis conuitia passus, nunquam reponebat; eodemque auctore magnam in mercibus iacturam fecerat. Ferebat noster æquissimo animo, dictitans se DEIPARÆ amo-

Erga eosdem benefici sunt. CIↃ. IↃCIX.

amore & quicquid pertuliſſet iniuriarum obliuiſci, & plures pati paratum eſſe. Neque minus promptum ad inferendas ſe alter ille gerebat, donec Deo vindice domus illius magnaque pars rei familiaris incendio deflagrauit. Quo iret miſer? aut quem hoſpitem rogaret! nota erat ſæuities hominis, quem plures metuebant, quam amabant; & quod denique fieri ſolet, pauci eius miſeria mouebantur. Sed noſtri videte benignitatem. Inuitat ærumnoſum domum ſuam; vxori eius, quæ propediem partum editura erat, cubiculum egregiè inſtruit, omnibuſque officijs miſerum demeretur. Nemo ambiget, afflicto animum redditum, partemque maximam ærumnarum, beneficio tam mitis hoſpitis abſterſam fuiſſe. Ego verò vtriuſque mentem conſiderans, illum noſtrum gaudio triumphaſſe opinor, quod inimico ſuo amicè facere potuerit: ad huius verò alterius miſerias acceſſiſſe eum dolorem maximum

reor,

reor, quòd tantum amicum vlla vnquam in re læserit. Verè enim dictum est: *si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.* *Prou. 25. ad Rom. 12.*

X. Diuionensis item Sodalis annonæ militaris curator, à rusticis comprehensus pessimeque habitus, ita eorum immanitatem vindicauit, vt illorum tecta à direptione militum atque incendio solicitè liberarit, quos pessimis modis mulctare potuisset. *S. Aug. l. 3. doct. christ. c. 16.* CIↃ. IↃ XCIII.

XI. Nonnulli sacris beneficijs malefacta compensare voluerunt. Neapoli quidam iniuriam fratris interempti neque priuatim vindicauit, neque publicè iudicio prosequutus est, sed B. Virginis amore ita remisit, vt omni ope contenderit, vt fratricida inter Sodales adlegeretur, quo & culpam citius agnosceret, & vehementius detestaretur. CIↃ. IↃ XCII.

XII. Quendam è Sodalitio Hispalensi presbyterum, nulla iniuria lacessitus alter, contumeliosis verbis CIↃ. IↃCVI.

in

in sacra æde acerbissimè perstrinxit. Sacerdos ad conuiciatoris pedes abiectus, eos osculatus est, ac post acerrimè plagis tergum suum pro altero conscidit. Qua indulgentia id promeritus est, vt cum sequenti die sacris operaretur, inusitata animi voluptate tantum non colliquesceret, cælitibusque interesse sibi videretur. Quod confirmat illud, quod paulo ante dixeram, iniuriarum obliuionem maximæ voluptatis parentem esse.

Quarationes ad ignoscendum inducant.

1. Memoria peccatorum.

XIII. Quibus autem rationibus inducti sint, vt cupidinem vindictæ tam viriliter expugnarent, alij nos docebunt. Quidam eas iniurias delictis suis pœnas irrogatas crediderũt. Vallisoleti duo magnæ auctoritatis dum in iudicio de quadam controuersia cupidius altercantur, vnus eorum irâ longius profectus molestiæque oblitus, in iurgio mentiri alterum dixit, & in magna frequentia colaphum ei infregit. Tum alter virtutis memor & veteranus Sodalitij mi-

miles irâ ſuppreſſa : *Meis ſceleribus,* inquit, *debentur grauiora, interim hoc feram:* aſſeditque animo pacatiſſimo. Qua modeſtia furor alterius, quaſi affuſa aqua, refrixit totus, animumque pænitudo ſubijt, & iiſdem præſentibus veniam publicè petijt, læſoque cumulatè ſatisfecit. Ita verùm eſt: *mollis reſponſio frangit iram.* *Prou. 15.*

XIV. Pro beneficio alius habuit, iniuria ſe affectum fuiſſe. Maceratæ vir primarius & grandi natu ab adoleſcente ob ſermonem in deteriorē partem detortum, palam fuiſſe appetitus pulſatuſque, ad percuſſorem placido vultu conuerſus: *Iniuriam, inquit, adoleſcens, facis: quid me petis?* Veniamque illi à Deo precatus, omnem illam acerbitatem & ignominiam ſe Dei cauſa libenter ſuſcipere, profeſſus eſt; templumque ingreſſus gratias etiam Deo egit, quod ſe eo die illo beneficio affecerit: proteſtatuſque eſt, ſe nullo modo iniuriam perſecuturum. De pace deinde concilian- *Pro beneficio iniuriam habere.* CIↃ. XCIV.

cilianda appellatus, *Nihil*, inquit, *opus est; nam inimicitias nullas suscepi.*

III. Christianorum id proprium. CIↃ. IↃ LXXXV. XV. Christiani hominis officium alios sui officij admonuit. cuius recordatione Aletinus Sodalis colapho percussus, cum non deessent, qui flabello flammas iræ accenderent, iniuriam remisit. ac ne qua odij scintilla in animo resideret, sese illico Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis muniuit.

Eodem. XVI. Genuæ quidam prædij cuiusdam frugibus iniuria priuatus & conuitijs contumeliosèque verbere lacessitus, tametsi prima animi concitatione ad cædem & iniustam ignominiæ notam cruoris effusione delendam ferretur, nequaquam tamen fræna laxauit iracundiæ, sed è vestigio templum ingressus, stratusque ad statuam Christi in crucem acti vna eius vulnerum probrosæque mortis recordatione medicinam fecit recenti tumori; omnem subitò ex animo deleuit iniuriam, & in amorem iras conuertit.

IV. Christi dolorum recordatio.

XVII. Mul-

XVII. Multi B. Virginis honore aut Sodalitatis memoria abstinuerunt à vindicandis iniurijs. Recineti quidam pugnis ab inimico calcibusque malè tractatus, cum haud difficulter vlcisci posset iniuriam (erat enim forte cum telo) exæquans Tiro Veterani virtutem, ad eum qui Sodalitati præest, accurrit, stratusque ad pedes, *Fuit*, inquit, *Pater, vehemens animus vlciscendi, sed vt iracundiam continerem, vna Dei Matris charitas fecit. huic ego iniuriam dono* prolatoque telo, *Exuo*, inquit, *apud te ferrũ: hoc tibi sit conciliatæ gratiæ signum, hoc contemptæ vltionis indicium.* V. B. Virginis amor. Eodem.

XVIII. Bariensis vnius Sodalis filius alterius fratrem interfecerat. Frater nuncio accepto rectà ad Collegium venit, animumque contra vindictam firmat atque obarmat. Dum domum reuertitur fratricidæ parentem offendit, & statim, *Nihil*, inquit, *Amice, interrumpet gratiam, quam in B. Virgine captam spero æternam fore. Quin per me inpostea-rum* CIↃ. IↃ LXXXVI.

rum amiciores erimus. Nec aliter fecit ac dixerat. Nam inimicitiarum ventilatoribus restitit, cum Prætore egit de salute interfectoris, eius parenti pedes in Sodalium consessu vero affectu exosculatus est. Quis iam dubitet Sodalitates palæstras virtutum appellare, vnde tanta fortitudinis robora proueniunt?

XIX. Catanæ alius quispiam in foro grauissimè maledictis perstrictus, illud tantum: *At tu*, inquit, *ista tam libenter non dixisses, si audisses ea, quæ à me in Sodalitio frequenter audiuntur.* Quo dicto alterius furor repressus, & alij ad Congregationis amorem inflammati sunt, quod rem omnium difficillimam, Ignoscere, ibi possent addiscere. Panormi duos alios ea cogitatio, quod Sodales essent, ab vlciscendo reuocauit. Quod ipsum Cæsaraugustæ quidam illi respondit, à quo alapa ignominiosè cæsus fuerat: *Inter Sodales Marianos*, inquit, *numeror; vnde & hanc iniuriam & alia multa exorbenda mihi*

esse

esse indico. Quod etiam inter barbaros in Peruana prouincia vsitatum reperio, vt solius Sodalitatis mentione facta ad concordiam reuocentur, si rixæ aut pugnæ inter aliquos oriantur. CIↃ.IↃCV.

XX. Nonnullos tamen inuenio, qui iniuriam sibi illatam non omninò impunè abire voluerunt; sed eam mulctam reis imposuerunt, quam amicissimis gratiam facere debuissent. Nolanus Sodalis nocte domi suæ impurum hominem repertum, hac pœna irrogata liberum abire permisit, vt sequenti die totius vitæ peccata confessione aboleret, & vitam à sceleribus reuocatam ad honestatem colendam transferret. vtrumque postea præstitum. Persimile est, quod Limæ accidit, vbi Indus coniugem suam in adulterio deprehensam supplicem, ne occideretur, vitâ donauit, ea lege, vt quot diebus Dominicis doctrinæ Christianæ perdiscendæ causâ templum Societatis adituram se promitteret. Si passim sic *Pulchra vlciscendi ratio.* CIↃ. IↃXC.

ſe vlciſcerentur homines, vt quotidianæ in vita hac ſunt iniuriæ, ita virtutis breui magna incrementa ſequerentur.

Magnanimi libenter ignoſcunt XXI. Concludo, vti cœperam; omnes qui ſe pręſtare cæteris ſtudent iniuriarum meminiſſe non debere; *4. Ethic. c. 3.* quod Ariſtotelis dictum eſt. Planè enim illi viles ſunt, & abiectæ indolis, qui omnem ſuam dignitatem verbo vno labefactatam credunt. Annoſæ quercus fulmen timent; leues afflatus in vtramque partem immotæ rident; arbuſcula eſt, quæ quemuis ictum perhorreſcit. Ita magnanimus Deum metuit, reliqua omnia infra ſe ponit. *Chriſtianum id eſt.* Omitto quod præcipuum eſt, Chriſtiani hominis eſſe *vincere in bono malum: Diligere inimicos, benefacere his qui oderunt: & orare pro perſequentibus & calumniantibus* *Ad Rom. 12. Matth. 5. Lucæ 6.* idque idcirco, *vt ſitis*, inquit Chriſtus, *filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* *Ignaui & fœmina vindicta* Illud tacendum non eſt etiam ab

Eth-

Ethnicis ignauos esse habitos, qui violentius iniurias tolerauissent. *Quo quisque* ait Seneca, *honestior genere, fama, patrimonio est, hoc se fortius gerat: memor in prima acie altos ordines stare. Contumelias & verba probrosa, & ignominias & cætera dehonestamenta velut clamorem hostium ferat &c. premeris & infesta vi vrgeris, cedere turpe est. Aßignatum à natura locum tuere. Quæris quis hic sit locus? Viri.* Ita ille. Nos ad alia transeamus. *appetentes sunt.*

CAPVT XII.

OPES SVAS LIBEraliter impendunt.

Liberalitas nimium pecuniarum amorem compescit, easq; debito modo elargitur: virtus ingenuo homine & magnanimo digna, *sicut nihil esse tam angusti tamque parui animi, quam amare pecuniam* alicubi confirmat Cicero. Nolo in hac com- *S. Th. 2. 2. q. 117.*

L. 1. Off. mendanda immorari, cum suo splendore quosuis facile ad se alliciat. Sed tantùm pauca hic Sodalium exempla memorabo, ac cum plura ad miserorum inopiam subleuandam pertineant, sequentibus ea capitibus vberius recensebuntur.

CIↃ.IↃLXXXV. I. Principem in hac virtute locum obtinere visi sunt Sodales Neapolitani, apud quos iam more receptum CIↃ.IↃXCII. & III. inuenio à plurimis annis, vt in pauperum vinctorumque vsus quot añis supra mille quingentos aureos expendant. Cui rei in perpetuum pro- CIↃ.IↃC. & deinceps. pagandæ *Montem pietatis* erexerunt. Sciunt hi maximi Heroës, qua arte cœlum debellandum sit; feliciusque id faciunt, quam olim Terræ filij, nescio qui, gigantes in fabulis tentasse narrantur: Monte suo Neapolitani sidera contingunt, vnde facilis ad ea transitus est.

CIↃ.IↃXCVIII. II. Cracouiensium quoque effusa liberalitas laudanda est, qui virginibus indotatis honestè collocandis operam suam addixerunt, in eamque rem

rem principio ſtatim quater mille aureos contulerunt.

III. Nec Corduba tacenda, quæ Sodalium Parthenianorum exemplo incitata, cum quotidie ex illis vicenos ſingulos patinis onuſtos varia obſonia in Xenodochium deferre vidiſſet, non minus octies mille aureos in ægrotantium ſubſidium ab ordinibus ſuis impetrauit. CIↃ. IↃ CII.

IV. Quitenſis Peruanus tametſi res ei familiaris non valde opulenta eſſet, quæque adeo vix neceſſarijs ſumptibus ſufficeret, plures tamen ducentis aureis liberali manu in pauperes erogauit. Veſtem, quam ei Nobilis quidam dono dederat, vendidit, & viduæ vnius inopiam ſubleuauit. *Pauperũ liberalitas.* CIↃ. CIↃIII.

V. Halæ duro labore paruulam pecuniæ ſummam Sodalis contraxerat; eam vt quam optimè collocaret, B. Virginis Sacello donum obtulit. CIↃ. IↃC.

VI. Hildeshemij quidam ferè pane tantum & aqua victitans, tantum pecuniæ vnciatim comparſit ſuum

defraudans genium, vt quinque aureos collegerit; quibus imaginē per-
Deo gratißima. elegantem B. Virginis pingendam locauit, eamque Sodalitati obtulit. *De magno sumere aceruo suaue est*, ait ille, & facile. Sed *totum victum mittere* verè heroicum est. vnde & vidua
Marc. 12. Luc. 21. illa à Christo plus omnibus misisse dicitur, quæ æra duo gazophylacio intulerat; quod alij ex eo, quod abundabat dedissent; hæc verò quod ei deerat, *in Dei munera* proiecisset.

Rependitur in Cœnis, quod expensū est. VII. Nec Deus largitate se vinci patitur. nam prætcrquam quod æternas opes olim daturus est, in vita quoque subinde largitiones huiusmodi gratas sibi fuisse compensando
CIↃ.IↃ LXXXIIX ostendit. In ea Neapolitana Sodalitate, quam ægris vinctisque suppetias ferre diximus ærarius Quæstor fundum omnem arcæ in illos vsus euerterat, ne teruncio quidem relicto. Interiecto deinde vix semihoræ spatio opus erat in similem occasionē præsenti pecunia. Quid faceret Quæstor? sciebat reliqui nihil esse. consue-

ſuetudine tamen quadam potius, quam ſpe quippiam reperiendi arcã denuo excutit; & (rem miram!) totidem aureos inuenit, quot prius argenteos deprompſerat: Nempe liberalitas Midæ manum, non animum habet.

VIII. Ibidem pater qui Sodali- CIↃ.IↃ
bus præeſt ad eos inflammandos ad XCIII.
benignitatem in pauperes, vſus fuerat vulgato illo argumento, *largiter darent, centuplum recepturos.* Sub ſermonem vnus è Sodalibus in arcã nummum aureum coniecit. huic poſtero die Sacerdos quidam vnum & centum aureos ex reſtituta in confeſſione pecunia numerauit.

IX. Cùm Parmæ alius in comũ- CIↃ.
ni Sodalium oblatione plus etiam IↃCVI.
contuliſſet, quam vel voluiſſet vel præſens eius neceſſitas ferre poſſe videretur, Deiparam erga ſe liberaliſſimam expertus eſt. Paucis enim poſt diebus penè centuplicata ſors largiſſimo fœnore ei reddita eſt ab vno aliquo, qui eam pecuniam ſe illi

debere diceret; cum tamen ipse nullo pacto creditorem se esse recordari posset. Hoc est sine impendio quæstum facere. quod cupiunt multi, pauci didicerunt; dum sementi parcunt.

Liberalitas semẽ opum.

Legata Sodaliũ.

X. Et quoniam infidæ opes morientes deserunt, nonnulli vt vt potuerunt, retrahere, & in funere illas sibi quæstuosas esse laborarunt; dum earum partem testamento in pauperum aut sacrorum commodum legauerũt. Ita Medicus Olomucij moriens fortunas suas ferè omnes Sodalitatis fidei commisit, vt inde pauperes alerentur. Marcus Antonius Muretus magni illius Mureti ex fratre nepos moriturus Romano Sodalitio ad crucis imaginem & candelabra facienda quingentos aureos testamento reliquit.

CIↃ. IↃ LXXXIII.

An CIↃ. IↃ LXXXVI.

XI. Sodalis Herbipolensis cum legatum D. Virgini iam perscripsisset, quasi pro mercede cælestes consolatores in vitæ exitu habuit. cum enim morienti duo è Societate ad-

sta-

ſtarent, ſubito exclamat: *Feneſtras aperite: non auditis ſuauiſſimum Angelorum contentum?* Et cum dicto lætus exſpirauit.

XII. Moguntiæ quidam triginta moriens argenteos Sodalitati legauerat; atque vnum è circumſtantibus rogârat, vt eos ab aduentantibus cognatis exigeret: cumque ille alter negaret cognatos ipſius ſibi cognitos eſſe; *Indicabo*, inquit, *eorum tibi aduentum.* Moritur interea, & à Sodalibus honorificè effertur. Non multis diebus interiectis ante lucem lucubranti alteri in niueo amictu apparuit, & quinquies lucernam extinxit, quaſi admoneret ſuos aduenisse: & annotatum eſt eo ipſo tempore vrbem introiſſe. An. CIↃ. IↃXC VIII.

XIII. Excellentiſſimus Comes Rudolphus Helfenſteinius, cuius libro primo crebrior facta mentio, Sodalitati maiori Academicæ Dilinganæ mille aureos moriens reliquit. Cuius illa fuit in pias cauſas ditandas cura ſollicitudoque, vt

fermè ad ſeptuaginta aureorum millia in eas expendenda legauerit. Vt adeò memoria tanti Comitis intermori non poſſit poſt familiam omnẽ extinctã, cuius liberalitas in tam multis ſacrarum ædium tholis conſecrata viſitur; & manibus pauperum in coelum vſque ſublata eſt.

Henricus Caniſius Ingolſtadienſium benefactor. CIↃ. IↃ CX. XIV. Sed quis enumeret omnium legata? nemo ferè paulo opulentior Sodalis diem obit, quin religioſarum cauſarum memor teſtamento aliquid relinquat. Omiſſis cæteris committere non poſſum, vt ſilentio inuoluam Clariſſimum Virum Henricum Caniſium I. V. Doctorem & Primarium in inclyta Academia Ingolſtadienſi Profeſſorem. Hic enim moriens omnium ſuarum facultatum ex aſſe hæredem inſtituit Congregationem Maiorem Academicam. Quod eo pluris faciendum eſt, quod & ſoror & cognati alij non deeſſent, quibus id officium negare vix debuiſſe vel certè potuiſſe videretur. Vixit vitam totam cælebs

mag-

magna apud omnes opinione perfectæ virtutis & prudentiæ insignis: eruditio viri libris sat multis in lucem editis orbi iam notior est, quam vt à nobis lucem exspectet. Iam quæ è misericordiæ fontibus in alios deriuata sint à Sodalibus opera porro videamus.

Capvt XIII.

PAVPERIBVS VIctum vestitumq; suppeditant.

OPera, quibus bene fit alijs partim animi malis succurrũt, partim miserias corporis subleuant: de vtrisque sequentibus aliquot capitibus Sodalium studia in mediũ proferemus. Multa iam alibi retulimus cum de moribus Sodalitatum quarundam seorsim perscripsimus. *l. 1. c. 5.*

I. Toleti Sodalitas est, quam Amissi pueri Iesv nominant. Hi singulis mensibus binos è suo corpore deligũt, qui partiti inter se vrbis paroc- *Inquirũt pauperes* CIↃ. IↃ LXXXV.

cias de inopis cuiusque indigentia cognoscunt, & opportunis auxilijs opitulantur. Et cum Sodalitas ipsa vectigal nullum habeat, corrogatis tamen eleemosynis plus mille pauperum anno vno egestatem subleuarunt. Panormi quoque è Sodalibus vnus destinatur, qui pauperiorum nomina in tabellis habeat, quibus in singulos dies stipem elargiatur. quo bono etiam Nobiles adiutantur, quos à mendicando pudor absterret.

CIↃ. IↃCV.

Epulis excipiũt.

CIↃ. IↃ LXXXV.

II. Confluentiæ quidam cum alia in alios conferret egenos, totâ Quadragesimâ sex Auditoribus, quibus angusta domi res erat, quotidiana cibaria submisit. Quod statis hebdomadæ ferijs ad imitandum alij quoque sumpserunt.

CIↃ. IↃ CIIX.

III. Sodales ad S. Gregorij in Mexico bis in anno plus trecentis suæ gentis pauperibus epulum dedere, vestes aliaque inter eos diuisere. Vilnenses quoque triginta studiosos, qui alienâ misericordia vitam tolerant, solenni epulo exceperunt. In conclaue

clauе peristromatis vestitum exqui- CIↃ.
sitissimæ dapes auro argentoque illa- IↃXC.
tæ, Domini vicem famulorum subie-
runt, ipsi cibos coxerunt, ipsi accum-
bentibus ministrarunt.

IV. Oenipomti Ciuis honestus CIↃ.
postquam in Sodalium album rela- IↃXCVI.
tus est, Dominicis Festisque diebus
duos pauperes in honorem B. Virgi-
nis mensæ semper adhibuit.

V. Sodalitas Marcenensis in Bæ- An. CIↃ.
tica sæpius anni decursu pauperibus IↃCVII.
dat epulum, atque vt à tanto mune-
re nullus eximium se faciat magni
nominis Comes Sodalium Cory-
phæus præit exemplo, depositoque
gladio & pallio, capite aperto scu-
tellas & lances cibis implet, Sacer-
dotibusque Sodalitatis tradit, vt illi
discumbentibus inferant: nec enim
in se tantum dignitatis agnoscit, vt *Sacrarũ*
ipse per se fercula possit apponere. *rerum*
Atque vt cognoscas è qua officina *medita-*
hæc animi demissio prodierit, dicam, *tio fons*
quod suo loco sciens omiseram. Idē *omnis*
Comes bis diuersis anni temporibus *virtutis*
est.

in ſacra adyta piarum comentationum ſe ingenti ſuo fructu abdidit; tanta ſui abiectione, vt ſella vti noluerit, ſed in cæmentitia quadam parietis proiectura conſederit, domum ſcopis mundarit, nec veritus ſit bonam temporis partem in Religioſorum illorum, ad quos ſe receperat, veſtibus diſciſſis reficiendis inſumere. Ita videlicet hæc inter ſe connexa ſunt: *Diuina ſpeculari, ſe abijcere, naturâ nobis proximos amare*

CIƆ. IƆCV. *& adiutare.* Sed non fuit hæc noua illius Comitis virtus, multis antè experimentis comprobata. Nam cùm triennio antè grauis annonæ caritas vrbem afflictaret, ille eam difficultatem eleemoſynis ſuis temperauit: bis pauit vinctos in carcere, ſemel in Societatis Collegio confluentibus mille circiter egenis panem ſingulis diſtribuit.

CIƆ. IƆXCVI. VI. Vxorem domum ducturus Sodalis Brunenſis Vir diues atque eruditus, feliciſſimè nuptias auſpicatus eſt. Nam cum pro more ſacris epulis

epulis prius accubuiſſet, triduo poſt trecentos egenos benignè admodum menſa excepit, quibus ipſe & ſponſa epulis ſubminiſtrandis inſeruierunt.

VII. Pultouienſes vacationum diebus priuſquam animi relaxandi cauſa progrediantur ad campos, ſolent pro ſcholarum veſtibulo conuenire, factaque ibi arbitraria, vt cuiuſque fert facultas, penſione, coëmptisque inde panibus cunctos vndique pauperes reficiunt, ſimul rudimentis doctrinæ Chriſtianæ eos imbuunt. Nec iam pudet ſequi è Clero viros, qua pueros cernunt tanta alacritate præcedere. CIϽ.IϽCX.

VIII. Nec pro ſe quiſque ſtipem liberaliter conferre ſatis credunt; ad aliorum quoque miſericordiam excutiēdam domos obeunt, & quod pauperibus erogent, ſubmiſſe colligunt. Fecerunt id Epiſcopi auctoritate Sodales Malacitani duobus cuiuſque hebdomadis diebus aſſignatis, corrogatamque eleemoſynam die- *Mendicant pro pauperibus.* CIϽ.IϽCVIII. CIϽ.IϽLXXXVI.

diebus Dominicis distribuerunt. Solo Pentecostes die panes mille & carnis libræ quingentæ pauperibus tributa sunt. Idem à Recinetensibus
CIↃ. ↃCVIII. factitatum, cum fame vrbs laboraret. Cuius rei fama Perusini permoti, duos è suo numero ad Recinetenses legarunt, qui eorum nomine cum his tam pij operis Societatem inirent. Sassari consimilia factitata sunt.

CIↃ. IↃCIV. IX. Sed in hoc genere Granatensium industria eminuit. Rem & piè & magno bono gestam vberius referam. Cum hi animaduerterent plures ex ijs, quibus olim honesta res erat, extremâ pænè indigentia laborare; subijt illico mentem horum egestatem collectitia stipe subleuare. Arrisit consilium: proxima nocte lustrant vrbem, & contenta voce victum, alendo inopi verecundo precario exposcunt. Successit res. postridie ad Sacerdotem Societatis de ea re referunt. Qui Procpiscopum iubet adiri & facultatem ab eo impetrari: rem sibi tùm vtilissimam, tùm

Chri-

Christianis dignam hominibus videri. Exiguus hic fons adeo se vberes in riuos effudit; vt præter bissenos Sacerdotes, locupletes viri circiter sexageni in id operis serio incumbant. Triginta ferme ex ijs, dato Salutationis Angelicæ signo, Mercurij Sabbathiq; diebus eandem in domum coëunt. Hinc quini per vias publicas distribuuntur. Vnus è quolibet cœtu cistam humeris portat, quam reliqui vicissim subeunt. Alter qua potest contentione, eleemosynam ad ingenuos pauperes cibandos exorat. Res felicibus auspicijs cæpta, ita Dei ope prouecta est, vt mensium non amplius septem spacio, plus mille aureos coaceruauerint. Populus non minori plausu, quam admiratione, eximiam Sodalium charitatem prosequitur: dum homines benè nummatos sericis ac damascenis amictos, ad aliorum salutem ita feruidos agi ferrique cernunt. Decursis celebrioribus vijs, cuncti ad Præfecti ædes se conferunt; vbi collatæ pecuniæ, rerum-

Modus stipem corrogandi.

rum-

rumque cæterarum inita ratione, ſubductam ſummam ad Proepiſcopum ſequenti luce ferunt, orantque vti inopes ſibi nudoſque præſcribat, quibus ea ſit pecuniarum vis eroganda. Ille peculiares deſignat tribus, in quarum pauperes ægroſque Parochi ipſius interuentu diſtribuitur. Porro coactæ ſtipis caput ad calculos reuocatum, argenteos modo triginta, modo quadraginta ſupra centum ſæpenumerò conficit; ſubacti præterea coctiq; frumenti libras aliquando quinquagenas. Verum enimuerò Chriſti Natalis peruigilio, cum ob diuturnam temporis ſiccitatem, pluuiæq; defectum, fames Granatæ ſæuiret; tanta tamen populi totius pietas, tanta effulſit commiſeratio, vt ex numerata pecunia trecentos ſexaginta ſex argenteos; ex panibus verò ducentas triginta ſeptem libras Sodales eadem nocte conflauerint: præter maximam farciminis, petaſonis, fructuum pomorumque copiam.

Ratio expendẽdi.

X. Huc-

X. Hucuſque Sodalium induſtriam; nunc conferentium promptitudinem, omniumq; ordinum approbationem videamus. Quidam cum pecunias offerrent omnino nullas, gladios quibus erant ſuccincti, inter ipſa verba collacrymantes dederunt. Alius argentea conſpicilia; pileum alius à capite detractum, in fiſcinam magno animi ſenſu iniecerunt. Alios denique, dum inter cænitandum prætereuntium clamorem excipiunt, ipſa eleemoſynæ vox imis infixa præcordijs penitus impulit, vt omnia ad cænam parata in pauperum ſportulam piè ac liberaliter cōferrent. Præter hæc bonus Chriſti odor, quem ex ſe tanta Charitas emittit, ita longè latèque diffuſa eſt, vt in hominum penetrans animos, partim acerrimis eos conſcientiæ foderit ſtimulis, partim à turpi voluptatum cæno deterruerit. Quidam impudicæ mulierculæ ita ſe diuturno conſortio addixerat, vt plurimorum conatus faceret irritos, qui

Ciuium in conferendo promptitudo.

Multorū animis prodeſt ea mendicatio.

eum

eum ab impura Societate frustra diuellere nitebantur. Hic dum infelix scorto noctu potitur, Sodalis clamores illac casu, seu diuino potius consilio præteruecti, ac miseris cibaria petentis exaudijt. Mox subito perfusus horrore: *Hi*, inquit, *in cœlum alacres pergunt. Nos recta ad inferos cõtendimus.* Hæc cogitatio adeo mentem acriter pupugit, vt pellicem protinus tutum in receptaculum dimiserit, & lasciuientis corporis motus seueriore deinceps disciplina compresserit. Alius fœminæ, qua abuti consueuerat ad libidinem, panem, carnes numosque sub idem tempus deferebat. Sed obuiam repente Sodalibus factus, eorumque vocibus à proposito retractus, omnia in cistam absque cunctatione deuoluit: *Præstat*, inquiens, *hæc Deo, quam dæmoni conferre*; pedemque simul cum mente in posterum retulit. Alius turpem quadriennij consuetudinem, eodem ductus exemplo abiecit. Alius denique, qui litem parenti illaturus ad

Gra-

Granatenſem curiam aduenerat, Sodalium in alienos charitate edoctus, didicit tandem, quam ipſe in ſuos pietatem retinere deberet. Quid multis? tantum valuit ea Sodalium charitas, vt è Turcarum fæce ancillã quandam ad Catholicæ Relgionis ſacra permouerit. Sic enim cogitabat illa, haud dubio veram eam religionem eſſe debere, in qua tanta erga inopes abiectosque charitas exerceatur. Quanta autem omnium approbatione res geſta ſit, facilè notabit qui expenderit, quot quantiſque miſerijs & ærumnis ſit hac vna ratione ſubuentum: quot, ne diuinum numen iactura pudicitiæ læderent, fame pæně confectæ, inſperata nouæ lucis vſura reſpirarint; quot in matrimonium honeſta ratione collocatæ ſint, quæ prius publicè omnem pudorem proſtituerant. Laudauit Archiepiſcopus, mirificè approbarunt Regij Auditores, celebrarunt per omnia templa Religionum diuerſarum Concionatores egregij. Pro-

Omnium voce comprobatur.

Proepiſcopus in hæc admixta lacrymis verba prorupit: *Vel ob id vnum hoc me munere fungi gaudeo, vt tantum opus, quà conſilio, quà auctoritate, quà incitamento longius proueham.* Non eget meo factum hoc encomio: illuſtrius eſt, quam vt verbis prædicetur; imitatione maximè celebrabitur.

Nudos veſtiunt. XI. Veſtitu quoque malè tectos amiciunt Sodales. Oeniponti egentem quendam atque ſeminudum hominem Sodalis ſibi ſuo pallio detracto contexit. Idem à Barienſi aduerſus piſcatorem præſtitum, cum hic amiſſo indumento in litore nudus verecundaretur ad vrbem redire.

CIↃ.IↃ XCIV.

CIↃ.IↃ LXXXVI.

Similia à Colonienſibus & Herbipolenſibus facta inuenio. nimirum vnus ille Spiritus, qui Sodalitates omnes vegetat, ad paria facienda Sodalium mentes exuſcitat. Ad quorum alia Miſericordiæ opera percenſenda tranſeamus.

CIↃ.IↃ LXXXIV.

CAPVT

CAPVT XIV.

CAPTIVOS PERE-grinosq; adiuuant.

Vinculis detentos varijs officijs prosecuti sunt, alios inde eximendo, alios re, nonnullos consilijs adiuuando. *Vinculis eximunt.*

I. Congregatio Equestris Valentina anno vno liberauit nexu obæratos trecentos sexaginta sex: anno pòst vno quadringentos triginta nouem: tum consequenti, trecentos septuaginta. Quo etiam anno Hispalenses Sodales plus mille homines è carceris squalore eripuerunt. Gandiæ aliquanto post soluti vinculis Sodalium opera ducenti; & iterum centum quinquaginta. Eodem anno à Chuquisaquensibus centum triginta è vinculis exempti memorantur. CIƆ.IƆXCIV. CIƆ.IƆXCV. CIƆ.IƆXCVI. CIƆ.IƆC. CIƆ. IƆCIII.

II. E Catacensi Sodalitio Optimates quique frequenter carcerem inuisunt, suppetiasq; miseris afferūt. *Vinctos inuisunt ac pascunt.*

Id

CIↃ.IↃ Id ſingulis hebdomadis more iam re-
LXXXVI. cepto fit Valentiæ. Idem præſtant A-
requipenſes in Peruanis Sodales.

CIↃ.IↃ III. In Eborenſi Sodalitate Iuue-
LXXXIIX nis ampliſſima fam lia cum commu-
nibus ſuffragijs Præfectus Sodalitio
CIↃ. fuiſſet, nihil ſibi prius faciendum ra-
IↃCIII. tus, quàm vt cum delecta Sodalium
manu lautos humeris cibos conue-
ctaret, ad miſeros in carcere reficien-
dos; ciuitate tota ad murmurante.

CIↃ. IV. Burdigalenſium quoque in
IↃCX. hoc genere virtus alijs facem ad imi-
tationem præluxit Carcerem illi ad
hunc modum inuiſunt. In ædes ſena-
toris alicuius conueniunt cauſidici,
mercatores, ſcholaſtici Sodales; at-
que quod quiſque in miſerorum ſub-
ſidium elargiri conſtituit, ibi in vnũ
conferunt, ea alacritate, vt ad quin-
quaginta aureos ſubinde colligan-
tur. Inde vbi ad ergaſtulum ventum
eſt, habetur ab vno Sodalium eoque
fermè Sacerdote accommodata ad
vinctos hortatio; ſub quo viritim cui-
que eleemoſynam impertiuntur.

Tum

Tum si quid in commune consulendum est, quod in eorum solatium sit, id strenuè conantur. Si quis modica summa redimi potest, è vestigio manu mittitur. Illi ipsi impetrarunt ab Archiepiscopo, vt inter septa carceris sacris operari liceret, ne tanto etiam bono priuentur vincti: in eam rem suis sumptibus sacellum extruxerunt.

Sacris eos procurãt.

V. Cordubæ illud insuper adiectum, vt statis diebus animis expiatis ad sacram synaxin vincti admittantur. Intersunt ad rei celebritatem augendam solenni sacro ipsi Magistratus & Sodalium aliqui, qui deinde epulo illos excipiunt. Qua in vrbe hoc præterea institutum est à Sodalibus, vt mense ineunte destinetur vnus vinctorum litibus procurandis. Quem etiam in finem quibusque diebus Sabbathi, quo die carcer à magistratibus inuisitur, mittuntur illuc duo, Iurisperitus alter, Curatus alter, qui nomine Sodalitatis pauperum causas agãt. Hoc verò quo efficacius

CIↃ. IↃCXII.

Causas reorum agunt.

commodiusque fiat, seni aurei singulis hebdomadis à Sodalitate impensarum ratione constituuntur.

CIↃ. IↃCIV. VI. Astigitani Clerici Sodales ollas & fiscellas cæteraque ad epulum necessaria per vias publicas humeris sublata ad carcerem alacres comportant.

CIↃ.IↃ LXXXIX. VII. Quod de Iurisperito dictum est Cordubæ fieri solitum, idem in se munus pauperum defendendorum Syracusis Iurisperitus quispiam suscepit: maiore sine dubio animi solatio, quia integrius ibi causa defenditur, vbi aurum oculos non perstringit.

Ad morũ emendationem reducũt. VIII. Ad vinctorum numerum miseranda illa turba pertinet, quæ remigio triremium adiudicatur; genus hominum proiectum ad omnem nequitiam, furtis, fraudibus vitam consolatur suam. In hos quam benigni Toletani Sodales fuerint, àudire placet. Magno numero è toto regno Toletum ducebantur. Euenit

An. CIↃ. IↃCVIII. autem ante id tempus, vt cum catenati

nati longo agmine per vrbem deducerentur, nihil ab eorum rapacitate immune haberetur: vt propolæ tabernas suas clausas haberent, omnes sua accuratè seruarent. Multi longo itinere defatigati cùm pedibus vi annuli ferrei exesis incedere non valerent, capite abscisso pecorum ritu sine sacris abijcerentur, stratique per agros insepultique canibus ac volucribus pabulum præberent. Commouit tristis facies Parthenios, atque vt quæ dicta sunt incommoda porro euitarentur, operam sedulam dederunt. Instante profectione victu vestituq; miseros adiuuerunt. Erant eo anno octoginta quinque ad transtra damnati, omnes confessione lustrati, plerique sacro epulo refecti sunt. Sacerdos vnus è Sodalitate suffragijs communibus delectus, toto itinere illos prosecutus est, vt ægros curaret, oppressos leuaret, reos à noxis absolueret. Ibant omnes modesti, demissis oculis, voluentes manibus calculos precatorios, ore

animoq; Deiparam salutabant. Nullus in foro officinam clausit, nemo rapinam timuit; concursus populi magnus, maior nouæ modestiæ admiratio, Sodalium tanti boni auctorum maxima commendatio: deniq; toti ciuitati spectaculo fuerunt. Cardinalis Archiepiscopus transeuntes spectauit, benè precatus benigneque ijsdem fecit; totaque illa nocte lacrymis obortis de nulla re alia, quàm insolita reorum virtute sermonem intulit.

CIↃ.IↃCV. IX. Panormitanis idem studium est, ad morum emendationem adducere illos, qui extremo supplicio afficiendi sunt. Nam vt primum cuique dies dicta est, statim in sociorum numerum adsciscitur: inde ab ijsdem socijs horarum vicissitudine mutatis operis inuisitur, ad fortiter moriendum animatur, ad culpas eluendas inducitur: vt Nobiles Sodales, quorum curæ vltimo triduo committi solent rei, fateantur iam nihil sibi laboris restare ad reorum cultum, ita à

Par-

Parthenijs instructos paratosque in manus suas peruenire.

X. Iam illos quibus proprij lares nulli sunt, beneuolentissime sub tecta sua deducunt, aut in publica Xenodochia deportant. Friburgi Nuithonum Sodalis aduenam egestate morboq; confectum prehensa dextera domum abduxit, eumque victu cæterisque rebus ad curationem necessarijs liberalissime semper habuit, dum exacto mense è vita domoque abiret, tam bono hospiti *Tabernaculum æternum* paraturus. Aletinus alium vlceribus fœdum & sordibus squalentem, è medio foro humeris sublatum in Xenodochium deportauit. Duaci scabie luridum è plateis cubiculo suo lectoque proprio excepit, humanissimeque fouit.

Patria aut domo extorres recipiũt.

CIↃ. IↃ LXXXV.

CIↃ. IↃ XCII.

Eodem.

XI. Neapoli Sodalis Nobilem iuuenem à parum honesta vitæ ducendæ conditione beneficio suo abstraxit. Nam cum ille aleatores domum receptaret, vt quale quale lucellum inde sibi compararet, & vitã in-

CIↃ. IↃCIII.

inopia afflictam leuius tolerarer: promisit ei Sodalis, se abunde omnia suppeditaturum, si ab infami quæstu discederet. impetrauit, quod voluit; quòdque promisit accuratè præstitit, & necessaria largiter subministrauit. Eâ hominis non valdè opulenti liberalitate permotus Iuuenis, vt eum cura atque onere in posterum leuaret, vtque sibi in futurum prospiceret post aliquot menses in Capucinorum familiam se recepit.

XII. Huc referri possunt Barienses Sodales, qui viduam parua in re, numerosa cum prole miseram benignè adiuuerunt. Nam & familiæ inopi de facultatibus suis non magnis aliquid opis attulerunt; & cum vitio parietis domo fatiscente non exigua muri pars corruisset, illi suismet manibus operam impenderunt, vt paries iuxta atque familia afflicta assurrexerit. Hæc illi vinctis atque tecto carentibus præstiterunt: ad ægros nunc visamus; vbi quasi in diuerticulo prolixum Romanorum Soda-

Sodalium charitatem è literis Primariæ Congreg. ad Ingolstadienses spectauerimus. Item illi sic narrant.

XIII. Octoginta ferè Poloni à triremibus Hetruscis è Turcarum seruitute erepti post tertium aut quartum lustrum à plerisque eorum in tam miseranda captiuitate transactū ad Vrbem peruenerunt. Cùm verò ad vnum è Patribus Societatis eiusdem Nationis, qui in Basilica Vaticana Pœnitentiarii munere fungitur multi ex iis accessissent, ille per humaniter exceptos in fide diligenter erudiit. Cumq; ferè omnes sacra Cōfeßione expiasset, operam dabat, vt ad sumendū sacratißimum Christi corpus se compararent. Verùm animo angebatur eò quod tridui spacium, quod hospitio peregrinorum in Xenodochio Sma. Trinitatis Conualescentium præscriptū est interim præterierat. CIↃ. IↃ CXXIII.

Scribit tandem cogitatio ad opem nostram confugere. Nos autem prouinciam hanc huiusmodi calamitosis hominibus opitulandi, licet arduam libenter amplexi cæpimus ea quæ ad spiritualem, & temporalem illorum necessitatem subleuandam opportuna videbantur, sedulo preparari. Cumq; generalis synaxis in Ecclesia Sancti Spiritus, quæ in postremum Dominicum diem mensis Nouembris indicta fuerat pro more Sodalitatis imminerent dedimus operam diligenter, vt se ad illam compararent nostram opem polliciti quo magis ab omni temporalium rerum cura absoluti in id tota animi contentione incumberent effecimusq; Dei auxilio fauente vt omnem aliam cogitationem abijcerent. Die sequente summo mane omnes ad Vaticanam Basili-

cam

cam conuenerunt, vbi Pater Pœnitentiarius post nouissimam culparũ expiationem ad eos de sacra Eucharistia sermonem habuit patria lingua: Omnes deinde cum Crucifixo litanias canentes suæ gentis idiomate ad ædem Sancti Spiritus se contulerunt tanta cũ pietatis significatione vt multis occurreret etiã lacrymas excitarent. In Ecclesia vero vnus post alium recto agmine collocati cum fidei contritionis, & humilitatis signa exhibuissent ab Illustrissimo Alexandro Cardinale Vrsino, qui iam pridem populum communicabat sacrum Christi corpus acceperunt omnibus illorum pietatem & animi demissionem admirantibus, ibidemq; gratias agentes eodem ordine dispositi perlongũ temporis spatium permanserunt. Interim Sodales aliqui iussu nostro

mensas illis in porticibus ædium parauerunt vbi nobis ministrantibus accubuerunt cum interim quãta lætitia affecti essent propter charitatem sibi exhibitam lacrymis etiam manantibus profiterentur. Prandio completo ad Ecclesiã Sancti Spiritus, & inde ad Diui Petri redierunt vbi gratijs agendis totam illam die consumpserunt. Die lunæ ad oratorium nostræ Sodalitatis in Collegio Romano conuenerunt; inde ad Diui Andreæ Apostoli, vt visitarent corpus B. Stanislai Poloni è nostra Societate progressi nobis, & Sodalibus aliquot eos comitantibus cum sacculis, & thecis ad eleemosynas pro ijs conquerendas ibi magnam præcipuè deuotionem ostenderunt precibus pro Rege, & Regno Poloniæ feruenter effusis. inde bini incedentes sicut antea ad ædem Iesu

vbi

vbi ad corpus S. Ignatij & ad altare S. Francisci Xauerij precati sunt, se contulerunt egredientibus vero panes vbertim dispensauimus admonitis vt postera die adessent rursus Vaticanam Basilicam visitaturi Die Martis Missæ sacrificio audito ad Sodalitium reuersi, & solito agmine incedentes cum hymnis, & canticis per frequentiores Vrbis vias incesserunt simul cum Sodalibus eleemosynas postulantibus quas nemo ferè erat qui non libenter offerret adeo illorum aspectus pietatem, & charitatem omnibus excitabat Die Mercurij cum putaremus eos iam ex Vrbe recederi posse & idcirco in Sodalitium redire iussissemus vt inde eos vsque ad B. Virginis ædem ad Portam flaminiam comitaremur vbi eleemosynas singulis dispensare decreueramus, oportuit

pro-

præfectionem differre, cum omnia necessaria pro illorum vsu non adessent idq; vt postea apparuit factam non sine peculiari Dei prouidentia. Interea cum Patres Romano Collegio præsidentes eleemosynam panis largam præparassent illos in Oratorio Sodalitatis accumbere fecimus cæteris omnibus adid necessariis repente præter expectationem nostram illatis. Patres autem Societatis, & viri Nobiles Sodalitatis complures in ministerio illorũ certamen inter se charitatis habuerũt. Post epulas optimum factu censuimus ab illis vt veniam peteremus quod charitas nostra defecisset, nec eam quam debebamus sedulitatem in eorum obsequio præstitissemus, vtpote cum personam Domini Nostri Iesu Christi nobis exhiberent. Petiimus igitur nobis vt liceret illorum

lorum pedes osculari ad nostrum crimen expiandum. Quod illi penitus recusantes nunquam nisi iussi, & pœnæ compulsi vt concederent adduci potuissent. Verum id factum tantæ illis spiritum compunctionis ingessit vt vberrim flentes in terram se prosternerent ne humilitate à nobis superarent. Satis constat ex relatione virorum nobiliũ qui Polonorum Romæ Xenodochio præsunt decẽ ex illis natione Ruthenos Græcorum schismate infectos statim vt domum peruenerunt ingenua prolapsos peruicaciæ suæ veniam petiisse (quippe antea obdurato animo sacram confessionem respuerant) & tanta charitate compulsos Ecclesiæ Catholicæ vnitatem se velle amplecti affirmare nec pollicitis fides abfuit, nam eodem die ad Patrem Pœnitentiarium suæ gentis in S. Petri

Basilica accesserunt. Die Iouis cum festum S. Andreæ Apostoli celebraretur ad sacram communionem in Oratorio quo à nobis hesterna die fuerant inuitati conuenerunt omnesq; etiam ii qui Die Dominico abstinuerant communicarunt. Deinde eos solita verborũ formula amplectentes cum multis charitatis indiciis in fratres Sodalitii recepimus & ad participationẽ indulgentiarũ ac meritorum admisimus, qua de re valde se ædificatos, & spirituali cõsolatione affectos ostenderunt discedentes autem Prælatus vnus ex primariis Vrbis procerib⁹ pane affatim suis manib⁹ donatos dimisit cohortatus, vt vesperi redirent ad disciplinam ad quã venerunt agminatim bini multis Sodalium comitantibus. Enim vero nunquam huic sacro conuentui tam præsens visa

est

est gratia S. Spiritus cælestium donorum affluentiam infudisse tantus pietatis feruor tanta Spiritus cõmotio in omnibus apparuit nullus vt fuerit qui siccis oculis inde egrederetur. Id vero egimus isq; menti nostræ propositus fuit Scopus vt illos in Catholica fide confirmaremus, Idcirco initio præmonuimus illam voluntariam corporum castigationem pro patriis illorum regionibus pro infidelium conuersione & pro hæreticorum ad sanctæ Ecclesiæ gremium reductione suscipere ad quẽ etiam finem se facturos Sodales alia pietatis opera spoponderunt. Disciplinæ autem tempore pro Psalmo quinquagesimo symbolum Apostolorum recitauimus sæpiusq; feruentes contritionis actus, & propositum in Catholica fide viuendi, & moriendi iteratum fuit

cum

cum illi palam obtestarentur cum lacrymis, & clamore valido fidem suam allegarent sed quiduis perpeti paratos esse potius quam Apostolicam fidem deserere. Peracta disciplina cum crucifixum inter faces & funalia accensa ad adorandum prostaret, id illi tam pulcro ordine & tanta cum deuotione præstiterunt, vt omnibus admirationem incuterent. Nec defuit vnus è Sodalibus, qui impulsus vt apparuit commotione spiritus vehementi contineri non potuit, quin se in terram abiiceret ac flens coram omnibus Deum præcaretur vt sibi parem spiritus feruorem, & pietatis ardorem concederet. Quæ res adeo vniuersam Sodalitatem commouit vt certatim omnes Christianæ charitatis sinum effuderint pro vsu pauperum illorum non nummorum tantum,

sed

ſed etiam rei veſtiariæ & cibariæ ingenti copia in ſtipem collata quã Sodales quatuor, quibus id negotii datum fuerat collegerunt.

Die Veneris manè in Oratorio præſto fuerunt, & cum Miſſæ ſacro interfuiſſent ad Vaticanam Baſilicam pergere cœperunt litanias patrio ſermone canentes quò eos tendentes populus in itinere larga ſtipe donauit. Ad Baſilicam vbi peruenerunt ſeptem altaria magna cum deuotione viſitarunt, & præcipuè ad aram S. Apoſtolorum propoſitum renouarunt in Catholica Religione moriendi adiicientes ſe ſpem habere illam quam Dei ope inter barbaros inuiolatam cuſtodiiſſent facilius in patria inter homines Catholicos ſeruaturos, vnumq; ex iis vidimus ſex cicatricibus ex totidem vulneribus pro ſancta fide illatis

latis insignem. Interim eleemosynã Sanctissimi Domini nostri procurauimus eisque in Pontificii Palatii atrium productis benedictionem impertiri fecimus quam illi genu flexi magno cũ gaudio acceperunt. Extra deinde portam Angelicam progressos, & tunnatim disp sitos prandio excepimus vestes postea & qui nos argenteos denarios ex stipe collectos vna cum panis ingenti quantitate quem vnus ex Sodalibus magna cum diligentia ad hunc vsum confici curauerat singulis distribuimus, & amplius vini quantum pro viatico aliquot dierum satis esset. Verbis explicari non potest quanta cum lætitia ad suos lares discernerint identidem pollicentes se tantam charitatem quam in Vrbe experti fuerant palam prædicaturos. Itaque speramus fore vt ab hisce

bonis viris in patriam reuersis aliquis fructus sit Deo iuuante in sanctam Ecclesiam deriuandus. Dimisimus igitur eos in pace admonitos inter cætera vt in itinere deuotè incederent, vespere, & mane litanias canerent interdiu vero alia pietatis opera interponerent, vnumque ex suis eligerent, qui hisce rebus praeesset. Vrbes ingredientibus ea prima cura vt esset Ecclesias adeundi, deinde aliqui ex iis selecti elemosynis conquirendis operam darent Demum vt in sancta æde lauretana ad communicandum se disponerent suggessimus.

Ca-

CAPVT XV.

ÆGROS MORTVosque curant.

HAbent hucuſque recenſitæ calamitates humanæ vitæ, vt ferè quorumuis animos ad cõmiſerationem inflectãt, maximè vero eorum, qui ſanguine aut fœdere aliquo iuncti citius ſentiunt, quod alios premit, neque id moleſtiæ fermè quicquam habet; facultatem tantùm iuuandi neceſſariam requirit. Vt nemini mirum videri poſſit, Sodales in leuandis aliorum miſerijs alacriores fuiſſe, cum & homines ſe meminiſſent, & præ alijs virtutum exercitationi ſe dedidiſſent. Sed morbidorum ægrorumque tota cura moleſtiam non mediocrem ſecum apportat. Triſtis decumbentium adſpectus, gemitus & querulo ſi eiulatus animum noſtrum contrahunt, & mœrore ſimul inuoluunt; grauis deinde odor & ſqualor triſtior ſordeſque, paulò delica-

Ægrorũ difficilis eſt cura.

licatiorem ſtomachum facilè mouent, nauſeamque pariunt: vt abſens, quàm præſens, malis auxilium afferre: ac magnæ virtutis eſt, moleſtias morbi negligere & afflicto ſuccurrere. Quo in genere, ſi qua alia in re excelluerunt ſemper Parthenij, vt maiorem à parentibus exſpectare non poſſint, qui Sodalium curam experti ſunt. Exempla quotidie in oculos ſe inferunt; pauca è multis afferam: aliqua ſupra leges. *l. 1. c. 5. & 6.*

I. Nieuiſij in Polonia quædam Sodalitas aduigilare inſtituit, ne ægroti ſine Sacramentorum perceptione moriantur. Palentiæ Sodalitas Miſericordiæ inſtituta eſt, quæ curam ſuſcipit ægrotorum, quos premit egeſtas & ratio dignitatis ab hoſpitali domo deterret. Inuiſunt ægrũ duo Nobiles quotidie, victumque ac medicamenta afferunt. Medicus quoque gratuitus hominem quam diligentiſſimè accedit, omnibuſque officijs complectitur. CIↃ. IↃ LXXXVI. CIↃ. IↃXCVI. *inuiſunt ægros.*

II. Medicum voluntarium è Sodali- CIↃ. IↃCX.

dalibus Syracusani quoque habent.
Toleti Solenne est, vt Præfectus Sodalitij Pueri IESV cum Medico & Visitatoribus, vt vocant, singulis hebdomadis ægrotos inuisat, atque animis corporibusq; medicinam com-
CIↃ. modam adhibendam curet. Panor-
IↃCV. mitani & medicum suis expensis, & ministrum ægris conducunt.

CIↃ. III. Commemorandus hic est
IↃXC. Villagarciensis Sodalis tum rebus alijs, tum aduersus infirmos pietate insignis. Hic à puero studijs Mauortijs innutritus, anno demum ætatis tricesimo quarto ad Musicum studium applicauit animum; nomenque inter pueros Sodalitati dedit, ac paulo post præfuit, commodis omnium intentus. Nullus in eo oppido fuit æger (fuerunt autem plurimi) quem non accesserit, & allocutione aut re adiuuerit: quare passim ab omnibus aduocabatur, aderat, aduigilabat, medicum adhibebat, medicinam de suo curabat: quin & hortum conduxit, vt haberet ad manum sa-

lubres

lubres fructus iucundosque gustui ægrotantium.

IV. Habuit & Germania Sodalem in talia opera penè effusum. Fuldæ ad Religionem orthodoxam à primis initijs Collegij Societatis ibidem erecti traductus, integerrimi Christiani officium iam inde vsque præclarè sustinuit, pro religione verberibus malè mulctatus, & tres liberos libens volensque Deo in sacra familia consecrauit; pauperum & leprosorum cura infatigabili semper ita vegetus, vt sua necessaria post eorum commoda duceret. Itaque cùm stipem illis magnam haud rarò confecit, tum leprodochij à fundamentis inchoandi, atque eius quod à S. Catharina nomen habet restaurandi auctor fuit. Vita demum functus honestissimo funere elatus à Sodalitio, & vt Pater pauperum defletus est. CIↃ. IↃCVIII.

V. Hæc illi infirmis officia exhibent eorum in ædibus. Sed neque valetudinarijs atque Xenodochijs operā suam deesse patiuntur. E Potosina *Nosocomiis inseruiunt.*

CIↃ. ſina Sodalitate videre eſt, cuiuſque
IↃCVI. hebdomadis feria ſecunda virorum atque mulierum agmen ſcopis inſtructum per mediam vrbem ad verrendum valetudinarium, vaſa purganda, ægrotiſque pia opera præſtāda incedere. Aletini ter ſingulis heb-
CIↃ.IↃ domadibus ad eundem locum com-
LXXXIII. meant ægriſque inſeruiunt. Catacenſium bini octauo quoque die Noſocomium adeunt, ægrotoſque curant ac ſolantur.

CIↃ. VI. Idem fieri ſolitum fuit à So-
IↃIXC. dalibus Neapolitanis, qui quot ſeptimanis binos in ſex Noſocomia ad æ-
CIↃ.IↃCI. grorum miniſterium deſtinarunt. Quem illi deinde morem auxere, ſingulis enim hebdomadibus in Noſocomium ducentis ægris cibos afferre, menſis miniſtros aſſiſtere; à pran lio animos muſica & doctrina Chriſtiana recreare inſtituerunt. Plura conſimilia horum eo loco poſuimus, vbi mores Sodalitatum & generoſiores animi victorias recenſuimus. faſtidij leuandi gratia cætera hic omitto. VII.

VII. Funerum quoque efferendorum curam Sodales plerisque in locis in se susceperunt. Quod celebri pompa in pauperum iuxta ac diuitũ exequijs faciunt. Ac nobilissimi quique certant, vt feretrum egenorum humeris efferre possint. Cuius rei præclarum exemplum retulimus libro superiore. Quæ res magni exempli est, & ad Sodalitatum commendationem multum momenti habet. Ingolstadij certè cum ea Sodalitas, quæ inter ciues instituta est, principio difficultatibus quibusdam obsepta non longè processura videretur, vnius Sodalis funus solenniore pompa deductum, reliquos animauit, vt certatim eo admitti orarent, vbi mortuorum quoque honorem celebrari videbant. *Funera efferunt.* *c. 4. §. 2.*

VIII. Fuldæ quidam vita excesserat rerum omnium inops adeo & nudus, vt eius matri, ne ad inuolendum quidem cadauer linteum suppeteret. Sodales quicquid ad honestatem exequiarum pertinebat, ab- *CIↃ.IↃ LXXXIII.*

unde ſubminiſtrarunt. Inter ducendum funus illud periucundè accidit, quod cum hic perhonorificè efferretur, celebri comitatu facibuſque permultis, commodum hæreticus nulla pompa ad ſepulcretum portabatur, nulla cruce, nulla cæremonia: credidiſſes mortuum canem in ſterquilinium inferendum eſſe, non hominem. Id dum Lutherani conſpiciunt, repente ſuo abiecto funere, ad Sodalis funus cum reliqua multitudine conuolant, ea res pleriſque riſum, nonnullis etiam ſtomachum mouit.

Defunctis ſubſidio ſunt.

IX. Neque hoc vltimo officio contenti ſunt, ſed ſacris luſtricis precibuſque piacularibus defunctos adiuuant; ſuos quæque Sodalitas. Inter nonnullos tamen fœdus arctius eſt; cum enim alicubi quis è vita abijt, id fœderatis Sodalitijs indicant, atque è pacto preces pro eo recitari poſtulant. Tum pſalmus quinquageſimus, & is qui vita functis proprius eſt, publicè ſoluto conuentu pronunciatur, ac poſtridie à quolibet

Quid peculiari fœdere à Sodalibus præſtandum ſit.

libet Sodalium corona B. Virginis perlegitur. Quem morem idcirco eo diligentius conſeruare ſolent Sodales, quod cogitent multum aliquando ſibi profuturas eaſdem preces, ſi illas pro alijs accuratè perſoluerint: fraudi verò fore, ſi iam neglexerint.

X. Atque etiam in vita commodo fuit, ſuppetias mortuis tuliſſe. Nobilis quidam è Nolano Sodalitio, cum vita defunctos frequentiſſimis pietatis officijs iuuare conſueuiſſet; neſcio quo viſo animarum expiantium, monitum ſe eſſe dicebat, vt ſe ad ſubitam mortem quàm celerrimè compararet. quocirca è veſtigio apud patrem Societatis vitæ totius peccata expoſuit, & in ſumma valetudinis firmitate ſubito occidit: fato forſitan infelici caſurus, niſi boni Manes grati fuiſſent. CIↃ. IↃC.

XI. Ad extremum hic inſeram literas Congregationis Goanæ in India ad Primariam Romanam datas. E quibus id primum conſtabit,

quanto nexu sint inter se Sodales per orbem colligati; deinde quanto ardore Congregationem ambiant, quo studio ægris miserisque succurrant, qua animi fortitudine polleant. Quæ quidem seorsim referri potuissent, suauius tamen audientur ex tam longinquo loquētes. Literas illas Romani nobiscum communicarunt. Sunt autem istæ:

Præfectus, ac Sodales Goani Sodalitatis B. Virginis Annunciatæ Præfecto, & Sodalibus Romanis eiusdem Sodalitatis S. P. D.

QVo longiori hoc est ferè totius orbis terrarum spatio dissiti sumus, eo crebrius ad vos scribendum esse duximus; intelligimus scilicet hoc melius semper agi cum totius corporis membris, quo arctius, atque uberius capiti communicauerint suo. Porrò hoc litterarum officio id-

nobis

nobis consilij est, vt, & mutuam in vna Patrona nostra colenda, coniunctionem atque conspirationem foueamus nostram in vos beneuolentiam, & obseruantiam testemur, & vt eliciamus à vobis documentum aliquod ad virtutem, & incitamentum, tandemq; vos certiores faciamus de vniuerso Sodalitii nostri statu, atque progressu. Hoc biennio, quo hæc ciuitas, & vniuersa res Indica summoperè afflicta est ab Hollandica classe tũ per Malacæ & Mocambici obsidiones sanè diuturnas, tum per naualem cladem nostro proregi non longè Malaca fere illatam, tum per Mocambici ipsius, & multarum nauium miserandam direptionem, & conflagrationem, nescio qua ratione singulari D. O. M. & Deiparæ beneficio actũ est nobiscum egregiè. Auctus inpri-

mis Sodali numerus mirandum in modum, & quod caput est exæquauit numerum pietas, quæ non melius constabit quam si ex multis aliqua illius exempla præstringam. Tantus fuit ardor petentium Sodalitatis ingressum, vt selecti adolescentes multi non solum quotidie importunis precibus, sed etiã ingenti lachrymarum vi optata extorquerent potius quam obtinerent. admissi tamen pauci magno delectu, & solum ad virtutem propensiores, nec minus enituit antiquiorum virtus. Cum eundum ad publicum Xenodochium est (singulis mensibus fit) mirum est quo animi affectu hoc pietatis officium amplectantur, solemne est multis rogare, orare, obsecrare, vt vni è multis eligantur, quibus liceat in hoc virtutis opus incumbere; neq; iis minori

con-

contentione animi consueta munia in eo exercent, abluunt ægrotantibus pedes, ipsam domum euerrunt, cibósq; ministrant insigni alacritate. Quidam ex Sodalibus patre Abissino ita incensus est studio pietatis, vt si quem pauperem destitutum, & male habẽtem per vicos & plateas offenderit, in domum suam deferendum curet, retineat donec conualuerit, tum demum edoctum de cælestibus rebus dimittat. Quodam die orta rixa inter duos scholasticos, ita pugnatum est vt alter quinque vulnera ferret sanè grauia; superuenit vnus è Sodalibus non ignobilis, excipiensq; brachiis, vulneratum cœpit sanguinem proprio linteolo abstergere, dein Sodales aliquot aduocat hunc ad Chirurgum, illum ad fasciolas conquirendas, alterum ad vehendã sellam

indicam, in qua vulneratus cõmodè defferretur expedit mira celeritate, mira charitate miro exemplo, & bene curatum ſcholaſticum bono animo eſſe iubet, & ſi ſalutem conſequi velit, peccata expiet, Deiparæ ſubſidium imploret, & ad eius Sodalitatem animum applicet: ita fore, vt breui eius beneficio ſanus exiſtat; ſicq́; animo, & corpore bene confirmatum domi ſuæ reliquit. Non minorem laudem meo quidem iudicio, quamuis in alio genere, tulit alter qui vltrò ab altero æquali; & quidem publico in loco alapa appetitus, ita iniuriam vltus eſt, vt reſponderet, ſe quod è Sodalitio B. Virginis eſſet, tantam iniuriam libentiſſimè ferre, volentiſſimè condonare. Quidam vero Tyro cum domi ſuæ præter morem famulis & captiuis (quorum ingens in tota India

dia

dia copia est) Catechismum traderet, & explicaret rogatus, ecquid tandem causæ esset, cur modo institutum huiusmodi suscepisset? id ex eo esse respondit, quod recens fuisset in Sodalitium Deiparæ cooptatus; Multi verò Sodales die inprimis solemni, & in conspectu totius Goanæ ciuitatis multorumq́ Religiosorum quo die quinque ob nefandum scelus ad suplicium, ignis trahebantur, vltrò & præter consuetudinem litanias recitantes præibant comburendis magno omnium exemplo sciscitantibus multis, quid nam instituti hoc esset: & vbi rem resciuissent, approbantibus illam silentio pleno admirationis. At pauca hæc & minima quidem sunt, in quibus à vobis maximè superamur, vnum tamen non omittendum superest, in quo vos omnes (da-

ta venia dicatur) maximesuperamus & quod nobis iure optimo inuideatis , scilicet gloriosa martyrij corona , qua vnus è Sodalibus nomine Ioannes Emanuel Goensis gloriosissimè triumphauit : hic enim cum in freto Damanensi non longè à Goa distante cum aliis militibus in bellicam expeditionem adiret , à Saracenis piratis captus ad fidei defectionem , & Mahumetis cultum solicitatus , constanti virilique animo respondit se potius quoduis supplicij genus subiturum , quam Dominum IESVM CHRISTVM *eiusque* DEIPARAM *negaturum , quem auditum omnes gladiis & fustibus adorti ; perpetua Martyrij corona adornatum in cælum aduolare fecerunt , & hæc minima Sodalitas Deo, Virginique primum huius vineæ fructum libentissimè ob-*

obtulit. Sed ex multis hæc pauca decerpsisse sit satis. quæ eò spectant, vt intelligamus quam non sit abreuiata manus Domini, qui etiam his in regionibus, in quibus non multos ante annos triumphabat impietas, Mariæ Genitricis suæ subsidiis triumphare facit pietatem, quantum debeamus huic eximiæ Patronæ nostræ, ex cuius cultu hi dulcissimi fructus colliguntur, quantum Societati ipsi per quam nobis iidem ministrantur. Reliquum vnum est, vt quando ex ista Sodalitate Romana, tanquam ex communi parente tot in nos bona deriuauit Deipara Virgo vestris etiam precibus nos iuuetis ad impetrandum, vt in nobis cœpta perficiat, & efficiat ne penitus ingrati tantis beneficiis extitisse videamur. Da-

tum Goa die ipso nostri Saluatoris Sanctissimo ortui sacro 1607.

PRÆFECTVS
Dominicus delguadi

Primus assistens
Damianus Collaca

Secundus Assistens
Iacobus ab Abreu

Secretarius
Andreas Loduuicus &c.

Atq; ab hoc confinio ad ea transeamus opera explicanda, quæ in animis curandis Sodales præstiterunt.

CAPVT XVI.

ALIOS A VITIIS reuocant.

Cur alij à peccãdo retrahendi sint.

QVisquis vel Inferorum tormenta rectè apud animum suum inspexit; vel acerbam Christi plenamque opprobrij necem expendit; simul






ſimul quot eo infelices habenis im- I.
miſſis irruant exputauit, non potuit II.
non vehementer animo commoueri, tanti ſanguinis precium ferè apud innumeros perire; & paſſim præcipites abripi in æterna mala mortalium plurimos. Vnde non pauci reperti ſunt, quorum pectora Chriſti ſanguis tetigit, qui eo omnem vim ſuam intenderunt, vt infauſtiſſimo curſui hominum ſeſe obijcerent, & à vitijs flagitijſq; perpetrandis reuocarent. In quibus & Sodales nomen profeſſi ſunt ſuum, vt exemplis nunc planum faciam. Quid ni enim hi facerent III.
Magnæ Matris filij, quod eorum primo genitus frater morte etiam indigniſſima feciſſet?

I. In illis prouincijs, quas vitiorum omnium ſcaturigo hæreſis infecit, præcipuum eſt Sodalium ſtudium ſingulis annis aliquot ab ea peſte ad ſaniorem mentem deducere; vt poſſim hic exemplis ſuperſedere. Vnum id admiratus ſum ab vno Sodale Caliſſienſi, oppidum integrum

Hæreticos conuerterunt. CIϽ. IϽCVI.

cohortando in rectam viam pertractum esse.

A libidine reducunt. II. A turpi libidine aut reuocatos aut ne inferrentur, maturè monitos multos inuenio. Granatæ quidam cum inhonestæ vitæ fœmina pactus est magnâ pecuniâ, vt nocte saltem vnica à turpi se quæstu faciendo cohiberet. Accepit conditionem mulier: sed vt genus id omne inconstans est, lupanari tum egredi noluit. Nocte illa conceptus à lucerna ignis dormientis manum grauius adussit; quo illa facto fidei admonita è turpi obsequio se expediuit.

CIↃ. IↃCVI.

An. CIↃ. IↃLXXXVIII. III. Panormi Sodalis perductam ad se puellam reiecit, ac cum intelligeret malesuada egestate tam fœdè lenocinium exercitum fuisse, pecuniam ipse obtulit, vt à flagitio desisterent. Ne aliæ tale quid meditarentur, vna nuptui, duæ in claustra sacra datæ sunt cum dote liberali. Senem quendam egenum stipe larga obiecta, quidam Bariensis Sodalis à filiæ lenocinio auertit.

CIↃ. IↃ IXC.

IV. Su-

IV. Supramemoraui, qua Granatenses industria pauperum inopiam subleuent: subtexam hic qua arte à fœdo libidinis cæno multos extrahant. Diebus festis ad lupanar se conferunt, vbi ad multam noctem pijs inter se colloquijs, sanctorum librorum lectioni & precationibus vacant, magna hominum vtilitate. Nam præterquam quod multis impedimento sunt, quo minus prauas libidines expleant, ex ipsis etiam mulierculis decem è cœno illo extraxerunt siue maritis redditas, siue tutos in locos receptas. Atque vt melius & commodius pias exercitationes obirent, ad prostibuli ianuam sanctissimum Crucis signum solenni dedicatione, suaui symphoniæ ac vocum harmonia, funalibus quam plurimis accensis, in decente loco defixerunt: & quo meliore auspicio res gereretur, totam dedicationis vesperam, noctemque consequentem precatione traduxerunt. Spectaculum bonis quidem cer- CIↃ. IↃCVII.

certè iucundiſſimum fuit, qui impuriſſimam haram in aram, execrationem in ſacrarium conuerſam oculis vſurpabant; contrà impuris pluſquá lupatum frænum, quo à fœdis conatibus retracti non pauci fuere. Feſtinabat inter alios ad ſacra Veneris libidine furens, animique impotens miles: hic cum à Sodalibus iterum iterumque ab incæpto verbis remoueretur, iracundia percitus tumultuari ac clamare cæpit; accurrit illico ſimili œſtro correpta militũ turma: tum vnus præ reliquis ferocior diris ſe deuouit, ni morte illum multaret, qui ſibi ac ſocijs ad impura vota properantibus obſiſtere auderet. Terreri minis primùm Sodales; ſed mox animo reſumpto ante Crucem in genua procumbunt, Deumque ad cauſam ſuam agendam tuendamque aduocant. Nec irritæ fuere preces. Nam is ipſe qui tumultui primus occaſionem dederat, mutatus repente illo Sodalium ſpectaculo ad eos transfugit, gladioque exerto &

pal-

pallio clypei in modum ſiniſtræ aptato, viam reliquis ad facinus intercluſit, diuinæ offenſæ vltor factus, qui hoſtis aduenerat. Verum neque his contenti Sodales, precio etiam iniurias in Deum redimere tentarunt. Die namque qui Diuæ Magdalenæ ſacer eſt, eam pecúniæ vim eiuſmodi mulierculis contulerunt, quam ipſæ turpi quæſtu lucrari potuiſſent, vt illo die à peccando abſtinerent. Nempe etiam hi viderunt, quod B. olim Ignatius dictitabat, rectè operam locatam ladoremque minimè fuiſſe irritum videri debere, qui in huiuſmodi mulierculis reducendis inſumeretur, ſi modo noctis vnius aut diei iniurias Deo irrogandas ea ratione auertere liceret. Nam vel vna Dei offenſa nimis magnum malum eſt.

V. Hiſpali è Clericorum Sodalitio quidam diem obijt; qui inter præclariſſima ſanctè tranſactæ vitæ opera, illud quoque effecit, vt Regio edicto prohiberetur, ne feſtis diebus vnquam lupanaris fores paterent, aut CIↃ. IↃCIV.

aut ne meretriculæ in publicũ ad illiciendos amatores prodire possent.

CIↃ.IↃ XCV. VI. Neapolitani vectigal annuum collocandis honestè ijs, quarum pudicitia in periculo esset, constituerunt. *Eodem.* Messanenses ære collecto vagas mulierculas non paucas intra cænobij claustra, aut connubij limites conclusere.

CIↃ.IↃ CXI. VII. Quod hi pecunijs impetrarunt, id apud Sodalem quendam suum, B. Virginis suique immemorem, efficere Sodalitatis Præfectus sanguine suo laborauit. Nam cum eundem vidisset domum ingredientem, vt cum Virgine colloqueretur, veritus ne ea consuetudo longius procederet, quam honestis satis foret, cum iam antea in ea disturbanda frustra obnixus fuisset, ad preces cõfugit, thoraceque deposito in seipsum sæuiens benè largum sanguinis imbrem è tergo elicuit, vt impurum alterius ardorem extingueret. Nec factum clam habet, sed funiculos, vt erant, sanguine rorantes alteri,

cuius

cuius res agebatur, obtrudit & : *Disce, inquit, miser, vel fuso sanguine seruandam, quam Christus redemit animam.* His egomet male me accepi *modis, vt imminentem capiti tuo ruinam repellerem.*

VIII. Memoria quoque dignum est facinus Ingolstadiensis Sodalis Propola quidam nefario præconio merces distrahebat varias: in ijs clam turpissimas tabellas venum proponebat, quibus multorum innocentia appulsa naufragium factura videbatur. Noster igitur, quasi ambitiosè merces illiusmodi quæritaret, frequenter adire mercatorem, iam hanc iam illam poscere; pecuniam præsentem numerare. paucis horis totã veneream mercem vnus coëmit, & vulcano exurendam tradidit. Maluit pecunias sibi interire, quam Christo animas: & pænam, quam pictor atque institor meritus fuerat, tabellis inflixit. Quamuis neque pecunia perierit, quæ sic expensa est. neque scelus pictoris impunè fuerit. Illa cœlo repo- CIↃ. IↃ CXIII.

repoſita è fœdiſſima merce lucrum maximum fecit: pictoris nomẽ quod à Venere ſperauerat, eodem incendio, quo tabulæ, abſumptum eſt.

CIƆ. IƆCXXVI. IX. Dilingæ eundem interitum parabat adoleſcens pecunijs in eam rem ferè emendicatis; niſi optimos conatus vaferrimus inſtitor maturius eluſiſſet. Felicius alius quiſpiam ex eodem Gymnaſio virtutis virum potentem ad frugem reduxit, quod eò plus admirationis habet, quo immaturior ætas fuit, quæ ſenem ſapere docuit Rem Annales Sodalitatis Dilinganæ in hunc modum narrant:

CIƆ. IƆXCII. *Adoleſcentulum hunc proſapiæ auctæ nobilitate clarum conſanguineus ſuus ad conuiuium forte vocauerat. Hic vir inter epulas militari more, laude alioquin bellica celebratus identidem ſacrilegas iaciebat voces, cum puer verborum atrocitate commotus, rogat vti ſic iurare omittat, alioquin nihil guſtaturum. Temperat ergo ſibi tantiſper in gratiam conuiuæ, mox tamen à conſuetudine ſui oblitus redit ad pri-*

ſtinum

ſtinum linguæ vitium. Puer Sodalis feriatus ab eſu ac meditabundus, in pectoris arcano rogat Deiparam facundiæ gratiam. Mira res: puer grammaticis præceptionibus haud ſatis adhuc inſtructus, & rudis fandi, incipit de vitæ periculis, de morte, de ſupremo Iudicio, eiuſdemq; modi ſalutaribus terroribus tam copioſè expeditèq; diſſerere, vt grandæuus ille mutus audaciaq; in ſtuporem verſâ, loquentis ab ore penderet attonitus. Ergo velut ſtimulo incitatus à menſa ſe proripere, iactare brachium luctantis in ſpeciem ac ferienti ſimilis, tandem quaſi diſcuſſa larua fugam inuenire. Parua temporis intercapedine conuiuij Pater puerum è conclaui foras euocat, amplectitur, oſculatur, veniam orat, molliti mutatique pectoris edit argumenta, rogat inſuper idoneum ſibi videat confeſſarium tot flagitijs eluendis parem. Sodalis victor votique compos propere arceſſit Sacerdotem, apud quē ſenex ille ſua delamentatur vitæ dedecora, & de menſa Chriſti Sacratiſſimæ

pastus gratias acturus nepotem adit, cuius opera sit è tanto salutis discrimine subtractus. Omnia in hoc facto miraberis: ex infante disertum, puerum viri Doctorem, cupedias à Delicato neglectas, militem imbelli herbam porrigere, inueteratam linguæ insaniam momento dissipari, ambysse quæ oderis, alium denique virum euadere. non à puero hæc virtus, sed Sapientia Mater aperuit os mutorum & linguas infantium fecit disertas.

Mala tolerant, & benè faciant.

X. Neque operæ neque expensarum pœnitet Sodales, sicubi animarum lucrum appareat. Imo ne verberum aut grauioris mali metu absterreri se passi sunt, quin in id studium incumberent. Neapolitanus Sodalis certis vestigijs alterius cuiusdam flagitium indagauerat: ei vt obstaculum opponeret, errantemque in viam redûceret nullum non lapidem mouit. Id cum alter aduerteret, vt flagitiosi ferme etiam amentes sunt, pessimè beneficium rependit. perditos enim homines precio impulit,

CIↃ. IↃ IXC.

pulit, qui insontem verberibus vsque opplerent, & ab aliena ad sui curam reuocarent. Noster patientissimè ictus tulit, & cum posset, apud Magistratum accusare nemi- CIↃ. IↃ nem voluit. In Balearibus fœminam XCVIII. ab inhonesta cuiusdam consuetudine abduxerat Sodalis; non impune. nam amasius hominem in templi secretiorem partem seuocatum quasi colloqui vellet, verbis verberibusque pessimè accepit. Quam iniuriam animo ille forti constantique tulit, paratus similia frequenter pati, si causa patiendi sæpius sub manum succederet.

XI. Qui heris consilium dedit, *Miseros* quo fugitiuos retinere seruos sine *pascunt,* vinculis facile possent, si eorum ora *vt animis* mensæ plenæ alligarent, non impru- *eorum* denter idem suasisset, valiturum ad *prosint.* miseros in bonam frugem corrigendos. Sæpè enim paupertas vt est onus graue & miserum, grauium criminum auctor fautrixq; fuit, cum inuitos nacta est hospites, Id adeo Sodalibus

libus probè perſpectum fuit. Vnde inopum miſeriæ ea de re quoq; ſuccurrerunt, vt ad peccata reiicienda
CIↃ.IↃ inducerent. Moguntinus ruſticanum
XCIII. hominem nactus, iamdiu in peccatorum ſordibus iacentem, domum ſuam deduxit, eique & lectum ſuum conceſſit humi interim cubitans, & res omnes neceſſarias ſubminiſtrauit, dum ad totam vitam confeſſione expurgandam miſerum diſponeret.

CIↃ. IↃXCVI. XII. Sodales Valliſoletani ſancta hebdomada vniuerſam, vagorum mendicorumq; multitudinem vnum in templum coëgerunt, aduocatoq; magno numero Sacerdotum, inconditam illam vilemque turbam diſtributa ſingulis pecuniola ad confeſ-
CIↃ IↃCIV. ſionem inuitarunt. Ad idem præſtandum Hiſpalenſis quendam in Noſocomio ſua humanitate pellexit.

CIↃ.IↃCI. XIII. E Neapolitano Sodalitio quidam norat hominem nefarijs implicitum ſceleribus, eiuſque conditionis eſſe, vt in grauiora quotidie facinora erupturus videretur. Eius

igitur

igitur ſalutis auidiſſimus omnes verſabat artes, quò infelix ille ex infami vitiorum cæno emergeret. Fit ei aliquando per vrbem ambulanti ille obuius: tam opportuna occaſione oblata lętus noſter, blandè hominem appellat, *Magna,* inquit, *res eſt tuaq́; plurimum refert; quam ſi vis, in proximo templo tibi aperiam.* *Adſum,* inquit alter, *dic quæ vis.* Eunt in templum: Sodalis B. Virginis opem implorat ad ſecundum negotij curſum promouendum. Tum efficaci oratione tantum potuit apud auditorem attonitum, vt primo congreſſu manus ſe victum dare, & ad meliorem frugem recipere velle fateretur. *Verùm,* inquit, *cum è lucro, quod ex hac vitæ ratione mihi prouenit, domus anguſtias vtcunq; tolerem, quodnam honeſtum vitæ genus inibo, in quo famę mihi pereundum non ſit?* Tunc victoriæ lætitia exultans Sodalis, *Pone,* inquit, *metum: quinque in dies denarios parare meo mihi labore poſſum: horum tu duos accipe, teq́; vitamque tuam*

tuere. Mouit virum non magis oblata lucri vtilitas, quam flagrantissima Sodalis charitas; manantibus itaque lacrymis oblatam conditionem amplexus, institutam vitæ rationem omisit.

Dissidentes conciliant. XIV. Ad hoc caput non importunè referri arbitror studium Sodalium, quo discordes animos atque in necem aliorum iam efferatos cōponere nisi sunt. Quod in agro Beneuentano insigniter aliquando præstiterunt. Cum enim de finibus oborta fuisset contentio, iamque ad arma & cædes res vtrinque telis expeditis spectaret, Sodales inter vtramque aciem Cruce pro se quisque armatus discurrere, & quà pacis commoda differendo, quà concertationum mala commemorando peruicere, vt positis odijs vulnera & necem in mutuos amplexus mutarint.

CIↃ. IↃCV. XV. In Guamaguensi oppido erecta est Sodalitas, in qua duo Pacis custodes constituuntur, quorum id est officium, vt rixâ aliqua exorta

inter

inter ciues, illi Sodalitatis patrem admoneant, vt tempestiuè malo occurri possit. De Romano Assumptæ Virginis Sodalitiò, ad dissidentes animos reconciliandos potissimum instituto, libro superiore perscripsi. Alia quotidiana prætereo. c. 5. §. 7.

XVI. Omitto tota Sodalitia ad vitia corrigenda fuisse constituta. Nam & Monte Leonis in Italia & in Villa Baionæ & Oueti in Hispania Sodalitas erecta est, ad tollendam prauam iurandi maledicendiq; consuetudinem. Olyssipone ad tuendam pudicitiam muliercularum quas vocant Conuersas Sodalitium initum est. Vallisoleti simili instituto pericula auertunt à pauperculis & formosis. Cordubense Sodalitium suscepit curam Cænobij, ad quod mulierculæ resipiscentes confugiunt. Animabus Purgatorij Beneuenti specialibus officijs succurritur à Sodalibus. Et sanè nescio an non animabus maiore studio suppetias eant Duacenses Sodales, qui in peruigilijs S. CIↃ. IↃ LXXXII. CIↃ. IↃ. LXXXVI. CIↃ.IↃ LXXXIX. CIↃ. IↃ XCVIII. Eodem.

Martini & Trium Regum cætus ineunt precesque instituunt, ad vigentia
CIↄ. noctibus illis vitia auerruncanda. A-
IↄCXI. pud Baleares duabus Sodalitatibus addita tertia, quæ Tutelarem sibi adsciuit Beatissimi partus exspectationem, atque in eam rem præcipuè incumbit, vt pueritia Christianis moribus exactius instituatur; atque ideo elementarias scholas adeunt ipsi bini voce præmiolisque ad Catecheseos amorem studiumque accendunt.

Alia; causa, cur in malis corrigendis laborandum sit.

XVII. Hęc itaque Sodalium peculiaris diligentia est, vt in rectam viam melioremque vitam aberrantes reducant. Qua in re imitantur illi Angelos, quorum præcipuus labor est, à peccato clientes suos auertere. Et pro certo habeo dicere bonam
I. gratiam apud beatos illos spiritus initurum eum Sodalem, qui ipsorum
II. clientem à prauitate reuocat. Si enim
Luc. 15. *gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*, qua lætitiæ
III. tantæ auctorem mente complectentur? Denique optima expiandarum cul-

culparum noſtrarum ratio eſt, alios à noxis auertere. *Quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore via ſua, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Multa debes? expedita eſt ratio: lucrare alios, & nomina tua diſſoluiſti. *Iacob. 5.*

CAPVT XVII.

COLLOQVENDO Hortandoque multis proſunt Sodales.

QVanta vis humanæ orationi inſit, perſpectum è Rhetorum libris eſt. In vtranque partem valet eloquentia, ſeu ad malum incitare, ſeu ad virtutem velit impellere. Imo verbo ſæpe vno acriter prolato, magna animorum inclinatio conſecuta eſt. Sed in familiaribus colloquijs non minor virtus eſt, ipſa ſua ſimplicitate ſeſe in pectora inſinuante ſermone. Quare vt hac quoque ratione auxilio compluribus hominibus eſ- *Vis bonorum colloquiorũ.*

ſent Sodales laborarunt; rudium pręcipuè inſtitutione atque omnium ad vitæ integritatem adhortatione. Exempla pauca, verum nos dicere probabunt.

Rudes inſtruũt. CIↃ.IↃ XCVII. I. Bilbili tanta ingenij quidam hebetudine fuit, vt multis annis præcipua Religionis noſtræ capita nunquam comprehendere memoriâ potuerit. Tandem Sodali erudiendus traditur: ad cuius vocem diuina protinus lux hebeti menti affulſit, vt quæ longiſſimo tempore ab alijs diſcere nequiuerat, horæ quadrante perceperit.

CIↃ. IↃXC. II. Coloniæ vir magnæ auctoritatis aliquot annis certis locis ac diebus magnam egenorum turbam ſtipe refectam doctrinæ Chriſtianæ diſciplinis imbuit. Ex eodem Sodalitio alius cum ſocio ad Batauos profectus, eis, qui inter illos rectæ Religioni adhærebant, robur animi addidit, alios in viam reduxit, cænobitas ad veteres leges reuocauit: in vna Vltraiectina vrbe familias viginti Eccleſiæ reſtituit.

III.

III. Puerorum quoque in erudiendis simplicibus ardor multis in locis se prodidit. Duaci vnus quicquid à rebus scholasticis vacui temporis nancisci potuit, id in remotioribus vicis inuisendis, & in rudi pueritia instituenda posuit: de suo munuscula illis attulit, vt ad discendum alliceret. Socios quoque pij operis aliquos ætate atque studijs pares adlegit, vt fructus latius pateret. Idem à Turnonensibus Sodalibus inuenio factitatum. CIↃ.IↃ LXXXVI.

IV. Astigitani Clerici Scholasticis puerisque per compita vrbis capita doctrinæ sacræ decantantibus sese admiscent, simulque magna vocum contentione & populi totius admiratione consonant. Eandem tradendæ sacræ disciplinæ curam gessere Mediolanenses. CIↃ.IↃ XCIII.

V. Traiecti Sodalitas coacta est doctrinæ Christianæ promouendæ. Cuius Protector declaratus est, vrbis Gubernator; Directores, duo Decani; Prouisores vterque vrbis Con- CIↃ.IↃC. CIↃ. CIↃIIC.

ſul; Aſſeſſores, quatuor ciuitatis Parochi. Quorum nomina palam enũciata ſunt, vt ciuitas intelligeret, quibuſnam res catechiſtica maxime cordi eſſet, magnumque ea res momentum ad pietatem attulit.

CIↃ. VI. Ad quod ſtudium ſeriò vr-
IↃCVI. gendum Chriſtus ipſe forma ſpecioſi pueruli Præfectum Bononienſis Sodalitij hortatus eſſe ſcribitur. Cui viſo libentius fidem habeo, quod ſciam illam teneræ ætatis inſtitutionem Deo inprimis gratam atq; iucundam eſſe, ex qua ætatis totius ſeges ac fru-
CIↃ.IↃ ctus adoleſcat. Quæ inſtitutio rudiũ
CXXVIII. eò pluris facienda eſt, quo ſe illuſtriores perſonæ ad eam applicant, cuius exemplum hoc eſto. In ea reformatione quæ circa Religionem nuper in Boëmia per Auguſtiſſimum Imperatorem Ferdinandum II. inſtituta eſt, primas partes egit perilluſtris Dominus Zbenko Comes à Collouurat, olim Congregationis Dilinganæ membrum. nam non modo rei bene gerendæ præfuit, vt ad ſeptem

millia

millia Catholicas partes traducti sint; sed ipse instructoris atque Catechistæ vicem obiuit, rudesque magnâ curâ docuit, quæ rectè sentire, quæ facere deberent. Vt hinc quoque possis noscere, quam Catholica Religio vera sit, cuius Doctores ipsi quoque perillustres esse velint. Ad sectas alias docendas vulgi detrimenta ádsciscuntur.

VII. Enituit Monasterij è Sodalitio penè puerulus, qui parentem hæreticum, tamdiu precibus, historiis exemplisque de B. Virgine narrandis fatigauit, donec perfidia posita rectè sapere didicerit. Alterius Iprensis industria merito posteritati commendatur. Namque cum eius condiscipuli ad sacram sese ædem conferrent, eodem complures ipse libros attulit, vt haberent alij, quo vtiliter se occuparent. CIↃ. CIX. *Eodem.*

VIII. Sed messem vberrimam & retulerunt & etiamnum inferunt Sodales, si quando colloquijs pijs semet aliosque ad pietatis augmentum in-

Dæmon colloquia pia interrūpit. CIↃ.IↃCI.

citarunt. Vnde colloquia eiuſmodi interturbare Dæmon ſæpe vehementer niſus eſt. exemplum vnum afferam. Valentiæ Sodales piſcatione, ſeu tempus fallebant, ſeu rem facere volebant. Cum igitur laxatis iam retibus ſudibusque præfixis, in tuguriolum ad paludis oram conueniſſent, vt interim diuinos miſcerent ſermones, dum ſperati in retia piſces ſe induerent: vnus, qui ad retia ſeruanda relictus fuerat, videt Scapham aduentantium hominum plenam, qui retia ſoluere, aut prædam præcipere velle videbantur: conclamat: ad arma concurritur; ſed cymbam ingreſſi, vt hoſtem propulſarent. ſubito neminem conſpicantur, dum ad litus redeunt, è latibulis denuo fures ſe proripere viſi ab omnibus; retorquent nauiculam, inque hoſtem impellunt, ſed ex oculis præſtigiæ illico euanuerunt. illi ad cæptum colloquium non ſine rubore redeunt, quod tam facile turbari dæmonis fraude ſe paſſi ſint. Ludibria aliorum

ſæpe

ſæpe Dæmonis vice funguntur. ſed aude contemnere, & hæc in ventos abibunt.

IX. Neapoli tam multi ad exoluenda peccatorum vincula pijs Sodalium collocutionib⁹ excitati ſunt, vt cum per Sacerdotum penuriam tot audiri non poſſent, Archiepiſcopi iuſſu ſingulæ Religioſorum familiæ Sacerdotum auxilia ſupplerint. CIↃ. IↃ LXXXIII.

X. Infinita alia ſunt, quibus oſtendi poſſet cohortationibus Sodalium præclarè multa inſtituta, à vitijs abſtractos, ad virtuté perductos, Congregationi adſcriptos fuiſſe quamplurimos; ſed quia piſcatus hic adeo paſſim increbuit, vt noui nihil dici queat, ſuperſedeo pluribus. vnius tamen ex Annunciatæ Virginis Sodalitio dicendi agendique vis ſine flagitio omitti non poteſt, cuius ſtudio Congregatio integra coaluit. Cæperat is Parmæ primo ſolus frequentare Noſocomium, deindè alios cœpit inuitare, & commo- *Vnius Sodalis ſtudio noua Sodalitas inſtituta.* CIↃ. IↃCIV.

uere cohortationibus. Sed diu cum paucis eo itum eſt, priuato potius cuiuſque conſilio, quàm vt aliquibus legibus vterentur. Aduenere ſacri dies, quibus patienti Chriſto parentamus; cumque in templo Societatis primus ille & alius quidam in ea pietate ſocius colloquerentur, eo tandem venere & ad diuinam gloriam amplificandam, & ad pietatem exercendam, atq; ad inſignem ægrorum vtilitatem, ad vrbis denique præclarum exemplum rem ceſſuram ſi mos ille frequentandi Noſocomium, non paucis ſolum eſſet pro libito, vt antea, ſed multis eſſet communis, qui certis Sodalitatis legibus adſtringerentur. placuit conſilium; tunc initus aliquorum numerus, qui primi poſſent aggregari. Mirum dictu; abeuntibus è templo obuiam venerunt omnes illi, quos animo ſibi ſocios deſtinarant. quare redeunt ad Collegium, itur in Congregationem, proponitur res; indicitur ſtatus dies ad deliberandum. Vbi conuenerunt, licet

aliqui veniſſent parati ad proponendas difficultates, breui tamen omnes præmiſſa vnius cohortatione conſenſerunt, adeo vt cum ad ſuffragia ventum eſt, nemo fuerit, qui contradiceret. Leges ſancitæ Sodalibus hæ: vt conueniant ſingulis menſibus omnes certum in locum, vbi agatur de ratione miniſtrandi infirmis, errata cuiuſque publicè aperiantur, pœnæ proponantur: quibus iniunguntur, ea promptitudine exequuntur, vt planè virtutis ſtudio incenſos agnoſcas. Tirones non niſi ſex menſibus probatos admittunt. Dicbus certis ad Noſocomium conueniunt: eorum vni ceteri ad nutum omnes obediunt: is cuique ſua munia diſtribuit; nullus ſine eius facultate diſcedit. Aliqui quotidie eo accedunt; aliqui ſæpius, quàm Sodalitij legibus teneantur. Adeo exactè res ſeruatur, vt ex cætu eijciantur, ſi qui ſegniores fuerint deprehenſi: lacrymantur præ gaudio ægroti, qui tot ingenuorum adoleſcentum ſtudio, magnam par-

Hac vnica ratio eſt Sodalitates in vigore cõſeruãdi.

tem ſentiunt leuari ſibi ærumnarum, quas morbus ſecum afferre ſolet. Et ſanè illi magna præbent exempla virtutum, præſertim in tolerando aſpectu vulnerum & fœtore; nec defuit, qui ſcaturientem ſaniem ore exceperit, vt naturæ ſubterfugientis horrorem ſuperaret, & in poſterum ad ea munia redderetur alacrior.

De ſpecialibus Sodalitatibus.

XI. Quo vno exemplo ſatis declaratur præter eam Sodalitatem, in quam adſcripti ſunt, Sodales nonnullos inter ſe cœtum aliquem inire poſſe, vbi certis legibus certoque ductore ad rem quampiam præter cæteros ſingulariter ipſi incumbant. Talis cœtus eſt illud Ingolſtadienſe Colloquium, de quo ſupra dictum eſt. Atque eiuſcemodi cœtus ad integrorum Sodalitiorum reſtaurationem valere plurimum, nemini dubium eſſe debet. Nam cum tota aliqua Congregatio euaneſcente ſenſim initiorum feruore, ſua quadam incuria defloruit, vt ſubinde fie-

l. 1. c. 5. §. 8.

Modus percõmodus reformandi Sodalitates defloreſcentes.

fieri monuimus alibi: difficile eſt veterem nitorem atque ordinem ſimul reducere, niſi plerique velint. Exſpectare autem aut conari, vt plerique velint; cogitanti forſitan non perinde longum arduumque videbitur, atqui infinitum fermè experienti & tentanti laborem accerſit. Multitudo enim quando à legibus ſe ſemel exoluit, difficulter ſe iterum illigari ſinit. Sed pauci primum inter ſe fœderati, ſi ex priuato pacto legibus Sodalitatum ſeruandis incumbant, ſenſim ad ſe plures inuitant, atque iterum alios atque alios: tum numero aucti iam ex officio faciunt, quod principio priuata Religione facere prætenderunt. Quo fit vt reliqui vel conſequantur, vel ſi nolint, ab omnibus auulſi fæce Sodalitium liberent. Quod ſi id ſtudium ab initio præ ſe tuliſſent, odio fruſtraque fuiſſent. Sed de hoc genere alius erit agendi locus. *l. 1. c. 7. §. 2. & 3.*


XII. Denique ad colloquia pertinent illæ Sodalium inter ſe conuen- *De conferentijs Sodaliũ.*

uentibus suis, de pijs rebus, familiares dissertationes, dum re vna ad mores spectante in medium allata plurium sententia exigitur: aut potestas sit, de qua velint, re quærendi. Quæ consuetudo à veteribus Ascetis, imò à Socraticis vsque temporibus deducta, in multis Sodalitatibus etiamnum viget, estque suum operæ precium. Nam Oratorium illud genus dicendi, vim quidem suam habet; hoc tamen familiare & liberum dubitationes melius exponit, facilius expedit, animos aperta illa agendi ratione occupatos fortius deuincit atque in bonum inflectit. Illum sic colloquendi morem nostra quoque ab ipso exordio complexa Congregatio permultos annos maximo bono conseruauit, vt in commentarijs perscriptum est.

XIII. Hæc habui, quæ de Sodalium communibus singularibusque virtutum exercitationibus scriberem, pauca è plurimis, rudiori Miner-

nerua, quàm virtus eorum merebatur. Dabitur bono Deo fauente, vt vel alij feliciore calamo, vel nos laborioſiore plura in lucem aliquando proferamus. Nunc quæ in Sodales beneficia, aut per eos in alios à Deipara profecta ſint, videamus.





SODALIS PARTHENIVS,

LIBER III.

BONVS BENEFICIIS, Desertor aut Negligens Pœnis afficitur.



N omni Rep. præmia pœnæq; iuxta constituta sunt: cum in magna multitudine mali deesse non possint, qui coërcēdi sint; & bonis animus augescat, si virtutem suam æstimari videant. Neque illa Reip. Marianæ desunt, vti vberius hoc libro docebimus.

CAPVT I.

IN SODALITAtem impij puniuntur.

A Pœnis initium capio, vt piacula

cula ex oculis cito remota lætioribus ſpectaculis locum cedant.

I. Limæ nobilis adoleſcens Hiſpanus iterum iterumque ab æqualibus rogatus, vt Sodalibus adſcribi vellet; Dominica quadam die concionem auditurus ædes Societatis adiuit, quo tempore Sodales ſacellum ingredientes nomina ſua notabant in tabella. Quod ille eorum ſtudium irridere, vt ſuperuacaneum, cæpit, & ineptiſſimum Theatinorum inuentum appellare, cum petulanti oris ſono motuque corporis inurbano; ac deinde quaſi merito offenſus pedem referre, ac diſcedere. Sed non abijt impunè hominis intempeſtiua procacitas. Nam inſequenti nocte in manifeſto adulterio deprehenſus, traiectus enſe, nullis ſacris procuratus infelicem animam cum ſanguine eiecit. Miramur ſubitos caſus, cauſamque requirimus: in promptu eſſet, ſi aduertere vellemus, in ſacris contemni nihil debere. *Non confeſſus ſubitò moritur.*

II. Quis

Calamo B. Virgini sacro abutens colapho caeditur.

l. 5. Virg. hist. c. 1.

II. Quis enim animaduersione dignum credidisset, calamo Mariano abuti? vindicta tamen consecuta docuit leuiculas culpas, vt nobis cæcutientibus videntur, Diuino oculo magnas videri. Rem è Franc. Bencio narrat P. Bonifacius. In Sodalitijs deligitur vnus, qui Senatui Parthenio ab arcanis sit. Id munus cum Hispali suscepisset adolescens in B. Virginem pietate insignis, duos calamos scriptorios insigni ornatu destinauit: detractis enim plumulis aureo sericoque filo inter se permixtis vtrumque vestijt. Horum alterum iuuenili furto coæqualium aliquis subduxit: Atque vt crimen augeret, nescio quas amatorias eo tabellas ad amicam exarare instituit. Iam manu furtiuam pennam prenderat, cum palma os sibi verberari sentit, simulque vox ad aures: *Etiamne, scelestе, rem mihi dicatam temerare audes impuro ausu?* Attonitus verbere dictisque iuuenis improbatam velificationem mutauit, & ad Franciscanæ familiæ portū,

quo

quo dudum, si audire voluisset, secundi illum venti ferebant, appulsus est.

III. In Peruana Prouincia non procul Guamanga præturæ cuiusdam Præfectus, Indos Sodales Pueri Iesv à Christi circumcisi cultu quōdam tentarat prohibere: eius domus postea pridie eiusdem Festi ignem concepit, quem cum extinguere manibus pedibuspue laboraret, manus pedesque combussit. CIↃ. IↃCIX. *Sodales à cultu sui festi impediens eodē punitur.*

IV. Treueris grauia in Sodalitium odia quorundam exarserunt, quę Magistratuum beneficio extincta sunt. Dolebant quidam Congregationis instituto Sodales comessationibus, blasphemijs, ingurgitationibus abstinere, tribunitias conuiuiorum leges, & veteres pergræcandi consuetudines negligere. Alij periculosius prętextu curandæ Reip. pietatem oppugnabant, coitiones eorum seditionibus excitandis opportunas videri; proin tempori malo occurrendum, Verùm contumelijs his *Eodem.*

cuius-

cuiusdam è primoribus proteruia finem attulit. dum enim in publico hospitio multi in Sodalem quendam totamque adeo Sodalitatem probra congerit, in ius vocatur, calumniæque damnatus post turpem mendaciorum reuocationem grandem mulctam, Sodalitatique trium librarum cereum pendere cogitur.

Ridens morem Sanctos sortiendi confoditur. CIↃ. IↃCXI.

V. Sortiebantur de More Sodales Fregenalenses in templo Societatis mensis initio Tutelares Diuos. Aderat adolescens vnus spectator, quem vt profanum arcere procul debuerant; is non piè satis de tam pio opere sentiens: Patres hi, inquit, istis schedulis ludos homines faciunt. Non tulit impunè dictum; paulo post vulneribus confossus est; Fortunæ ludibrium, qui piam sortem riserat.

In aquis perit qui

VI. Nicææ adolescens quidam annos septem & decem natus, ad B. Virginis cætum inuitatus à socijs, ægrè primum id sibi persuaderi passus est; mox simul ac in æde vestigium po-

posuit, illico iterum mutatâ voluntate, nullis Sodalium summis vel infimis precibus retineri potuit. Recedit solus, rectà natatum proficiscitur, statimque ingressus hauritur aquis, nec nisi efflata anima apparet. Atque hæc pauca illorum exempla, qui Sodales non fuerunt, monere quemuis debent rideri ac contemni multa posse; sed eas sannas plerumque post se lamenta, vtinam nunquam sera, trahere. Nunc ad Sodalium negligentium pœnas spectandas eamus.

Parthe-niã sta-tionem fugerat.

CAPVT II.

SODALES OFFICII

Negligentes castigantur.

SCío compluribus dubitationem iniectam fuisse piaculumne sit Sodalitatis leges violare. Eam ego in præsenti non discutio. Aliquid tamen causæ esse, credere debemus, cur pœnis ob legum perruptionem mulctētur

Vide Nauar. de psalt. mi- scell. 25.

tur Sodales desides. Illud certè incommodi affert legum siue contemptus, siue, vt leuissimè dicam, neglectus, quod peculiaria Dei auxilia, curamque singularem, quibus pericula impendentia remota fuissent, Sodales non impetrent. Quo fit, vt varijs fortunæ casibus, quibus mortales obnoxij sunt, inuoluantur, quos Dei numine, si legibus paruissent, euadere potuissent. cuius infra memorandum exemplum dabo.

Cur Sodales desides pœnas dent.

I. Atque vt ab eo ordiar, in quo desij. Romæ quidam dum tertiùm iam aut quartùm conuentu neglecto, die quodam Dominico circa horam piarum exercitationum se Tiberis aquis abluit, peritissimus natator gurgitibus absorptus suffocatur.

Conuentus negligens submergitur

CIↃ.IↃCIV.

II. Subiungam aliorum repentinos è vita discessus, ob officia Sodalitatis neglecta. In Sodalitate Turiasonensi Parochus quidam vixerat hic conuentuum frequentandorum oblitus, cùm Mariani officij admoneretur, *instar mortis* sibi esse dicebat huius-

huiuſmodi cœtibus intereſſe. Infelix! maluit videlicet Aphrodiſia agitare, quam Parthenia. Nam turpi mulierculæ cuiuſdam amore correptus in extremum ruit exitium. Cùm enim eius fœminæ maritus coniugem domi ſuæ non inueniſſet, ratus id quod erat, in hortum non longè ab vrbe diſſitum feſtinus contendit: ambos deprehendit: illum pugione ſtatim confodit; hanc eodem traijcere parabat, ni vicini clamoribus exciti periculum auertiſſent. Quàm miſeri rectum non vident! Adeſſe Sodalium conuentui mortem putabat: abeſſe mors fuit. *Pugione traÿcitur.*

III. In Sodalitio Conſentino quidam minus probatis moribus degebat, & in adeundo cœtu negligés, & grauibus inimicitijs implicitus. Cùm igitur ſæpius moneretur, vt reſipiſceret, pertinaceſque iras remitteret; tandemque verbis claris homini denunciaretur futurum, vt ni Sodalitium frequentaret, nomen illius ex albo expungeretur: indignabun- CIↃ. IↃC.

dus respondit. *Ego verò*, inquit, *ad Sodalitium tunc scilicet veniam, cum hoc mihi caput abscissum,& hac crura membraq; abrepta à corpore fuerint.* designabat inter dicendum partes corporis, infelix augur sui interitus. paulò enim post cum in manus inimicorum incidisset, miserabiliter interfectus est; dissectusque ea prorsus concisione membrorum, quam sibi ipsi ominatus antea fuerat.

Miserè dilaniatur.

CIↃ. IↃCVIII. IV. Camberiensis Aduocatus liberioris vitæ amans in postremis curis Congregationem habere cœpit. Appellatus ea de re ab æqualibus, se nolle tot oculis obseruari, respondet, ac vereri reprehensiones, sicubi ab officio deflecteret. Vindice videlicet oculo obseruari miser debuit. Nam cum cognouisset, riualem suum sub primam noctis horam inde se recipere, quo sibi soli volebat aditum patere, seque à muliere præ illo despici, redeunti sine socio parat insidias; ac vix inita rixa cum ipse ac socij fugantur, exterriti, tanquam à plu-

Suo ferro cadit.

plurimis premerentur. denique cum fugeret exertum atque in se obuersum quatiens pugionem, in ipsummet corruit, sibique in pectus infixit. quo facto tandem reflexit oculos ad Sodalitatem, veniam petijt, preces poposcit, optima quæque pollicens, si vita suppeteret. An ex vulnere superuixerit, mihi incognitum est.

V. Alius leuis vt apparebat officij negligens, graues pœnas luit. Res fide certâ cognita est: locum annumque volens omitto. Duo è Sodalitio adolescentes die aut festo aut Dominico, pomeridiano tempore, captato ex amænitate cæli consilio nauem conscendunt, vt in Pado Italiæ flumine lusitabundi reliquum diem exigerent: dum id agunt, dixit alter alteri, *Quin in hoc otio Sodalitatis pensum persoluimus, & B. V. horarias preces legimus?* respondit alter Leges Sodalitij non obligare sub peccato, & sibi iam precandi animum non esse. Orat ergo vnus; negligit alter: qui mox in atroci discrimine ab irritatâ

Quomodo leges obligent.

Dei matre etiam negligitur. ortâ enim nescio vnde tempestate, & cælo in turbinem verso, ecce nauis agi toto flumine, concuti, impingi, demergi, ambo in flumen excuti, ambo MARIAM inclamare: adest illa pulcherrima specie ei, qui preces legerat, & prehensâ manu periculo eripit: ad alterum verò simile subsidium implorantem conuersa, toruéque contuita: *Iam*, inquit, *non obligabaris me colere: nec ego obligor te morte eximere.* Et cum hoc amarulento scommate miserum iam cum morte luctantem deseruit. Atque istud est, quod principio capitis monui, tametsi leges Sodalitatis neglectæ piaculo non sint, tamen grauia inde damna existere, quæ Deus bonus auertisset, si liberalius Deiparæ seruire voluissemus. Tuti sunt Sodales sub Pallio tam potentis Virginis: sed si legum perruptione inde se eximant, latus nudum quibusuis malis obuertunt.

VI. Felicius alter punitus est, & ad

ad frugem correctus locum itidem prudens prætermitto, de fide narrationis certus. Vir fuit in Academia quadam Germaniæ inferioris excultus literis, qui Virginem quidem Dei matrem habuerat aliquando in delicijs, dum virtutem coleret ardentius. Deinde vero remittente sese illo ardore, cùm iam liberius viuendi genus sectaretur, nec ita placebat ipsi Virgo, nec ipse Virgini. Hic recreandi animi causa æstiuo tempore vrbe excessit; & cum nonnihil fecisset itineris sopore nolens volens opprimitur, per somnum terrificam vocem inaudijt, dicentem sibi, *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis,* qua voce perterritus ad B. Virginis, quam coram sibi intueri videbatur, opem confugit. At illa vultum auertit. intonuit denuo vox eandem repetens sententiam, hæcq; subijciens, *Putasne quod ero similis tibi?* quid faciat in hoc cominationum æstu miserrimus? sudat, pallet, exalbescit, quo se vertat, quem diuorum appel- CIↃ. IↃ XCIII.

 let

let ignoret. Cum adolescens, qui ipsi ad latus adesse videbatur digito Virginem, ad quam accederet ostendit: accurrit ille, ad pedes accidit, prouoluitur, sed longius Virgo recedit. Hic tandem excusso somno. Ecce tibi noua perturbatio, in medio nemore & locis maximè auijs sese deprehendit, & vbi terrarum agat prorsus ignorat; ægrè tandem perrumpit, ac admonitus à Rustico in viam & domum redit. ac morbo post paulo tactus lectulo affigitur, hic denique multis precibus lachrimisque cum Virgine redit in gratiam ac ab ea per quietem iacens inuisitur, vitæ deinceps instituendæ rationes accipit, quas & præstitit.

Sodales in conuẽtibus frequenter fouentur à B. Virgine. Eodem anno.

VII. Addam de neglectu conuentuum vnum adhuc, vt eò certius innotescat omnibus, absentiam illam B. Virgini plus displicere, quam multi passim æstiment. Eadem in vrbe alius Aduocatus annum penè totum statos cœtus obire prætermiserat, satis à se officij præstitum ratus, si quo-

quotidie B. Virginem certa prece salutaret. Nocte quiescenti repente species est obiecta Deiparæ multo lumine circumfusæ, quæ fouere blãditijs cæteram Sodalium multitudinem videretur, seipsum autem præ pudore cunctantem auersaretur; vicit tandem studium adeundæ Virginis, à qua benignè in spē futuræ probitatis acceptus, non diu distulit, quin ad Sodalitatem frequenter se referret. *Vbi duo tréſue in Christi nomine congregati forent, ille se medium fore pollicitus est*, & in tanto consessu abesse quisquam credat? enimuerò adest, magno præsentium bono, quo absentes priuantur. Notum est quantum obfuerit Thomæ *cum cæteris non fuisse*. Ita omnino Sodalis maius detrimentum absentiâ suâ facit, quam æstimare possit. *Matt.* 18. *Ioan.* 20.

VIII. Omnino à Sodalitate se auellere ob pœnitentiam iniunctam, Sassaritanus in Sardinia Sodalis volebat. Gerebat tum fortè inimicitias cum alijs; qui cùm viginti ipsos dies CIↃ. IↃC.

eum quæsiuissent ad cædem, tandem eo ipso die, quo animum non redeundi ad Congregationem ceperat, in eorum manus incidit, graueque in facie vulnus accepit: resipuit eo malo, vindictamq; mali animi agnouit.

CIↃ. IↃCIX. IX. Vt hi resipuerunt icti; ita alius melius vitam finit, quàm forsitan egerit. Auenione quidam inter iocandum, vt ferè fit, leuissima offensione inimicitias cum altero tam graues suscepit, vt illum nefariorũ quorundam commissione & hortatibus ad pugnam singularem prouocaret. A quo incepto nec Sacerdotis nec vrbani Prætoris auctoritate absterreri potuit, fato suo ad necem raptus. *Duellatore caso pœnitenti vita propagatur.* Erumpit itaque ex vrbe, seseq; duello sistit. Inter petitiones misero præcordia ferro traijciuntur, vt ne momento quidem superstes futurus crederetur etiam Medicorum opinione. Redit tamen ad se iterum, oculos extrema in morte attollit, præsentemq; Patronæ opem sentit inducijs septem dierum impetratis, quas dolori ac pœ-

pœnitentiæ ſedulo conſecrauit. Et quod cincinnatos iuuabit, criſpabat hic crines cirroſque ex arte turbinatos ſurrigebat, quos nec deponere, nec verò imminuere vnquam volebat: euictus tandem præſenti caſu, cæſariem reſectam vltro non abſque ſuſpirijs Sacerdoti in manus tradidit; adeoque vitam ipſam magno ſenſu pietatis religioſiſſimè clauſit. poterat hoc inter beneficia numerari, ſi melius principium habuiſſet.

X. Conſuetas preces quidam Iaroslauiæ dicere die vno omiſerat minoribus ſtudijs occupatus. Ipſo illo die glande plūbea traiectus eſt: quod ei cruciatus peracres præſertim in oſſium exemptione peperit. Quorum tamen primò lenimen; mox leuationem integram ſenſit, cum B. Staniſlaum in vota aduocauit.

Preces omittens globo traijcitur.

CIↃ. IↃCVI.

XI. Pultouienſis Sodalis die Aſſumptæ Virginis negotiorum quorundam expediendorum cauſa equo profectus rem diuinam audire ſacroque epulo accumbere neglexerat.

Communionem & ſacrū negligēs.

CIↃ. IↃCX. Paullulum progressus quasi quodam fulmine ictus repente prosternitur, grauique adeò casu affligitur, vt mortuo similis & à mente non minus, quam equo deiectus, sex integris horis humi aquis pluuijs propè obrutus iacuerit, equo cum sarcinis fugâ dilapso. Longo post interuallo ad se rediens, de rerum suarum iactura equique fuga vehementer angi cæpit. Subijt interea mentem damni causa, geminæ legis violatio. veniam itaque clementem Patronam orat, & præproperam festinationem seriò damnat. Quod dum facit, curriculo ad hospitium, quo se ille contulerat, redit equus sarcinis & ephippio leuatus: *quasi diceret*, inquit Auctor, *se fugisse, vt equitem suum omissi officij cōmonefaceret, rediisse, vt exoratæ Virginis misericordiam demonstraret; sarcinam & pecuniam perdidisse, ne diuina quisquam sacris diebus impunè se neglecturum speraret.*

Terrori. ad XII. Veternum quorundam intentata pericula excussère. Ex Agrigen-

gentinis quidam Sodalibus in dies *officium*
præcipiti negligentia deterior fiebat *redeunt.*
magiſque ac magis à legum præſcri- *Eodem.*
pto exerrabat. Hic hac ratione in rectum tramitem reductus eſt. Adierat fortè neſcio quid moliens aut animo ſecum agitans honeſtæ matronæ ædes: maritus mœchum ſibi paratum arbitratus, vehementi ira incenſus, vt erat veruto obarmatus, cœpit petere hominem, fugientemque inſectari. Iamq; reducta dextera tranſfixurus erat miſerum, cum ille ſupplex B. Virginem implorat opemque rogat: nec fruſtra: ictus toto impetu illatus per veſtes abijt, leuiterque cute perſtricta, quaſi in adamantinum thoracem incidiſſet, elanguit. Quo ille beneficio Virginis excitatus omni poſt id obſequio eandem venerari ſtuduit.

XIII. Auenione ſpectrorũ ſom- CIↃ.IↃ
niorumq; terroribus ad propoſitum LXXXIX.
Congregationis petendæ reuocatus quidam perhibetur.

XIV. Claudam caput hoc dua- *Eodem.*
bus

bus memorandis historijs, quæque multorum Iuuenum animos non tantum ad Sodalitij amorem impellere, sed à fœminarum & prauorum familiaritate longe abstrahere iure debeant. Iuuenis Sodalitatem Genuensem aliquandiu celebrauerat, sacraque mysteria frequenter pièque adierat. Is deinde cum ex imprudenti oculorum coniectu diligere cæpisset mulierem, paulatim de veteri studio remittere, diuinorum obliuisci, fomentis noxijs vsque & vsque ignes Cyprios alere: denique ita effusè in illam exarsit, vt occupatus in alio, diuinum omnino excluserit. Neque enim Deus Venusque eodem pectore hospitari possunt. Et mittebantur vltrò citròque munera & furtiuæ literæ per interpretes accipiebantur. Trimestre hoc spaciũ fuit: post quod graui corporis morbo æger decubuit. Tormina erant peracerba, erodente seipsum stomacho, & supplicia sibi gignente: mirum sanè quam immundas sordes, & varias ante ora assiden-

Quam perniciosa sit fœminarũ consuetudo.

Vide quid muliebribus donis boni insit.

ſidentium euomuerit: muliebres crines, ouium villos, linum, bombycẽ, crinales acus & ſutorias, vnguium ſegmina, oſſium & ferramentorum fragmina non paruo numero, vna cum ſanguine. mirati omnes, qua colluuies illa parte locum habuerit, quodque ſpiritum non intercluſerit eiecta. Accitus è Societate pater, hominem adhuc vomere non ceſſantem hortatur, ne ſe amplius teneri peſtifero amore patiatur: exhiberet ergo, ſi qua eſſent, ab amica munuſcula. Quærit deinde num quæ eſſent ab ea literæ: acceptas ille fatebatur, ſed dein laceratas fuiſſe. cum fidem non faceret, admonet Pater familiares, vt diligenter exquirant arculam, in quam abdere ſolebat res chariſſimas, & quicquid eſt amatorium tollant: cum hoc dicto diſceſſit. Ea res cum ægroto occultæ ſono vocis innotuiſſet, arculæ clauem horrendis clamoribus ſibi dari poſtulat, & acceptam coniectamque in os, eadem voce admonente, ſtatim deglutijſſet,

nisi adstantium accursu prohibitus fuisset. Igitur puluino supponit. Ipse emotæ ferè mentis oculorum vsum tantisper amittit. Instat mater, vt doctus malo, Sacerdotis imperium facessat, reddat clauem capsulæ aperiendæ. Eam cum manu quærens non inueniret, furto ablatam credidit; hoc magis vociferari & furore accendi: nec tamen toto lectulo diligenter excusso reperta est. Vi tandem ferroque arcula cum esset reserata, binæ literæ Veneris inuentæ, Vulcanoque traditæ sunt. Nec mora: restitutus iuueni sensus videndi, & diu multumque clauis frustra quæsita, apparuit ante oculos mirantis exposita. Melius interim ipse habere & animo & corpore; & quicquid amentia deliquit, pœnitentia correxit. *Timeo Danaos & dona ferentes*, ait apud Maronem quidam. Sed nulla peræquè dona timenda ac muliebria. Primo fœminæ dono, omnes adhuc morimur. Nemo fidat inter tot fraudes. Morbi incogniti nullaque

Vis epistolarum amatoriarum.

Æneі. 2.

Genes. 3.

laque Machaonis arte curandi florentes sæpè adoleſcentes abſumpſere, dolore omnium atque admiratione, vnde malum illos inuaſerit. Quid cauſas quærimus ? quod modo hic memoratum, & quod ſuperiore libro allatum eſt, quorumque ſimilia quam plurima afferri poſſent, cauſam in aperto ponunt, modo tam facile vitare velimus, quàm ea cito cognita eſt. c. 8. §. 24.

XV. Quod ſequitur à prauis ſocijs abſiſtendum eſſe monet. Rem apud Ingolſtadienſes geſtā vt ab alijs perſcripta eſt, referam. *Adoleſcēs nobilis Sodalibus B. Virginis adſcriptus, cū ætatis lubricæ ſpacia inoffenſo pede aliquādiu feliciter decurriſſet, iniectâ ſenſim animo rerum illecebra, habenas paulatim cœpit cupiditatib⁹ remittere. Inde prauorum incitamentis ablatus libertoris vitæ curſum iniit. Eo vſq; cōſuetudine malorū prouectus eſt, vt quæ antea magna veneratione coleret pietatis ſtudia, ea demū riſui contēptuiq; haberet, nec quicquam illi magis cor-* *Prauorū ſociorum familiaritas noxia.* CIϽ.IϽ XCVI. *Principium ruina.*

di

di esset, quam vt per summam lasciuiam compotationibus ac pergræcationibus tempus consumeret, iisque genialiter indulgeret, quæ illi vitæ comitari solent, & vt miser humanæ prauitatis venenum altius imbiberet, in aliorum Sodalium genio deditorum familiaritatem se penitus immersit. Hi ad cæteram lasciuientis ætatis licentiam, etiã illud addiderunt, vt ardentibus tædis aut sarmentis accensis, tanquam Orestem Furiæ modò hunc, modò illum ex suo numero, ex improuiso adorirentur, flammis circumsisterent, corpus amburerent, ni properè cœnam expediret. Cumque multos furiosa illa alea in orbem percurrisset, die qui Purificatæ Virginis festum insequitur, hunc miserum nihil minus cogitantem ebriosa illa turba tædatorum derepente opprimit, homini flammas admouet, cœnam exigit. paratur: expediuntur pocula, potatur in multam noctem. Postquam poculis indultum est satis, onusti vino ad suos quisque lares reuertuntur. Hic in suum se recipit cubiculũ & vt quieti se

Hinc Brẽneri dicti, id est, Incendiarij.

se daret, vestes detrahit ad linteum indusium: inde vino somnoque victus, vt erat seminudus, in mensam, quæ posita erat in cubiculo, dormitabundus se acclinat, innixus cubito. Interim misero alto somno presso, ardens candela casu admota indusium inflammat, idque peruadit totum non sentienti. Concepta flamma expergiscitur tandem seminustulatus. Exclamat amens, horrendis vocibus familiam cõciet. Cumque se flammis exuere non posset, humi prouoluit, si fortè pressu corporis flammas opprimeret. Nihil proficitur. Flãma iam valida magis sæuiebat; accurrunt familiares, miserum adolescentem, quas frustrà male vitarat ante cœnam, post cœnam flammis vident absumi: perculsi pauore, periculo tamen aud iciam faciente, licet seram, aliquam tamen opem ferunt, pertinacesque flammas, qua possunt ratione restinguunt consumpta sindone, cute corporis iam penitus ambusta. Et est quidem ille præsenti periculo ereptus; sed incendij vis tam altè visceribus insederat,

Lamentabilis clades vitam solutam sequitur.

rat,

rat, vt nullis remediis coërceri potuerit, quo minus assata cutis tabes intus serpens, acerbissimo ipsius cum cruciatu etiam vitalia depasceret. Itaq; octauo die, eadem pene hora, qua in eandẽ calamitatem inciderat, consumptus est. Sed ne ea quidem vitæ licentia, totque ac tantis offensionibus Sanctissima Mater irritata, eum qui se aliquando in suam tradiderat clientelam, deseruit. Tanti refert prima ætatis initia illius sanctissimo cultui addicere. Quin tam acerbo oppressum casu alumnum suum quondam sibi charum, licet in præsens astu quodam abductum, ita sua luce collustrauit, vt ille ad se rediens, eam se calamitatem solutissimæ, quam duxerat, vitæ castigandæ diuinitus immissam fateretur. Ita summã dolorum acerbitatem, quibus vndique membra omnia continuò vrebantur, magna significatione pietatis, non patienti solum & æquo animo, sed etiam libenti pertulit, & cum in rebus omnibus toto illo tempore, tum maximè cum ad sacramenta percipienda se pararet

Igniculi pietatis in cinere sopiti iuuant ad flammã excitandam.

B. Virgo quondã suos non penitus deserit.

raret magna signa dedit pietatis. Cō-mentarij eiusdem Sodalitatis duo ad-dunt: primum eum à Sodalitate non omnino recessisse, sed officia illius negligenter coluisse: alterū Sodales priuatis precibus quidē mortuo ad-fuisse; publicis tamen consuetisque honoribus partheniorum defunctorum proprijs, funus prosecutos non fuisse. Quod posterius Sodalium fa-ctum me alterius admonuit, quod in ipsis illis commentarijs legi. Vixerat quidam in Sodalitate alibi atq; inde huc commigrarat: sed liberius viuen-di vt potestas esset, hic nomen dare neglexit, dum ex immoderata pota-tione, vt multi credebant, apostema in pulmonibus insanabile coalesce-ret. Tum verò morti vicinus cæpit desidiam suam detestari, obnixè ro-gare, vt vel vita functus iterum ad-mitteretur. Ac receptus est ille qui-dem, sed funebria iusta ei persoluta nequaquam sunt: Ne Sodalitas ne-gligentiæ patrocinari videretur. De desertoribus porro nunc agendū est.

Seuera Sodaliū contra lurcones sententia

CIↃ.IↃC.

Ingolsta-dienses funera negligen-tium non procu-rant.

CAPVT

CAPVT III.

DESERTORES

Sodalitij pœnis mulctantur.

DEſertores in omni honeſta Societate inuiſi ſunt, & odio digniſſimi. Ideo quoque à ſacris Sodalitijs profugi, grauibus à Deo pœnis damniſque mulctati fuerunt. Exempla hæc habe: ne tu fias, in tua poteſtate eſt.

Grauibus morbis affliguntur. I. A domeſticis ordior. Ingolſtadij exceſſerat è Sodalitio vnus aliquis: hic dum equo iter facit, excuſſus tam graui caſu humi afflictus eſt, vt vix trieñij ſpatio luxatos artus an-
CIↃ.IↃXCIV. tiquum in ſitum reſtitui poſſe medici confirmarent. ſenſit illico miſer inde poſtulandam opem, vnde mali origo fluxerat. Spondet ad Sodalitatem reditum, & opinione omnium celerius conualeſcit.

CIↃ.IↃCV. II. Neapoli quidam olim Sodalitij Conceptæ Virginis miles, deinde transfuga, cum diris crurum dolori-

bus

bus vexaretur, ac prope totum pharmacopolæ penum exhausisset, irritâ impensa, tandem meliora concipiens animo vouit se ita rediturum, vt nulla deinceps vi auelli velit. Redit; & inter hebdomadæ spacium perfectè curatur; causa mali penitus exhausta. Quod Lemouicis accidisse quoque memoratur. CIↃ.IↃCX. *Vulnerâtur.*

III. Desciuerat à Recinetensi Sodalitio adolescens, cum simul patrocinio Deiparæ se exemit; nam paulo post lethali vulnere cæsus, id à Virginis benignitate boni adhuc impetrauit, vt & culpam agnosceret damni originem, & vitæ totius exomologesi animum expiaret & iuxta exhalaret. CIↃ.IↃXCVII

IV. Romæ Calendis Maijs ad Sodalium cœtum vocatus quidam, detrectauit. Is circa horam Vesperarũ, dum se rixantium turbæ parum caute immiscet, interimitur. Paruisset Sodalium vocibus, periculum vitasset. Auenione simile quid à Sodalitate ob contumacem animum exclu- *Merguntur.* CIↃ.IↃXCIV. CIↃ.IↃCII.

cluso euenit: dum enim litem dirimit, ipse hostia succidanea cecidit.

Plumbo traijciuntur. V. Cracouia quoque lamentabile spectaculum adspexit duorum iuuenum, qui à Congregatione desciscentes liberiori vitæ animum applicauerant. Vterque enim nescio quo tumultu excitato miserè occubuit. Et alter quidem annorum octodecim glande traiectus sine vllis pœnitentiæ signis repente animam amisit. Alter annorum duorum & viginti, aliquoties saltem intra annum cum Sodalibus Sacramenta obire solitus, & ante hunc casum de seria vitæ emendatione sollicitus, id videtur à Deipara, Diuisque Tutelaribus impetrasse gratiæ, vt vocato ad se Sodalitatis Præside anteactam vitam palam detestaretur, sacrisque omnibus præmunitus è vita discederet.

CIↃ. IↃCIX. VI. Louaniensium Sodalium desertor, eorundem tùm honestis moribus tùm colloquijs velut classico quodam ad aciem identidem reuo-

cabatur: at ille diem ex die trahebat, dum subito supremus imparatum occupauit. Inter aliquos enim rixa exorta, inopinato plumbea glande transuerberatus, emota subito mente, nullo doloris indicio, bruti instar parum sobrius miserè expirauit.

VII. Hic calore, alius frigore perijt. Nam Lemouicis ex Sodalium Parthenianorum albo quidam sua culpa expunctus, dum Burdigalam aliquanto post contendit, ipsa sacratissima nocte, quæ Christo Domino natalis est, in silua tenebris oppressus, frigore cœlique iniurijs obrutus, solus ac desertus moritur. Vt in hos profugos cælum, ignis & aqua conjurasse videantur. Certe ignis alium quendam Vesontione malè accepit, cum domum illius integram absumpsit, duabus Sodalium ædibus iuxta positis sine noxa relictis.

Frigoribus obrigescunt. CIↃ. IↃCX.

Ædes illorum igne absumuntur. CIↃ. IↃCIII.

VIII. Neque aëris clementia vti licuit eiusmodi hominibus. Nam in Congregatione Tropæana prouinciæ Neapolitanæ quidã Sodalitij

Supplicio extremo afficiuntur.

CIↃ. IↃCX. litij transfuga, cum gregales sibi adsciuisset grassatores & sicarios, à lictoribus in eo comitatu deprehensus, suspẽdio defectionem suam luit.

CIↃ.IↃC VII. IX. Simili fato Moguntiæ alius quidam occubuit. Erat adolescens ille magnis à natura dotibus ornatus, diuque in Sodalitate vixerat. Sed postea disciplina omni abiecta præceps in vitia actus grandi se furto alligarat. Hic vinculis attentus nihil æqui ad aures animumque admisit, quamdiu veniæ impetrandæ spes affulsit. sed vbi de vita producenda conclamatum, & ferali trabe scelus expiandum cognouit, ibi verò serio se respexit, intimoque pœnitentiæ sensu permoueri cœpit; vt illustre omnibus documentum fuerit. Cum duceretur, in oculis effusæ multitudinis ad spectaculum florentissimi totaq; vrbe notissimi adolescentis coram imagine Virginis Matris promissum olim ei honorem cultumque multis cum lacrymis restaurat. Quo ex tempore, velut in desertæ prius matris

Noua Renouatio.

gra-

gratiam restitutus, tanta animi æquitate doloreque de anteacta vita, ad supplicium properauit, vt perfusus lacrymis rogaret Deum, vt si is dolor satis non esset, augeret porro, & exacueret: in ipso vero ferali loco perinde se lætitia compleri diceret, ac si vita ibi sua minime ageretur. Tanto infortunio indignus adolescens, si aliter bonus esse potuisset.

X. Non multo felicior sors fuit Placentini cuiusdam quondam Sodalis. Hic diuinis igniculis accensus animum adiecerat ad Societatem; eaque apud omnes erat virtutis opinione, vt Mariana Præfectura ei commissa optimeque ab illo administrata fuerit. Vt tamen lubrica adolescẽtum sunt ingenia, primùm à Congregatione se abduci passus est, tum à Religione ac demum de pietate omni cogitationem omnem abiecit. Quodque in hoc hominum genere primum est, mulierculæ amore miserrimè irretitus insanis eam modis deperibat. Euenit forte, vt ob eius

Casu se ipsos è medio tollunt.
CIƆ. IƆ XCVIII.

X fo-

fores ambularet atque in alium adolescentem, qui tum alia omnia agitans animo casu ibi constiterat, incideret. Exarsit protinus miser, riualemq; sibi ante oculos obuersari ratus, immane quantum insanijt. *Adolescens*, inquit, *edico tibi, vt quamprimum hac te regione educas, neque in hac te platea post vnquam conspicer, nisi magno malo affici peßimeque tractari velis. Nolo enim cum mea quicquam tibi negotij intercedat.* Excusabat alter, sibi illac iter fuisse, eiusné ibi soror aut alia habitaret, nescire, neque adeo curare. Hæc ille alio accipiebat, ac dicebantur, gladioque stricto in fugam compulit. Verùm hic dum fugit, reuocato animo, præter spem perturbato, ensem & ipse distringit, vt vim vi pellat, fugæque notam eluat iamque in instantem obuersus pede fallente corruit supinus, gladio ante se elato; in quem furore excæcatus miser amator irruit ignarus, seque ipsum alieno ferro transfigit; atque paulò post vita discedit,

cedit. Hoc vno felix, quod ante mortem confessione animum expiare licuerit: quæ tam bona felicitas multis alijs negata est.

XI. Certè infaustam eam ego mortem iudico, qua Biterrensis defunctus est. Hic è Sodalitio virtutis palæstra egressus simul à Christiano officio in voluptatis viam se coniecerat. Sed non diu in delicijs esse licuit infelici. Nam morbo graui correptus extinctusque est. Ac permisit Deus Vindex, vt aliquot ante mortem dies obsurdesceret, nec adstantes de rebus ad pie obeundum spectantibus adhortantes audiret, qui sæpè Dei suorumque seruorum monita contempsisset.

Morituri obsurdescunt. CIↃ. IↃ CVII.

XII. Hinc alius Louanij, ne infelici fato extingueretur Sodalitatem sibi repetendam esse iudicauit. Cum enim à Parthenijs ad socios moresque improbos defecisset, præceps abire decreuerat in omne nefas. Noluit infelicem perire bonus Deus. Subito correptus morbo, quasi

Malè moriturus, nisi redeat. CIↃ. IↃ CIV.

à Numine monitus, sensit sibi moriendum esse: tum verò gemere, tum dolere. Quid multa? negauit se vel confiteri peccata, vel benè beatéque mori posse, nisi à toto Sodalitio petita submissè veniâ nomen suum tabulæ redderetur; vnde paulò ante fuerat expunctum. Factum id quidem; sed propè serius ad confessionem ventum est. Febris calore suo cerebrum occupauerat, rationemq; euerterat. Desperantibus itaque Medicis Sodales ad vota precesque cōfugere: quibus lux tanta menti impetrata est, vt æger toto vitæ cursu, nunquam animo perspicaciore ad sui scelerumque suorum notitiam fuisse videretur. Illud inter alia maximè angebat ægrum, quod à Sodalitate, itemque ab Exercitationibus B. P. Ignatij, quibus fuerat eruditus, ad vomitum redisset; nihilque repetebat frequentius, quàm vnam hanc ingrati animi notam omnium sibi malorum causam extitisse. Alia quædam attingit, P. Franciscus Veron.

XIII. Vn-

XIII. Vnde totis cuique viribus enitendum est, ne vnquam inde excidat; aut si quo infortunio ruit, vt eò redire quam primum liceat. Ad quod Deus viso horribili obiecto quendam permouit. Nam à cætu Barolitano prouinciæ Neapolitanæ quidã proscriptus ob fastidiosam legum negligentiam: fortè iter nocte instituerat, & nescio qua indignatione, impia verba in Deum dixerat, cum ecce tibi repente bellua immanis atque deformis conspectui illius sese offert, atque oris hiatu, captoque irruentis in morem impetu laniare improbi artus minitabatur. Quid faceret infelix præda? subijt mentem B. Virginis neglectus cultus, simulque pœnitentia: vota itaque noua facere, redeundiq; ad Sodalitatem animum concipere instituit. Qua facta animi deliberatione periculum citò discussum horrendumque id spectrum, quod fugientem ad mille passus sequebatur, à trepidantis conspectu se abripuit. Ille tam salubris propositi me-

In Manuali Sodal. c. 1. p. 1. §. 4.

Spectro obiecto ad Sodalitatem reducuntur.

CIↃ. IↃCX.

memor vitam omnem à pueritia relegit, Sacerdotique exposuit, ac Sodalibus redditus frugi esse cœpit.

XIV. Simile quid cuidam alteri desertori accidit. Rem ex alijs cognitam, grauis quidam Sacerdos ad me perscripsit. Ne in notitiam quis personæ deueniat, locum historiæ prætermitto, annum signare contentus. sic autem ille memorat: Adolescens quispiam vitę paulo liberioris ob neglectas Sodalitij Leges, post tertiam & quartam admonitionẽ expunctus est è Sodalium numero. Abierant ab eiectione menses aliquot, illeque simul in peiores abibat mores, & non pedetentim, sed per saltus, & magnis itineribus properabat ad inferos. Quadam nocte, dum continuis infestatur somnijs, vt sunt semper turbulentæ malorum Conscientiæ, nec adultâ iam nocte, quietis partem aliquam capere posset (hæc aiunt euenisse circa ferias Corporis Christi) proripit sese è lectulo circa horam secundam matutinam, ac vt fasti-

CIↃ. IↃ CXIII.

dium

dium illud mentis, tumultusque lancinantis Conſcientiæ infringeret, cœpit aberrationem animi in lectione neſcio cuius fæculẽti Libelli quæritare: dum legit: ecce tibi fragore ingenti cubiculi oſtium concuti, recludi, intrare exinde Gigantea mulier horrido vultu, hiſpidoque habitu, manibus, pedibusque in vngues deſinentibus, furiarum aliquam crederes: Hiare, tremere adoleſcens, ac imo ſe angulo in cumulum colligere, inuocare cælites, ac Mariam nominatim inclamare. Hic mulier, Dæmonem loqui putato; *Fruſtrà*, inquit, *es, fruſtrà eam appellas, à quâ vbi Sodalitium deſeruiſti, viciſſim deſertus es, meaque poteſtati concreditus: Meminiſtin hæc & illa ſcelera toties & toties à te perpetrata, neglecta Sacramenta, &c.* Iuitque longo ordine per omnia adoleſcentis flagitia etiam occultiſſima, eiuſq; conſpectui vniuerſa ſimul obtruſit, addens hoc Epiphonema. *Itaq; ob hæc & ſimilia*

demerita mihi traditus es, iam iam ad inferos rapiendus: & his dictis exſertabat vngues infelix monſtrum impacturum illos in miſerum. Cum tandem adoleſcens metu exanimis & ſudore diffluens ad Orationem Sodalitatis tanquam ad vltimam anchoram confugit, & magnâ voce inclamat. SANCTA MARIA *Mater* DEI *& Virgo, ego te hodie, &c.* Vix orationem finierat, cum extemplò aperitur cubiculi feneſtra, intratque hac honeſta matrona velata (neque enim dignus erat adoleſcens Marianæ pulchritudinis aſpectu) iuſſoque monſtro faceſſere ac arreptâ adoleſcentis dexterâ: *Bono*, inquit, *animo eſto: propiùs equidem abfuiſti à periculo, ſed vade, confide, confitere, redde te Sodalitati, meliorem poſthac vitam inſtitue.* Ille ad Collegium aduolat, & quartâ matutinâ, tumultuanter ære campano pulſato Ianitorem per omnes cælites obteſtatur, Directorem Sodalitatis aduocet: venit ille, & cum videret adoleſcentem etiam-

num

num toto corpore contremiſcere, atque adeo pallore deformatum, vt è ſepulchro recens egredi crederes, facilè & fidē habuit dictis, & in Sodalitium admiſit, ſed & grauis odor in cubiculo relictus, & impacta atque impreſſa in fronte camini & ligno tranſuerſo, à mōſtro per ſpiraculum abeunte luculenta vnguium veſtigia dubitationem facilè omnem eximebant.

X V. Alium B. Virgo ad Sodalitatis repetitionem impulit. Nam cum à Sodalitio Aletino ſe abrupiſſet, atque inter flagitia volutaretur, in ſomnis Æthiopem fœdiſſimum in aula homines in fruſta cædentem conſpexit. Quo aſpectu perterritus, ac quid conſilij caperet incertus, videt Mulierem formoſiſſimam, à cuius ore tantum gratiæ ſplendoriſque profluebat, vt Dei Matrem facilè agnoſceret. Hæc ad adoleſcentem conuerſa: *Iam mox*, inquit, *cruentas Æthiopis manus ſenties, niſi ad priſtinum vitæ genus redieris.* Diſcuſſo ſo-

B. Virgo reditum ſuadet. CIↃ. IↃCI.

mno cum diu anceps flagrantiſſimis precibus à Virgine expoſceret, vt viam præmonſtraret, quà eundum eſſet: inter orandum mulier niueò amictu fulgens eius ſeſe oculis offert, eumque Sodalitium repetere iubet, ſi vellet imminens periculum effugere: quod ille properè executus eſt.

Quantū malum ſit Sodalitatem deſerere.

XVI. De deſertoribus hæc memorare habui orbique oſtendere, vt defectionem miſeri ſuam luerint. Quanquam abſque his pœnis foret; ſatis ego arbitrer magnam pœnam, à Sodalitate vel excludi vel abire. Eſt enim id nuncium remittere ſingulari B. Virginis patrocinio: à Matris illius gremio reijci aut reſilire: Retractare illud: *Ego te hodie in Dominam, Patronam & Aduocatam eligo, firmiterque ſtatuo me* NVNQVAM *te derelicturum:* Nolle dictum: *Obſecro te igitur, ſuſcipe me in ſeruum perpetuum, adeſto mihi in actionibus omnibus meis, nec me deſeras in hora mortis.* Hæccine ubi quibuslis pœnis maiora nō vi-

videntur? Grauis omnino collisio, ista è talis Matris gremio ruina: dum hosti ad omnem expugnationem opportuni fiunt. Ac quod Religionis cuiusdam desertor, cum infami supplicio afficiendus duceretur, dixisse fertur, se cum religiosam vestem exuit, visum sibi esse simul Christum exuisse, simulque peccatis omnibus ianuam patefecisse: id in hos plerunque conuenit, cum Sodalitate mores bonos exuunt atq; in flagitia præcipites abeunt. Et simile quid in animis eorum geri mihi videtur, quod cuidam Sodalitate moto accidit. Hunc Auenione sui mores censoria nota dignum apud Sodales sæpenumerò fecerant, nimiæque contumaciæ reum conuentu denique extruserunt. Eodem ipso tempore, quo nomen eius albo Sodalitatis eximebatur, in templo vbi tum versabatur, linquente animo, cadentibusque subito viribus sicuti exanimis corruit. Quo ex deliquio animi cum postea recrearetur, fa-

CIↃ. IↃCXIX.

ctumq; didicisset, interpretatus pœnam diuinitus inflictam, mutata vitæ ratione, multo ambitu veterem locum prensauit, Tironisque conditione iterum receptus est. Ita cùm alij Congregatione abeunt, eorum mihi animus vires suas perdere, virtutibusque destitui videtur. *Non desero,* inquiunt, MARIAM: *etiam extra Sodalitatis septa cultus Marianus viget: vestro more colere desinam, colam meo.* Primùm, iactare ista poterant, & certè dixerunt illi, quos punitos recensui; nemo enim tam effrons est, qui MARIÆ Virginis cultum deserere velle se dictitet. Deinde, me vide, non coles. Quid enim? dic quid causæ habes, cur exauctorari petas ab hoc seruitio, cui te *seruum perpetuum* addixeras? *Non vacat,* inquies; aut, *Nequeo porro perpeti vestra hæc: pro meo lubito viuere volo: Leges, & quicquid pium esse cogit, hostibus meis.* O te frigidum amatorem Deiparæ, si te hæc minimè molesta, vbique moribus recepta, Summorum Pontificum auctori-

Quorundam defensio: Refellitur.

Causa deserendi frigida.

ctoritate probata Sodalium officia abſterrent; ſi tibi hæc difficilia ſunt, vt noſtro more colere nolis; video quid facturus ſis, coles tuo more, id eſt, frigidè, & ſi lubuerit, ne coles quidem. Verùm denique, mi homo, finge ſanè Magnæ Virginis cultorem te futurum. O infortunate, neſcis quid boni amiſeris, qui Sodalitatem egreſſus es. Nam alias vt omittam miſerias, vnam hanc vide Infinitorum hominum, qui latiſſime, qua orbis totus patet, Sodalitati adſcripti ſunt, conſortio, communione innumerorum operum, ſuffragatorum copia inexplicabili te priuas. Cultorum Deus multitudinem &, ſi dicere licet, coniurationem virtutis amat, in qua cæterorum probitas vnius negligentiam compenſat; & nummulus meus in tanto theſauro numerum facit. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum, Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum.* Vnde quicquid in tot myriadas ho-

Inter multos B. Virginem colere plus boni habet.

Pſal. 132.

CIↃ. IↃCX. litij transfuga, cum gregales sibi adsciuisset grassatores & sicarios, à lictoribus in eo comitatu deprehensus, suspẽdio defectionem suam luit.

CIↃ.IↃC VII. IX. Simili fato Moguntiæ alius quidam occubuit. Erat adolescens ille magnis à natura dotibus ornatus, diuque in Sodalitate vixerat. Sed postea disciplina omni abiecta præceps in vitia actus grandi se furto alligarat. Hic vinculis attentus nihil æqui ad aures animumque admisit, quamdiu veniæ impetrandæ spes affulsit. sed vbi de vita producenda conclamatum, & ferali trabe scelus expiandum cognouit, ibi verò serio se respexit, intimoque pœnitentiæ sensu permoueri cœpit, vt illustre omnibus documentum fuerit. Cum duceretur, in oculis effusæ multitudinis ad spectaculum florentissimi totaq; vrbe notissimi adolescentis coram imagine Virginis Matris promissum olim ei honorem cultumque multis cum lacrymis restaurat. Quo ex tempore, velut in desertæ prius matris

Noua Renouatio.

gra-

gratiam restitutus, tanta animi æquitate doloreque de anteacta vita, ad supplicium properauit, vt perfusus lacrymis rogaret Deum, vt si is dolor satis non esset, augeret porro, & exacueret: in ipso vero ferali loco perinde se lætitia compleri diceret, ac si vita ibi sua minime ageretur. Tanto infortunio indignus adolescens, si aliter bonus esse potuisset.

X. Non multo felicior sors fuit Placentini cuiusdam quondam Sodalis. Hic diuinis igniculis accensus animum adiecerat ad Societatem; eaque apud omnes erat virtutis opinione, vt Mariana Præfectura ei commissa optimeque ab illo administrata fuerit. Vt tamen lubrica adolescẽtum sunt ingenia, primùm à Congregatione se abduci passus est, tum à Religione ac demum de pietate omni cogitationem omnem abiecit. Quodque in hoc hominum genere primum est, mulierculæ amore miserrimè irretitus insanis eam modis deperibat. Euenit forte, vt ob eius

Casu se ipsos è medio tollunt. CIↃ.IↃ XCVIII.

fores ambularet atque in alium adolescentem, qui tum alia omnia agitans animo casu ibi constiterat, incideret. Exarsit protinus miser, riualemq; sibi ante oculos obuersari ratus, immane quantum insanijt. *Adolescens*, inquit, *edico tibi, vt quamprimum hac te regione educas, neque in hac te platea post vnquam conspicer, nisi magno malo affici pessimeque tractari velis. Nolo enim cum mea quicquam tibi negotij intercedat.* Excusabat alter, sibi illac iter fuisse, eiusné ibi soror aut alia habitaret, nescire, neque adeo curare. Hæc ille alio accipiebat, ac dicebantur, gladioque stricto in fugam compulit. Verùm hic dum fugit, reuocato animo, præter spem perturbato, ensem & ipse distringit, vt vim vi pellat, fugæque notam eluat iamque in instantem obuersus pede fallente corruit supinus, gladio ante se elato; in quem furore excæcatus miser amator irruit ignarus, seque ipsum alieno ferro transfigit; atque paulò post vita discedit,

cedit,

cedit. Hoc vno felix, quod ante mortem confessione animum expiare licuerit: quæ tam bona felicitas multis alijs negata est.

XI. Certè infaustam eam ego mortem iudico, qua Biterrensis defunctus est. Hic è Sodalitio virtutis palæstra egressus simul à Christiano officio in voluptatis viam se coniecerat. Sed non diu in delicijs esse licuit infelici. Nam morbo graui correptus extinctusque est. Ac permisit Deus Vindex, vt aliquot ante mortem dies obsurdesceret, nec adstantes de rebus ad pie obeundum spectantibus adhortantes audiret, qui sæpè Dei suorumque seruorum monita contempsisset. *Morituri obsurdescunt.* CIↃ. IↃ CVII.

XII. Hinc alius Louanij, ne infelici fato extingueretur Sodalitatem sibi repetendam esse iudicauit. Cum enim à Parthenijs ad socios moresque improbos defecisset, præceps abire decreuerat in omne nefas. Noluit infelicem perire bonus Deus. Subito correptus morbo, quasi *Malè morituros, nisi redeat.* CIↃ. IↃ CIV.

à Numine monitus, ſenſit ſibi moriendum eſſe: tum verò gemere, tum dolere. Quid multa? negauit ſe vel confiteri peccata, vel benè beateque mori poſſe, niſi à toto Sodalitio petita ſubmiſsè veniâ nomen ſuum tabulæ redderetur; vnde paulo antè fuerat expunctum. Factum id quidem; ſed propè ſerius ad confeſſionem ventum eſt. Febris calore ſuo cerebrum occupauerat, rationemq; euerterat. Deſperantibus itaque Medicis Sodales ad vota preceſque cõfugere: quibus lux tanta menti impetrata eſt, vt æger toto vitæ curſu, nunquam animo perſpicaciore ad ſui ſcelerumque ſuorum notitiam fuiſſe videretur. Illud inter alia maximè angebat ægrum, quod à Sodalitate, itemque ab Exercitationibus B. P. Ignatij, quibus fuerat eruditus, ad vomitum rediſſet; nihilque repetebat frequentius, quàm vnam hanc ingrati animi notam omnium ſibi malorum cauſam extitiſſe. Alia quædam attingit, P. Franciſcus Veron.

XIII. Vn-

XIII. Vnde totis cuique viribus enitendum est, ne vnquam inde excidat; aut si quo infortunio ruit, vt eò redire quam primum liceat. Ad quod Deus viso horribili obiecto quendam permouit. Nam à cætu Barolitano prouinciæ Neapolitanæ quidã proscriptus ob fastidiosam legum negligentiam: fortè iter nocte instituerat, & nescio qua indignatione, impia verba in Deum dixerat, cum ecce tibi repente bellua immanis atque deformis conspectui illius sese offert, atque oris hiatu, captoque irruentis in morem impetu laniare improbi artus minitabatur. Quid faceret infelix præda? subijt mentem B. Virginis neglectus cultus, simulque pœnitentia: vota itaque noua facere, redeundiq; ad Sodalitatem animum concipere instituit. Qua facta animi deliberatione periculum citò discussum horrendumque id spectrum, quod fugientem ad mille passus sequebatur, à trepidantis conspectu se abripuit. Ille tam salubris propositi me-

In Manuali Sodal. c. 1. p. 1. §. 4.

Spectro obiecto ad Sodalitatem reducuntur.

CIↃ. IↃCX.

memor vitam omnem à pueritia relegit, Sacerdotique exposuit, ac Sodalibus redditus frugi esse cœpit.

XIV. Simile quid cuidam alteri desertori accidit. Rem ex alijs cognitam, grauis quidam Sacerdos ad me perscripsit. Ne in notitiam quis personæ deueniat, locum historiæ prætermitto, annum signare contentus.
CIↃ. IↃ CXIII. sic autem ille memorat: Adolescens quispiam vitę paulo liberioris ob neglectas Sodalitij Leges, post tertiam & quartam admonitionē expunctus est è Sodalium numero. Abierant ab eiectione menses aliquot, illeque simul in peiores abibat mores, & non pedetentim, sed per saltus, & magnis itineribus properabat ad inferos. Quadam nocte, dum continuis infestatur somnijs, vt sunt semper turbulentæ malorum Conscientiæ, nec adultâ iam nocte, quietis partem aliquam capere posset (hæc aiunt euenisse circa ferias Corporis Christi) proripit sese è lectulo circa horam secundam matutinam, ac vt fasti-
dium

dium illud mentis, tumultusque lancinantis Conſcientiæ infringeret, cœpit aberrationem animi in lectione neſcio cuius fæculẽti Libelli quæritare: dum legit: ecce tibi fragore ingenti cubiculi oſtium concuti, recludi, intrare exinde Gigantea mulier horrido vultu, hiſpidoque habitu, manibus, pedibusque in vngues deſinentibus, furiarum aliquam crederes: Hiare, tremere adoleſcens, ac imo ſe angulo in cumulum colligere, inuocare cælites, ac Mariam nominatim inclamare. Hic mulier, Dæmonem loqui putato; *Fruſtrà*, inquit, *es, fruſtrà eam appellas, à quâ vbi Sodalitium deſeruiſti, viciſsim deſertus es, meæque poteſtati concreditus: Meminiſtin' hæc & illa ſcelera toties & toties à te perpetrata, neglecta Sacramenta, &c.* Iuitque longo ordine per omnia adoleſcentis flagitia, etiam occultiſſima, eiuſq; conſpectui vniuerſa ſimul obtruſit, addens hoc Epiphonema. *Itaq; ob hæc & ſimilia*

demerita mihi traditus es, iam iam ad inferos rapiendus: & his dictis exſertabat vngues infelix monſtrum impacturum illos in miſerum. Cum tandem adoleſcens metu exanimis & ſudore diffluens ad Orationem Sodalitatis tanquam ad vltimam anchoram confugit, & magnâ voce inclamat. SANCTA MARIA *Mater* DEI *& Virgo, ego te hodie, &c.* Vix orationem finierat, cum extemplò aperitur cubiculi feneſtra, intratque hæc honeſta matrona velata (neque enim dignus erat adoleſcens Marianæ pulchritudinis aſpectu) iuſſoque monſtro faceſſere ac arreptâ adoleſcentis dexterâ: *Bono*, inquit, *animo eſto: propiùs equidem abfuiſti à periculo, ſed vade, confide, confitere, redde te Sodalitati, meliorem poſthac vitam inſtitue.* Ille ad Collegium aduolat, & quartâ matutinâ, tumultuanter ære campano pulſato Ianitorem per omnes cælites obteſtatur, Directorem Sodalitatis aduocet: venit ille, & cum videret adoleſcentem etiamnum

num toto corpore contremiscere, atque adeo pallore deformatum, vt è sepulchro recens egredi crederes, facilè & fidē habuit dictis, & in Sodalitium admisit, sed & grauis odor in cubiculo relictus, & impacta atque impressa in fronte camini & ligno transuerso, à mōstro per spiraculum abeunte luculenta vnguium vestigia dubitationem facilè omnem eximebant.

X V. Alium B. Virgo ad Sodalitatis repetitionem impulit. Nam cum à Sodalitio Aletino se abrupisset, atque inter flagitia volutaretur, in somnis Æthiopem fœdissimum in aula homines in frusta cædentem conspexit. Quo aspectu perterritus, ac quid consilij caperet incertus, videt Mulierem formosissimam, à cuius ore tantum gratiæ splendorisque profluebat, vt Dei Matrem facilè agnosceret. Hæc ad adolescentem conuersa: *Iam mox*, inquit, *cruentas Æthiopis manus senties, nisi ad pristinum vitæ genus redieris.* Discusso so-

B. Virgo reditum suadet.

CIↃ. IↃCI.

mno cum diu anceps flagrantissimis precibus à Virgine exposceret, vt viam præmonstraret, quà eundum esset: inter orandum mulier niueo amictu fulgens eius sese oculis offert, eumque Sodalitium repetere iubet, si vellet imminens periculum effugere: quod ille properè executus est.

Quantū malum sit Sodalitatem deserere.

XVI. De desertoribus hæc memorare habui ubique ostendere, vt defectionem miseri suam luerint. Quanquam absque his pœnis foret; satis ego arbitrer magnam pœnam, à Sodalitate vel excludi vel abire. Est enim id nuncium remittere singulari B. Virginis patrocinio: à Matris illius gremio reijci aut resilire: Retractare illud: *Ego te hodie in Dominam, Patronam & Aduocatam eligo, firmiterque statuo me* NVNQVAM *te derelicturum:* Nolle dictum: *Obsecro te igitur, suscipe me in seruum perpetuum, adesto mihi in actionibus omnibus meis, nec me deseras in hora mortis.* Hæccine ubi quibuluis pœnis maiora nō vi-

videntur ? Grauis omnino collisio, ista è talis Matris gremio ruina: dum hosti ad omnem expugnationem opportuni fiunt. Ac quod Religionis cuiusdam desertor, cum infami supplicio afficiendus duceretur, dixisse fertur, se cum religiosam vestem exuit, visum sibi esse simul Christum exuisse, simulque peccatis omnibus ianuam patefecisse: id in hos plerunque conuenit, cum Sodalitate mores bonos exuunt atq; in flagitia præcipites abeunt. Et simile quid in animis eorum geri mihi videtur, quod cuidam Sodalitate moto accidit. Hunc Auenione sui mores censoria nota dignum apud Sodales sæpenumerò fecerant, nimiæque contumaciæ reum conuentu denique extruserunt. Eodem ipso tempore, quo nomen eius albo Sodalitatis eximebatur, in templo vbi tum versabatur, linquente animo, cadentibusque subito viribus sicuti exanimis corruit. Quo ex deliquio animi cum postea recrearetur, fa-

CIϽ. IϽCXIX.

ctumq; didicisset, interpretatus pœnam diuinitus inflictam, mutata vitæ ratione, multo ambitu veterem locum prensauit, Tironisque conditione iterum receptus est. Ita cùm alij Congregatione abeunt, eorum mihi animus vires suas perdere, virtutibusque destitui videtur. *Non desero*, inquiunt, MARIAM: *etiam extra Sodalitatis septa cultus Marianus viget: vestro more colere desinam, colam meo.* Primùm, iactare ista poterant, & certè dixerunt illi, quos punitos recensui; nemo enim tam effrons est, qui MARIÆ Virginis cultum deserere velle se dictitet. Deinde, me vide, non coles. Quid enim? dic quid causæ habes, cur exauctorari petas ab hoc seruitio, cui te *seruum perpetuum* addixeras? *Non vacat*, inquies; aut, *Nequeo porro perpeti vestra hæc: pro meo lubito viuere volo: Leges, & quicquid pium esse cogit, hostibus meis.* O te frigidum amatorem Deiparæ, si te hæc minimè molesta, vbique moribus recepta, Summorum Pontificum auctori-

Quorundam defensio: Refellitur.

Causa deserendi frigida.

ctoritate probata Sodalium officia abſterrent; ſi tibi hæc difficilia ſunt, vt noſtro more colere nolis; video quid facturus ſis, coles tuo more, id eſt, frigidè, & ſi lubuerit, ne coles quidem. Verùm denique, mi homo, finge ſanè Magnæ Virginis cultorem te futurum. O infortunate, neſcis quid boni amiſeris, qui Sodalitatem egreſſus es. Nam alias vt omittam miſerias, vnam hanc vide Infinitorum hominum, qui latiſſime, qua orbis totus patet, Sodalitati adſcripti ſunt, conſortio, communione innumerorum operum, ſuffragatorum copia inexplicabili te priuas. Cultorum Deus multitudinem &, ſi dicere licet, coniurationem virtutis amat, in qua cæterorum probitas vnius negligentiam compenſat; & nummulus meus in tanto theſauro numerum facit. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum, Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſaeculum.* Vnde quicquid in tot myriadas

Inter multos B. Virginem colere plus boni habet.

Pſal. 132.

hominum boni cœlo delabitur, quia inter illos *habito*, meum id quoque fit; & mea est illa *benedictio* & mea *vita* est, quia *illic* sum. Quo tam imenso bono destituuntur, qui se à reliquis segregant. Quod qui non intelligit aut curat, quantum sit damnum, certè dignus est, cuius nomen è Sodalium numero expungatur, vt qui iuxta Sodalitatis bonum ignorat ac vili pendit. Sed his omissis, vt in optimis cæptis persistamus, porro enitamur. Ad quod magno hortamento erunt, beneficia immensa à Sodalitate profecta, ad quæ narranda nunc accedo.

CAPVT IV.

SODALES ALIIS beneficia impetrant.

QVo sint apud Deum loco Sodales ex eo licet intelligere, quod non modo sibi ab eo beneficia consequi, sed alijs quoque impetrare possint.

ſint. quod amiciſſimorum proprium eſt. ponam è multis aliqua, vnde diſcas, quantum Sodalium preces valeant, ex eoque voluptatẽ capias, quod inter eos vitam agas, qui tam promptum tibi auxilium afferre queant.

I. Murciæ latro quidam inſignis, vt ſe periculo eximeret, accuſauit Nobilis familiæ adoleſcentem, qui cum quæſtioni ſubijciẽdus eſſet, reiecta res eſt à Prætore in diem tertium, eò quod eſſet peruigilium Aſſumptæ Virginis. Adoleſcentis mater rogauit Sodales Deiparæ, vt cum ſacro adeſſent, diuiniſque epulis accumberent, cauſam filij Patronæ ſuæ commendarent. Res mira: nec dum omnes Sodales ſacram Euchariſtiam ſumpſerant, cum latro ille feſtinè Iudicem aduocauit, ad eius genua ſupplex ſe abiecit, ſuum id eſſe crimen confeſſus, atque adoleſcentem culpæ immunem proteſtatus eſt Ita adoleſcens è graui periculo ereptus, Sodaliũ cœtui adſcriptus eſt; vt vnde innocentiæ teſtimonium con-

Inſontem liberant. CIↃ. IↃ CXIII.

consecutus fuisset, ibi innocentiam perpetuo colere Virginique Aduocatæ suæ famulari posset.

Ægris opitulantur. CIↃ. IↃ LXXXV. II. Æger quidam Dilingæ cùm Sodalium pietati multum tribueret, ab eis summè contendit, vt pro sua ad Deum incolumitate preces funderent, placuit obsequi studiosè roganti; & decantatis, quæ B. MARIÆ titulos continent, precibus, repente morbo æger releuatus est. Quod Romæ, sæpius factum infra referam.

CIↃ. IↃ LXXXVI. III. Neapoli cuidam periculoso tumore dextera, in eamque iam molem index excreuerat, vt contagij vitandi causa ignis admouendus videretur. Indicauit istud Patribus Societatis, qui ęgrum fortè inuiserant, molestamque sibi eam fore vstionem significauit, quod iam sacris ordinibus initiato, Sacerdotij petendi spes omnis aditusque intercluderetur: Vnum restare perfugium Deiparæ patrocinium. Nec spes irrita: commendatus enim Sodalibus, eo ipso die, quo digitus erat exurendus, sa-

nus

nus & gratulabundus ad Sodalitium accessit.

IV. Audierat de Turnonensium Sodalium virtute per multa vicinæ vrbis incola. Hic ægrum filium, & iam multos dies affixum lectulo, Sodalium precibus commendat, votumque nuncupat, si æger pristinæ reddatur valetudini, eius ex cera effigiem donum se B. Virgini daturum. Incumbunt Sodales in preces, nec sunt irritæ: meliusculè incipit ex eo habere, deploratæ alioquin valetudinis adolescens; mox etiam pristinæ redditur sanitati. Missum postea ad Sodalitatem pro recuperata valetudine votum simulachrum. CIↃ. IↃCV.

V. Monasterij adolescentulus Sodalitatis Angelicæ dum oratoriolo suo exornando operam dat, per scalas altas præceps decidit. Exanimis ad diem penè integrum iacet: vulnerarij de vita desperant: Sodales in Patrona sua maiores vires sitas non ignari, spem concipiunt; tùm precibus piè fusis ex ipsis lethi faucibus incolumē recipiunt. *Fugientē vitam retinent.* CIↃ.IↃCIX.

VI. In

CIↃ. IↃCII. VI. In altero Dolano Sodale & sollicitæ sociorum preces, & singularis B. MARIÆ fauor enituit. Cum enim certatim ad illum moribundũ conuenissent; & fortè Salutationis Angelicæ signum daretur, admoniti patronæ suæ & periculi vrgentis, instant in vota ardentius. Mirum dictu: Illis surgentibus, redit æger ad se illico, valet, viuit.

Pestiferis medetur. Eodem. VII. Nec verò morbi genus tam dirum inueniri potest, cui Sodales medicinam non inueniant. Sellienses duos socios pestis corripuerat: Præses Congregationis vtrumque Sodalibus commendauit, vti pro illis preces funderent obsecuti sunt; & vt de Psyllis perhibetur quasi suctu quodam; ita illi venenum omne è corpore illorum precando exsuxerunt.

CIↃ. IↃCIV. VIII. Assumptæ Virginis Bisuntinæ Sodalis tanta humorum vi toto corpore se diffundentium ita afflictus est, vt nouem ipsos decémue dies membro nullo vti posset. Quo die

pro

pro eo in Sodalitio preces fusæ sunt, humoribus absumptis omnino illi sanitas restituta est.

IX. Sodalium itidem precationibus Antuerpiæ opportunè consultum est vulnerati adolescentis saluti. Cùm adactus magna vi culter in coxendicem ipsius & impetu fractus altera parte, ignaro chirurgo, hæreret in vulnere; nec deinde vnquam euocatum esset ferrum; obducta post leuem curationem cicatrice, incredibiles assiduosque cruciatus misero concitabat. Illis doloribus sedandis sæpius repetita chirurgi manus, & incisa carne ad eam partem, qua se inflammatio intendebat, cùm nihil succederet, Sodalium precibus se impensè tradidit. Secundum eas preces chirurgo recens exsectum locum accuratius tractanti occurrit abditum nescio quid, quo manus explorantis offendebatur. Sed cũ omni arte sollicitauisset, educi nihil potuit. Expetit magno studio iteratas Sodalium preces adoles-

Vulnerato opem ferunt.
CIↃ.IↃ CXCII.

lescens: conueniunt illi & feruenti animo insistunt à sua Pręside Dei Matre adolescentis postulare sanitatem. Quibus in ea oratione defixis, nullo negocio noxium ferrum trahentis secutum est manus; quod ille ipso die adolescens recuperatæ salutis testimonium & grati animi indicium Sodalium Moderatori attulit.

Pluuias impetrāt CIↃ. IↃCIII. X. Sodalitas Calatanessettensis in Sicilia, cùm magna siccitate terræ frugum spes pariter vreretur, quadraginta horarum precatione instituta ingentem è cœlo pluuiam atque inexpectatam impetrauit. Qua re factum est, vt alij atque alij in idem Sodalitium se admitti enixe postulauerint. c. 6. §. 2. 3. 4. Non dispar fuit quod primo libro de pluuijs Granatæ atque Xerezæ euocatis; de hostibus Monasterio fugatis recensuimus. Quo loco plura, quæ propositæ rei fidem facient, inuenies.

CIↃ. IↃCX. XI. Meliores alius pro fratre pluuias impetrauit. Eques enim quidam Hetruriæ in Sodalitate Aquilana

iuxta

iuxta fratrem ſuum eiſdem in ædibus cubiculo tamen diuiſus precabatur. Verùm ea erat mentis ariditas, vt ſibi ſenſu omni pietatis carere videretur, multumque obluctatus obiurgabat ſicciſſimos oculos, quod ne lacrymula quidem ſtillarent. Augebat hominis ægritudinem frater, quem lacrymis inter vota ſingultientem procul inaudiebat, ac pia tactus inuidia: *En, mi Angele,* inquit, *vides hunc pumicem? quin aquulam affundis? ſaltem fratrem tacitus incita, vt de fluuio paucas guttulas arenti adſpergat.* Non in aërem iactæ preces. Frater negotij ignarus ſenſit occulta vi ſe impelli ad deprecādum pro fratre, cuius miſerandam ſpeciem animo quaſi impreſſam coram adſpectabat. Orauit; aridique oculi lacrymis fluere, animus mira iucunditate perfundi cœpit.

XII. Claudam caput iſtud quibuſdam exemplis ſanitatis corporis animiúe per Sodalium preces reparatæ recēſitis, prout literæ Romanæ,

qua-

quarum sæpè mentionem fecimus, memorant, Religio mihi est verba illorum immutare.

CIↃ.IↃ CXXIII. *Cum nobilis quædam mulier à medicis desperata ferè animam ageret, & absq; salutari viatico moritura crederetur, Parochus eius magno dolore affectus existimans eam ex quibusdam signis furere aut à Dæmone obsideri ad nos accessit cõsilium, & opem implorans: Itum est ad domum mulieris: quam post aliquot à nobis preces effusas Dei, & Sacratissimæ Virginis benignitate tanta repente Religio incessit; & ad communicandum dispositio vt Parochus valde exhilaratus Sanctissimum Christi Corpus attulerit, quod illa maxima cum deuotione suscepit: nec amplius aliqua mentis emota signa ostendit, propter quæ à Sacrosancti perceptione libaminis Diabo-*

aboli vt credebatur, fraude arcebatur.

XIII. *Quidam ad nos venit rogans summopere, vt ad domum viri nobilis, in qua iuuenis morti proximus decũbebat accederemus; qui sub obtentu pietatis sacram cõmunionem recusabat, neque consanguineorum & amicorum nec medici & ipsius Parochi precibus à proposito dimoueri poterat; tanta erat mentis peruicacia. Accessimus, & salutaria consilia iuueni insinuauimus. Isque parumper obluctatus mox nobis persuadentibus Dæmonis fraudem agnouit, & paulo post Sacrosanctum Viaticum deuota reconciliatione præmissa aliisq; pietatis significationibus editis non sine astantium ædificatione, & spirituali consolatione accepit, ac postridie mane cum bona spe misericordiæ Domini è vita migrauit.* Eodem.

XIV.

Eodem. XIV. Dominus N. Patritius Romanus è viuis excessit, qui cum ante biennium Sodalitati nostræ nomen dedisset, licet frequentationē illius multum sibi diceret profuisse, parum tamen inde opis ad seriā vitæ emendationem hausisse videbatur, adhuc praua consuetudo naturæ spiritui aduersantis inueteratis affectuum malorum habitibus quasi quibusdam vinclis hominem irretitum tenebat. Erat enim vehementis animi, & ad iracundiam præcipuè in domesticos valde propensi, factū nihil es censeo singulari Deiparæ Virginis beneficio, vt hic in vltima infirmitate piis amici consiliis adiutus, qui illum ad Sodalitium perduxerat in alium repente virum euaserit, & tam quieti, & pacati animi signum dederit cum omnibus in gratiam rediens, vt qui homi-

hominem nouerant diuinitus id factum concorditer faterentur. Primo quidem quæ ad animam pertinent piè sanctèq; disposuit omnibus Ecclesiæ Sacramentis magna cum pietatis significatione susceptis. Res deinde domesticas tam prudenter composuit, vt mutatio dexteræ excelsi in eo luce meridiana clarius appareret. Morbus tum inualescere cœpit peracerbos afferens cruciatus, in quibus ille singularem animi tolerantiam, & miram in Dei beneplacito voluntatis suæ resignationē semper præse tulit. Demum optimis relictis salutis indiciis expirauit. Quis vero domesticis labor aßiduus, & spirituale auxilium quod illi continuo Sodalitas subministrauit magno Solatio fuit, & Christianæ charitatis admiratione perfudit. Vespere dum corpus eius ad Virginis

 ædem

ædem in Capitolio maiorum sepulcris inferretur, fratres Sodalitatis in comitatu frequentes adfuerunt. Reliqui vero in Oratorio eodē tempore flagellis acriter seipsos ceciderunt in eius animæ adiutorium: officium verò defunctorum & cæteras preces pro more Sodalitatis offerendas in proximum diem Dominicum distulerunt.

Eodem. *XV. Noster quidam Sodalis è regione Burgi faber lignarius vigesimo quinto suæ ætatis anno, qui cū magno feruore spiritus per six annos ad oratorium nostrum frequens ventitauerat, religiosæ vitæ assumendæ consilium cepit. cumq; diu secum, & cum Patre suo spirituali rem contulisset tandem familiam fratrum S. Francisci Reformatorum in Transtyberina regione optauit, atque hoc ipso die ex Vrbe ad eum*

locum

locum, in quo superiorum iussu regularis disciplinæ tyrociniis erat imbuendus discessit. Is igitur antequam proficisceretur non pauca rogatus pro Sodalium ædificatione disseruit. Inprimis enim affirmauit frequentationem Sodalitatis maximam sibi spem attulisse, vt in via mandatorum Dei ambularet, & vt à multis criminibus quibus antea se obnoxium fuisse dicebat expediretur: adiecit etiam missiones illas nostri Sodalitÿ eamque præcipuè quā in foro Agonis obimus, cui ipse nunquam non interfuit, ingentem sibi animi voluptatem, ac spirituale auxilium contulisse; proinde obtestatus est omnes, & vehementer cohortatus, vt operā missionibus diligentem nauarent: inde enim eos, & animarum profectum & ingens à Deo præmium reportaturos.

Eodem. XVI. *Summo mane magna cũ festiuatione ad Sodalem morti proximum accersiti accessimus. Inuenimus autem Parochum qui sanctissimum Christi corpus illi communicaturus aduenerat, nec potuerat, quoniam sensuum vsum amiserat, & mox efflaturus spiritum videbatur. quamobrem illum vnà cum propinquis ægroti ingens dolor incesserat, atque omni spe destitutus discessum parabat. Nos verò nescio quo instinctu cõmoti illum vt paulisper maneret obsecrauimus quousque salutarem Reginæ Virginis precationem absolueremus ne famulum suum absque Sacrosancto Viatico mori permitteret. Cum autem ventum esset ad ea verba. O* CLEMENS. O PIA. *statim è somno excitatus moueri cœpit ægrotus, nomine appellatus responsum de-*

dedit: tum deinde de Dominici corporis præsentia admonitus magnopere se exhilaratum ostendit: cumque humili gratiarum actione & Dei benedictione Sacrosanctum Viaticum suscepit, ac demum post aliquot horas piè, & sancte obdormiuit in Domino Parocho, & alijs, qui aderant virtutem cælitus affusam Deiparæ Virginis clienti palam prædicantibus. Iam insigne vero beneficium Parthenio Sodali collatum in conuentu Sodalium tempore disciplinæ, nec non in concionibus inter missiones habitis euulgatum ardentes multorum affectus & pietatis igniculos erga tam beneficam in suos cliētes dominam excitauit. Animaduersione etiam dignū arbitror quam salutaris sit ille mos apud Sodales vsitatus, vt in omnibus disciplinis pro Sodali primum morituro

preces effundunt. Hæc illi. Nunc quæ in ipsosmet bona Sodales cælitus defluxerint, videamus.

CAPVT V.

BENEFICIIS AD
Congregationem Vocati.

SI tanta bonorum copia Sodalitates affluunt, quantam hucusque memorauimus, ad ea inuitari magnũ est beneficium: maiùs est alio beneficio ad tam beatam sortem peruenire. Ita Diuæ Matris proprium est mortalibus abundè benefacere: digna prorsus, cui sese vicissim obstringant omnes; à qua tam benignè pendent.

CIↃ.IↃ LXXXIX. *A prædonibus liberantur* I. Louanio quidam profectus, vt parentes prius salutaret, quam Sodalitati nomen daret, in itinere à prędonibus captus est. Agnouit cunctationis pœnam; vouitque si liber abire posset, celerem Sodalitij accessum. Valuit votum: custodibus somno

mno sepultis, vinculisque dissolutis fuga elapsus opitulatrici Virgini votum exoluit. Duaci eadem voti religione latronum insidias alius euitauit. An. CIↃ. IↃCVI.

II. Monachij Socer generum glande sclopi infra scapulas traiectū in extremum periculum adduxerat. Vulnerarij conclamarant, anima per vulnus stridebat. In hoc ille periculo deprehensus vita omni apud Sacerdotem expiata, votum nuncupat, Sodalium se numerum aucturum, si conualescat. Mox voti damnatus est. Simili voto alius Tholosæ è lethifero vulnere: Louanij vir consularis è morbo conualuit. *Eodem.* *Sclopo ictus conualescit.* *Eodem.* CIↃ. IↃXC.

III. Mexicanus Sodalis captabat multos, Sodalitioque Saluatoris, adiungere studebat, Inter alios amicum quendam suum frequenter admonuerat, vt inanibus curis relictis nouo cætui accederet. Trahebat ille nihilominus moram, & largis promissis optima amici consilia eludebat. Sed graui subitò morbo cor- CIↃ. IↃXCIX.

Morbo ad Sodalitatē vocantur.

reptus remedijs incassum adhibitis nostro victoriæ occasionem in manus dedit. Hic enim ægrum metu mortis anxium inuisit, & renidens amarum: *Atqui scito,* inquit, *hunc dolorem tibi à Deo immissum vindicem pertinaciæ, qua dudum mea consilia frustraris; nec aliam superesse pacandi Numinis, & auertendi doloris viam, quam votum ineundæ Sodalitatis.* Vouit æger, & postero die dolore leuatus, atque intra paucos dies valetudini restitutus est.

Item maleuolis CIↃ. CIↃXII.

IV. Atque, vt magis noueris patronæ nostræ benignitatem, etiam maleuolos Sodalitati conciliauit. Auenione quidam Sodalium instituto adeò infensus erat, vt de illo obtrectandi nullus ei esset modus. Huic ad senectutem grandem alter morbus accessit, lectoque hominem affixit. Conceptæ Virginis die, quem solennem Sodales illi colunt, noua ægro lux mentis oborta est, Presidem aduocat, amplectitur, veniam maleuolentiæ poscit, arbitrum conscien-

tiæ

tiæ deligit; denique vt malum errorem corrigeret, apud eundem institit, vt reliquis Sodalibus adſcriberetur. Quod vt impetrauit, vis ſimul morbi proſcripta eſt.

V. Quendam Oeniponti maleuolorũ rumores ab amplectenda Sodalitate annis aliquot auerterant. Sed cum equo prolapſus cùm latus grauiter læſiſſet, inanes ſibi verborũ crepitus contemnendos eſſe vidit: ingreſſum vouit: dolor mitigatus eſt. CIↃ.IↃ XCVI.

VI. Eodem voto Dolæ febrim continuam; Veſontione lethiferam ægritudinem alius pepulit. CIↃ.IↃ XCVIII.

VII. Pro parente alius Moguntiæ idem ſpopondit, euentu optimo. CIↃ.IↃC XI.

VIII. Alius grauiſſimo animi morbo Sodalium pietate conſpecta liberatus eſt. Nam Biterris magnæ vir auctoritatis ſui affinis iniurias tenacius pectori impreſſit, quàm vt euelli poſſent. Nihil preces, nihil intentatæ æternitasis minæ valuere. Hic ſalutatæ Virginis Feſto ſacellum Congregationis ingreſſus, dum curioſius *Eodem. Sodalitij adſpectu iniuriarum obliuiſcũtur.*

perlustrat omnia, loci cultu captus est, procubuit in genua; Virginem salutauit, toto animo emollitus est: iniuriarum memoriam vltro, simulque peccatorum sarcinam deponere constituit. Pertinuerat istud ad eum locum, quo Sodalitatum æstimationem exposuimus; sed ibi præteritum hunc credo locum non importunè occupauit.

CIↃ. IↃC VIII. *Vitia exuunt.* IX. Cuidam pugna anceps erat diuque dubia, darétne nomen Congregationi Frexcnalensi, & malè agendi à se consuetudinem ablegaret, an antiquo luto hærere vellet? Vicit pars deterior posthabito Deiparæ Sodalitio, negauitque solitis iuramentis, vitæ prioris moribus abstinere posse. Nocte cùm angustijs malæ conscientiæ premeretur; Virgo Mater per visum se ei obiecit, Matrona Maiestate grauis, voce alia quam solent homines: *Quid agis tu?* inquit, *quid ego hoc de te merui, vt Sodalitas tibi mea iaceat contempta? & libidinem potius tuam, quam virtu-*

tem

tem sequaris? Dixit; & ille tum proposito tum moribus mutatis ostendit, ludibrium oculorum non fuisse; quod inueteratos animi morbos eximere potuit.

X. Quam leuia in vtramque partem magnum sæpe momentum habent? Dolæ optimo parenti dissimilis viuebat filius. Cum pater ad eum corrigendum omnibus obiurgationibus, multisque alijs remedijs tentatis nihil profecisset, sacris mysterijs expiatus, vti filij emendationem Deus cordi habere vellet, obnixè rogauit. Auditus est. eo ipso die, puer Christum Dominum visus est videre increpantem, & ni mutata viuendi ratione, patri statim pareat, atrocia minitantē: illicóq; correptus est grauissima febri, quæ annum durauit. Ea vtcunque releuatus, cùm Dolam studiaque literarum repetiuisset, fortè à Sodalitatis Pręfecto rogatus est, vt exscriberet Sodalium nomina: neque ipse tum nomen erat. Hoc dum facit, offert se ei spectan-

CIↃ. IↃ XCI.

Sodalitatis leue beneficium conferens ad eam vocatur.

dam Beatissima Virgo. *Hoc age*, inquit, *rem mihi gratam præstas: nec ego tibi vsquam deero*. Hoc viso territus exhilaratusq; auidè Sodalitium ambit, diuque exercitus, tandem morum probitate euicit, vt adscriberetur. Atque insignis morum commutatio fidem fecit, eum maiore, quam humano eloquio ad frugem pertractum fuisse.

CAPVT VI.

BONA FORTVNÆ Sodalium seruantur.

BOna Fortunæ incerta sunt, & cum rota deuoluuntur: neque eorum iactura tanti facienda est, vt virum fortem mouere debeat. Quia tamen sine illis vita hæc ægrè ducitur, moderatus eorum quæstus improbari non potest. Quo in genere Sodalibus suis B. Virgo nunquam defuit, vt sequentia exempla patefacient.

I. Nea-

I. Neapoli Sodalis pro ſuis familiaribus ære alieno preſſis ſponſor factus, cum nexui tradendus eſſet, Cœli Reginam auxilium popoſcit; ſenſit: nam ſubito ſex creditorum animus ita immutatus eſt, vt communi mente debitum remiſerint. *Ære oppreſſi leuantur.* CIƆ.IƆ LXXXIIX

II. Ibidem Opificum quoddam eſt Sodalitium Chriſtianis officijs apprimè addictum. Sodales ad cæteras ſuas exercitationes adiecerunt, vt è Diuis aliquem vniuerſæ familiæ tutelarem in ſingulos annos ex alueolo ſortiantur. Eius imaginem pro ſacello ſtatuunt, opem arctis in rebus implorant, & cœleſti refecti pabulo ferias agunt. Quam eorum Religionem diuina Beneficentia cumulatè rependere videtur. Ferunt enim aliquot tenues & ab opibus imparatos, ex quo Sodalitium iniuere, fortunis inſtrui cæptos: vt deſertoribus ex aduerſo diffluere, quæ congeſſerant, quotidianum doceat experimentũ. *Diuo ſcüt.* CIƆ. IƆCX.

III. Ex alia ibidem Sodalitate piſcator cum aliquando maximis ex-

antlatis laboribus ne pisciculum quidem inclusisset, ad Tutelarem Sodalitij sui Patronam confugit, eique bilibrem ex opere cereo facem spopondit, si mille pondo piscium vno iactu attraheret. mirum dictu: Reti explicato quadruplo maiorem, atque optarat, prædam è mari cœpit. Ita non semper quod à diuis petitur, nimium videri debet: nunquam enim eorum libertatem vota nostra exæquant. Similem fortunam alteri obtigisse supra retuli.

l. 1. c. 6. §. 14.

A iactura seruãtur. CIϽ. IϽCIII.

IV. Bisuntini itidem duo Sodales præsens in re aduersa præsidium in sua Patrona repererunt. Nam cum ingens in ciuitate exortum esset incendium, ædesque iam duodecim conflagrassent, & proximus arderet Vcalegon, iam iamque flammæ eorum tectis imminerent, repente ventus ab alia parte exortus malum ab illis auertit.

Amissa reperiuntur.

V. Illud quoque admirationem habet quod sequitur. Adolescentulus è Mutinensi Sodalitio cum suis

rus

rus profectus, domi precatorios globulos, quos quotidie percurrere solitus est, obliuione reliquit. Ne verò eam côsuetudinem omitteret, à matre petit, vt suos det vtendos: aufert; vtitur; in sacculum, vti putat, recondit. Ludenti postea cum æqualibus, puerili vt fit incuria, excidunt, nec sentienti, nec primò memori. Vbi post aduertit, quia magni erant precij, sollicitè quærere: deinde vbi non reperit, dolere, angi, matris iram vereri, denique ad B. Virginis opem decurrit. Pijs clientuli tam seduli precibus permota Virgo, nocte se illi per quietem admirabili ornatu ac splendore offert. compellat hominem vltro, de Rosario consolatur, locum vbi sit ostendit. Experrectus eodem in loco, qui ostensus fuerat, rem amissam reperit.

VII. Ferè puerilè est quod sequitur: proferam tamen, quia Patrona nostra vile nihil putat, quo nobis prosit. Tholosanus adolescentulus puerili simplicitate Votum B. Virgini

Vincunt in agone literario. CIↃ.IↃCX.

gini fecerat, si in publico Agone literario præmium referret, delaturum se ad eius ædem libellum inauratum, quem retulisset. Tres reportauit; vo-
CIↃ. IↃCVIII. tumque qualecunque soluit. Quod Camberij quoque euenit. Nam è tertia classe Sodalis cum vix benè nouisset, quid in versu esset positio, implorat ad componendum Virginis opē, præmium publicum pro suæ poëseos elegantia recepit. Hinc ad ea beneficia, quæ corpori commoda sunt gradum faciamus.

CAPVT VII.

VITÆ PERICVLIS

eripiuntur Sodales.

APollinem Alexicacon vetustas sibi finxit ac coluit, & errore misera & malis nunquam erepta. Quanto feliciores sua Virgine sunt Sodales, quæ quia Dei Mater est, malis omnibus remedium opemque adferre potest; & vult, quia benigna est:

vt quotidia iis curationibus orbi cognitum est. De Sodalibus pauca memorabo; multis omissis, ne similium narratione fastidium pariam.

I. Vesontione vno anno tres ab exitio seruati, cum in præceps ruissent, duo de alta domo, leuiter læso capite, implorato B. Virginis nomine, paulò post incolumes surrexerunt. Tertius cum è præscripto Sodalitatis benè mane sacro interesse parat, audit nescio quem: *Abi hinc, abi, inquam; te foris opus exspectat;* ne sacrum hodie audias. Hic ille hæsitare, obstupescere quæ internæ voces, quis ingerat. Et nihilominus, *Adero,* inquit, *etiam te inuito.* Vt sacra hostia populo ostensa, iterum importunior monitor instat, vt exeat. Non paret noster. Missus denique ex templo ad opus faciendum, conscensoque leni cliuo montem præaltum superat, ab altera parte præcipitio scopulisque formidandum. vbi dum ligna colligit, in matutinæ victoriæ vltionem ab hoste impulsus, præcipiti lapsu per *A ruinis seruatur.* CIↃ.IↃCI.

per abrupta deuoluitur; prehendit quaqua versum extantes arbusculas; sequuntur communi ruina inuolutæ, substitit tandem media in rupe, ac rediјt tantisper ad se. Deo gratias ac Deiparæ ingentes agit, quod inter lapsum vocati tam benignè adfuerint. vix luculentam in capite plagam linteolo, vt potuit, obuoluerat, cum præcipitij adhuc restantis præsens periculum aduertit; quod tamē cautè iisdem ducibus euasit: omnibus miraculum conclamantibus, qui nō hominem, sed cadauer in mille frusta per scopulos concisum exspectabant. Et sine dubio pessimè cum eo actum fuisset, si pessimo monitori de sacro omittendo auscultasset.

CIↃ. IↃCIV. II. Auenione alius è tabulato delapsus propè innoxius, cum è casu quo obteri poterat, ad se rediјt, primò linguam in sospitatricis Virginis laudes soluit.

CIↃ. IↃCIX. III. E Ruthenensi Sodalitio ciuis votiuum iter cum socijs conceperat in Montem Serratum. Accidit,

vt

vt angusto calle & saxeo in montem contendẽtibus plaustra à bubus tracta venirent obuiam: Nec erat quo se reducerent, vtrinque rupis crepidine conclusi. Ergo hi corporum declinatione, & qua possunt, euitant periculum: Ille parthenius celerem quoque molitur transitum: sed per ilia traiectus cornu ferocientis bestiæ, atque impetu per confragosa in subiectum ruit præcipitium, ipsoque in casu sanctissimum IESV nomen & MARIÆ ingeminat, optimo euentu. E dura namque caute, cui inciderat, in pedes se erexit, & inuio itinere arduum montem supergressus, iugo se stitit incolumem.

IV. Dolæ quasi futurorum præsagus quidam maiori pietate Patronæ suæ se commendarat, illâ formulâ, cuius principium est, *Sub tuum præsidium*. Eodem die dùm Sacerdotis hospitis gratia per lapideos scalarum gradus decursum maturat, summus gradus cæteris amplior vi frigoris disruptus, sub pedibus fatiscit, CIↃ.IↃC VIII.

& in

& in geminas solitur partes. Ipse verò inter ambas partes corruentes medius in inferius pauimentum, eâ sine dubio protegente, cuius se præsidio commendarat, illæsus decidit.

CIↃ. IↃCV. V. Hildeshemij altam Sodalis quidam arborem conscenderat, credo, vt poma decerperet. Ceterum vestigio fallente delapsus ferebatur præceps. Ibi tum Virginem Patronam suam inuocans, statim visus sibi cælesti quadam vi, & quasi manu sustentari, ac paulatim sine molestia magna, periculóue demitti. Igitur solum attigit, & sensibus & membris integris.

CIↃ. IↃ LXXXIII. VI. Magna quadam tempestatis vi ac turbinum violentia increbescente, Sodalis in vrbe Montis Regalis socios ad litanias B. Virgini recitandas induxit, bonâ omnium fortunâ. Nam cum se somno dedissent, ædium dominus nescio vnde præmonitus, altè sopitos subito excitat, domoque sua excedere iubet. consurgunt re inopina pauidi, & seminudi pro-

profugiunt. Vix exierant, cum tempestatis ac venti vehementiâ domus corruit, dormientes oppressura, nisi vocata Virgo tempestiue periculum auertisset.

VII. Clarius patuit, quis seruati Sodalis auctor simili in casu Olyssipone fuerit. Vir enim Sacerdotio & dignitate venerandus prima luce habitu insolito Patrem Sodalitij moderatorem conuenit; & *O mi Pater*, inquit, *Sanctissimæ Matris benignitas hac me nocte seruauit.* Narrauitque ipso noctis silentio, cùm maxime somno consopitus esset, monentis vocem, Angeline præsidis an Deiparæ incertum, percepisse se, quæ diceret: *proripe te è lecto, fili, & ex isto cubiculo excede.* tum se grauiore somno pressum segnius imperia capessiuisse, tardeque abitum moliri cæpisse; sed iterum extimulatum, sopore penitus excusso, atque amiculo raptim circumiecto à cubiculo exiuisse: repente pauimentum ac domus contignationem ingenti fragore corruisse.

CIↃ.IↃ XCVI.

Quæ

Qua vtique ruina oppressus esset, nisi cælesti monitori obtemperasset.

VIII. Nancei fornix vitio facto collapsurus, Sodalem insidentem simul tracturus videbatur. hoc ille vt periculo se eximeret, saltu in fossam lapidibus plenam B. Virginis Patronæ ope implorata se deiecit. Erat loci altitudo pedum omnino duorum de triginta. Sed fausto illo nomine inuocato tantum abfuit, vt à ruina inuolueretur, vt domum reductus breui conualuerit. Premebatur tamen interea acerrimis doloribus; vt igitur beneficio duplici mactaretur, Sodales pro eo vota fecerunt, quo ipso tempore dolorum illa rabies resedit, & paulo post malo omni liberatus est.

CIↃ. IↃXC. IX. Romanus Sodalis religiosam vitam acturus, ad suos prius valedicturus excurrit. Inde cum concedit in villam, iumentum, quo vehebatur, in fossam decidit, ex cuius altera parte vallis præceps & formidolosæ altitudinis, simulque erus equi-

quitis tota mole corporis oppressit: periculum omnino sęuum & anceps, siue quod tota iumenti moles iacenti incumberet, siue quod si se illud commouisset, pronus ipse voluendus in caput, atque ilicet per præruptam rupem atque asperam saxis præceps erat abiturus. Cum circumsisterent omnes anxij & incerti quid agerent, ipseque iaceret animo consternato, admonent vt re desperata, Deiparæ opem imploret. Nec mora, vix suis credens oculis, non vllis hominum auxilijs, non suo ipsius nisu liberatum crus adspicit, & periculo exemptum: inclamat socios: vix in tuto erat positus, cum equus frustra eluctatus, in imam vallem præcipitans ruit ad exitium, in quod adolescens ruere debebat, ni bona manus lapsum seruasset.

X. Rheda quidã Neapoli vectus, cum è latere decidisset, post rotarum transitum incolumis surrexit. Alter itidem Neapoli ruentis plaustri impetu prostratus, B. Virginem inuo- CIↃ. IↃXC. CIↃ. IↃXCIII.

cauit,

cauit. Nec frustra; crus, quod rota obtritum credebat, incolume subtraxit. Valentiæ alius dum cætu di-

CIↃ.IↃ XCIV. missô demum petit, in vici cuiusdam angustijs, dum obuium declinat currum, siue loci iniquitate, siue alio incommodo lapsus ita cecidit, vt vtraque currus rota illius crura supergrederetur ipso illæso, haud dubiè diuina ope rotas suspendente. Hæc in ruinis auxilia præstita; nunc quæ in aquis allata, referamus.

Ab vndarum voragine eripiuntur.

CIↃ. IↃCIV. XI. Vt doctrinæ rudimentis teneram puerorum ætatem imbuerent Sodales duo, nauim Neapoli ascenderant, in vicinum oppidum ituri. Verùm cum oborta tempestas in extremum illos periculum adduxisset, alter ex his timore verius, quàm somno sopitus iacebat mortuo similis; cum B. Virginem videre sibi visus est, quæ læto eum maximè vultu trepidantem confirmaret, affirmans gratissimum sibi opus esse, quod aggrederentur; proinde nihil metuerent. Sodalis adhæc gaudio exiliens ad Ma-

Matris pedes ruebat; sed oblata species euanuit, simul mare minas furoremque ad tantæ Virginis præsentiam posuit.

XII. Treuirensis ex patria redux aquis haustus, sine damno in siccam humo ad ædem D. Virginis claram miraculis à fluctibus expositus est. Ibidem alij duo vndarum voraginem Patronæ suæ ope euitarunt; alterius hausta nauicula. A torrentis impetu Aniciensis abreptus IESV ac MARIÆ nominibus inclamatis in vado stetit. *Eodem.* CIↃ. IↃCIX.

XIII. Ticini adolescens è cœtu B. Virginis cùm animi causa in flumine piscaretur, ea vi decurrentis aquæ ad molendinum allisa est nauicula, vt distracta omnes in vndis exponeret. Socij quod quisque poterat prehenderunt, atque in tutum enatarunt: solus hic repentino periculo perculsus, consilij inops, dum cunctatur, nihil reperit; iam iamque absorbendus erat, cum mentem subijt recordatio B. Virginis, cuius tum opem efflagitauit: atque repente illi CIↃ. IↃCVI.

iniecta est cogitatio, vt se in profundum aluei sub molendini rotâ deijceret: sicque præter omnium opinionem, diuinitus incolumis emersit. Quem salus ipsa, vt aiunt, seruare non potuisset, Virgo nostra nutu vno conseruauit.

CIↃ. IↃXCIII. XIV. Turonensis alius Sodalis nuper è morbo recreatus, cum iter faceret, ad rapidissimum torrentem, & continuis imbribus tumescentem peruenit: pro ponticulo trabs erat in transuersum collocata, qua transiretur, non sine prolapsionis atque interitus metu. Ergò ob pedum imbecillitatem, arboris ramum defringit, cui nitatur. Quod auxilio fore sperabat, penè exitio fuit. Ventum erat ad mediam trabem, cum inflexo ramo inclinatus, in contrariam partem enitens, in medium torrentem delabitur. Quo casu afflictus, & madida veste degrauatus, magnum periculum âdijt: nam manibus ac pedibus rapido flumini ægrè obluctatus subsedit; cumque aquarum vi se abripi ani-

animaduerteret, ad Dei Parentem animum & vota conuertit. Mirum dictu: subito in trabem diuina vtique ope restitutus, in vlteriorem ripam incolumis euasit.

XV. Auenione duo ipso palmarum die à prandio iuxta Rhodanum inambulabant; inuitantur à condiscipulis in cariosam cymbam; quam dum per ludum impellunt, ecce illa Rhodani impetu fertur in vortices. Imperiti nautæ tam inopinato exitu & tam certo exitio quid agant? Nauis erat exarmata, & qui gubernare posset, nemo erat. Ergo ad vota confugiunt; Sodalesque palam Virginem implorant; nec frustra: nauis cæpit stare, & conto, qui vnus omnino erat impulsa ad litus ferri, sed tanto impetu, maximum vt esset periculum, ne in scopulos impingeret: ad quos cum recta Rhodanus ageret, ingemiscentibus iterum pueris cum effusa ad tam miserum spectaculum multitudine ad sacram anchorã precum denuo confugiunt omnes. Atq; cIↃ. IↃ XCIX.

vt clarius esset Virginis patrocinium, Parentes puerorum, qui nuncio de morte filiorum accepto aduolarant, cum nautis paciscuntur de ferendo subsidio: sed illi sanctissimè iurant, nulla remorum vi eò tempori posse perueniri. Cum igitur in scopulos toto impetu ferretur nauigium, repente nudato ad enatandum Sodali funis piscatorius apparuit, quo arrepto illud sustinuit, sensimque regente fune deduxit ad litus incolume.

XVI. Magnam virtutem esse Maris Stellæ in vndas & quæ dicta sunt, docuerunt; & duo quæ supersunt manifestius patefacient. Limæ adolescens dolo cuiusdam ad litus pertractus, ibique pugione transfossus in aquas deiectus est. raptabatur penè exanime corpus vndarum vi, cùm ecce Indi quidam in aquas sese conijciunt, hominem extrahunt, iam animam efflantem, deferuntque in Xenodochium, vbi Pater illius confessionem excepit, ac dum sacrato oleo perungitur, vitam Deo reddidit.

CIƆ. IƆCV.

didit. Accepti vulneris magnitudo, & aquæ epotæ multitudo Medicos fateri coëgit supra naturæ vires adolescentem in vita seruatum fuisse. Ipse etiam Patris, qui tum alio vocatus ibat, commodus adeo aduentus ad expiandum moriturum, opem maiorem indicat. Iuuenis verò ipse totum hoc beneficium Sodalitati adscripsit, cui alibi nomen dederat & hic quoque ea ipsa hebdomade, vt adscriberetur, tractauerat. Ita Sodalitij cura magnorum bonorum sæpe causa fuit.

XVII. Vltimum hoc est de submersionis periculo, nescio an non manifestissimum Mariani beneficij testimonium. Compluti adolescens fuit pijs exercitationibus Parthenianorum Sodalium proprijs maximè addictus. Hic patriam suam, quæ mari proxima est, cum adijsset, & fortè litus animi gratiâ lustraret cum amicis, incessit eum cupido se abluendi, atque idipsum vt alij facerent, enixè suasit. Recusarunt ipsi prætenso pe- *Ead. m.*

riculo. Vnus ille pro natandi peritia nihil veritus ſalo ſe dedit, cùm repente vento crebreſcente & oborta tempeſtate, quantumuis renitens in altum abripitur; & diuturna cum mari aduerſo lucta fatigatus, omnem ſibi ad litus, atque adeò ad vitam euadendi intercluſam viam planè cognouit. Verùm in eo diſcrimine Patronam Virginem ſuppliciter iuxta ac fidenter precari non omiſit, vt ſuo Sodali præſentem atque opportunam opem afferre velit. Neque irrita ſpe: etenim alia omnia ſuſpicaturus pede terram offendit, cui innixus caput exerit, paululum reſpirat; ac denuo Virginis præſidium, ſub cuius patrocinio degit, in tanta rerum deſperatione, impenſius efflagitat. Interim amici, quoniam ipſorum conſpectum fugerat iam diu, quem oculis minimè poterant, miſeratione & lacrymis proſequebantur, actum de illo rati. Dum igitur ademptum ſibi Sodalem lugent, aduentantem vident puerum

cum

cum funibus in fasciculum colligatis, quos magna animi significatione eis obtulit, vt Sodalem ad litus extraherent. At illi: *Nihil*, inquiunt, *mi puer, funibus his opus est; iam mare ipsum Cadauer huc eyciet. Imo*, inquit, *iam opus erit.* simul vident inopinato flyctu ad se deferri, quem extinctum crediderant. Nam iuuenis prece ad Virginem facta, vti dictum, semisopitus leuiter se supra fluctum deijci, quasi supra mollem lectum, animaduertit; eoque sensim ac placidè deuehi, quousque litori proximus funium ab amicis stupore simul atque gratulatione plenis proiectorũ ictu excitatus, prehensus illis sospes ad oram euasit. Cæterũ ex maris verberatione diu corpori liuor ac vibices perdurarunt, periculi pariter ac beneficij monumenta. Ad puerum verò cũ conuerterent oculos, in summa planitie illum disparuisse vident, ex quo haud dubiè plusquam humanum aliquid fuisse argumentati sunt. Huc etiã referri poterat illud, quod

ſupra recenſeri de iuuene ab vndis erepto, qui Virginem obſequio debito coluerat, altero illo ſubmerſo, qui legibus teneri ſe negauerat.

Ab hostium latronumq; petitionibus eripiuntur.

XVIII. Nullum mare tam iratum ac efferum eſt, atque homo homini eſt. Sed horum quoque inſidias atque impetus Deipara fregit, vt Sodales multis experimẽtis didicerunt.

CIↃ.IↃ LXXXV. Catazorij vir honeſtus & clarus acerbo incitatus odio in vnum è Sodalibus, loci ſolitudinem nactus, dum ferrum in eum diſtringit, Iuuenes repentè duo ad ipſum rectâ tendere viſi ſunt: quibus ille velut indicibus ſceleris ſui futuris abſterritus, maleque ijſdem precatus, re infecta diſceſſit. Et iuuenes illi ſtatim ex oculis abijſſe dicuntur.

CIↃ.IↃ LXXXVI. XIX. E Sodalibus Auenionenſibus primam hoſtiam litaturus quidam in patriam abijt. Iam ſacra erat amictus veſte; iam aliqui eum in templo præſtolabantur, cùm magno impetu conatuq́ue irruunt hæretici, qui ad hoc ſe comparauerant, omnibuſque

que

que digreſſis formidine, Sacerdotem circumſtant Roſarium, quod rumore excitus in manus ſumpſerat, vi auellunt, atque in ignem abijciunt. Tum quærunt, cui ſe dederet? *Ego me iam pridem,* inquit, *Chriſto* IESV *eiuſque Sanctiſſimæ Matri dedi.* Quæ cũ dixiſſet magno animo, ita vti erat ſacra veſte indutus, mirificè ex eorum manibus elapſus, abdidit ſe quendam in locum, vbi per decem horarum ſpacium delituit, cum ab omnibus quæreretur, à nullo reperiri potuit, quaſi offuſis tenebris oculi eorum cæci forent. Poſtridie quietus ſacrificauit; & vt ad lætitiam nihil deeſſet, Roſarium in igne integrum repertum eſt.

XX. Ex eodem Sodalitio latronum quidam ſicas euaſit. cùm enim rei ignarus in idem ſe hoſpitium nocte incumbente recepiſſet, quod latrones tenebant: vbi infidos contubernales cognouit, præſidium B. Virginis popoſcit, precibus minimè irritis. Cum enim poſt in patulum cu- *Eadem.*

bile aliquoties irrumpere graſſatores tentarent, aditum reperire nunquam potuerunt.

CIↃ.IↃ CIX. XXI. Bilbili è ſolenni conuentu Sodalium vnus poſtquam ſacris epulis accubuerat, euocatur. quem mox imparatum, tres hoſtes inſtructiſſimi ad iniuriam, quam falsò ab eo ſe accepiſſe opinabantur, vlciſcendam aggrediuntur, eumq́ue punctim magno impetu appetunt. Ille inexſpectatis inſidijs circumuentus, Diuæ Virginis auxiliarem opem implorat. Gerebat autem tum fortè in pectore venerandam eiuſdem Diuæ Patronæ imaginem; quæ ſaluti fuit. Nam ferientis gladius in eam impactus, quaſi iunceus, ſe inflexit, damnumq́ue auertit. Diſcant amuletum quærere, qui cuiuis ferro ſeſe impenetrabiles nefarijs modis facere ſtudent. MARIAM an Diabolum ſoſpitatorem habere velint, hinc deliberent.

Amuletum pro vulneribus.

CIↃ. IↃXC. XXII. Quod auxilium in Neapolitano itidem enituit. qui domo egreſ-

egressus atque ab hostibus occupatus cum aliquot scloporum ictibus peteretur, incolumis fuit, veste tantum leuiter ambusta, cuteque leniter perstricta. Ibidem alius inter dormiendum pugione petitus diuinitus periculum euitauit. *Eodem.*

XXIII. Ex Ser: Archiducum Græcensium Ephebis honorarijs Sodalis quidam in castra profectus gemina sagitta vulneratus est sine periculo. Iam illi tertia mortem minabatur veneno tincta, cùm in libellum precatorium D. Virginis laudes complexum, quem tum secum gerebat, impacta, irrito conatu excidit. CIↃ. IↃCII.

XXIV. Neapoli alius infestissima armatorum iuuenũ corona circundatus, dum in summa effugij desperatione B. Virgini se commendat ab ignoto quopiam manu prehensus, in ædes suas, quæ proximè aberant, introducitur metumque deponere iubetur. Et vt sciret quisnam ille seruator fuisset, ex oculis subito disparuit; ne posset ambigere cæli- CIↃ.IↃ XCIX.

tem fuisse à Virgine ad ipsum seruandum allegatum.

CIↃ.IↃ LXXXVI. XXV. Eandem opem Perusinus quidam Iureconsultus vita famaque insignis expertus. Dederat is amico pecunias mutuas: easque cum non redderentur clementer subinde repetebat à surdo debitore, siue alijs implicato debitis, siue parato non reddere *præsertim vt nunc sunt mores: adeò res redit: si quid redditur, magna habenda est gratia*, ait ille. Interea præclarus ille debitor vt se à molesto interpellatore liberaret, constituit hominem è medio tollere. Captato itaque tempore occasioneque oblata nihil minus cogitantem in suismet ædibus aggreditur sicaque septies perfossum sicuti iam mortuum relinquit. Sed optimum Sodalem manus Virginis sic defendit, vt ictus omnes innoxij fuerint; vnus leiusculum vulnus fecerit; quod, vt viri virtutem scias, à vulnerario noluit, sed à seruo curari, ne factum cuiquã cum sicarij damno innotesceret.

XXVI.

XXVI. Diuinionenses duo Sodales diuersis temporibus à grassatoribus capti ereptiq; Virginis Deiparentis ope, in hunc modum. Vnus iter faciens, cum in eos incidisset, semel iterumque sclopo disploso percussus non est: ipse interea accelerans fugam, notum implorat patronæ auxilium. Iam spatio vno euaserat, cum alter atrox iræ, citato equo in peditem fertur, mucrone districto: iam iamq; proximus reducto gladio caput petebat, cum loco & tempori Virgo adfuit clienti. Prolapsus repente equus sic equitem suo onere impedijt, vt se diu expedire non posset; interea alter salutem pedibus inuenit. Captus alius ab hostibus, rapiebatur in eorum comitatu tanquã ad cædem. Trahitur prima vespera in vicinum pagum: dum ij cœnant luduntque militari lasciuia, inuersum ipse dolium subire cogitur, quod lapide congesto onerant, circumdantque semiusta palea rimis hiantibus explendis; vt fumo ferè suffocaretur

CIↃ. IↃ XC.

inclusus: additur post cœnam importuna saltatio; immittitur certatim cuspis gladiorum, petuntur pedes, quos ipse alternis attollens ab ictu defendebat: vnicum viro solatium erat, Deiparæ coronam pertexere. Illud lepidum memoratu est, quod salute desperata illam formulam identidem repetebat, quam in concione didicerat: *Domine, si vis, potes me mundare.* Hanc ille aptam existimabat orationem, & necessitati congruētem; credo quia metus propè sensum ademerat. Nō vocem, sed voluntatem Deus audijt. Vbi diluxit eo inspectante contusi verberibus, qui simul fuerant comprehensi, vinculorum socij & comites viæ: eximius ipse habitus ac sine alio ludibrio precióue libertati redditus est. Non debuit videlicet Deiparæ seruus diu-

CIↃ.IↃC VI. tius improbis seruire. Voto Congregationis Duacensis latronum insidias quidam euitauit.

CIↃ.IↃC VII. XXVII. Globo quidam Tiro Sodalitij traiectus Vilnæ iuxta vmbi-

licum,

licum, à Medicis desperatus, in Sodalitatem, priusquam è vita migraret, adlectus est. Quæ res ei sanitatem postea peperit.

XXVIII. Baro Transiluanus à militibus hostis sui capitalis captus & ductus, Sodalitatis capessendæ voto, exemptus est periculo. CIↃ. IↃCXI.

XXIX. Retuli supra de Conplutensi adolescente, qua ratione submersionis periculo exemptus sit; referam de eodē hic aliud, ex quo cognoscere licebit B. Virginem & in negligentia punienda non omnino cōniuere, & clementiæ tamen suæ non obliuisci. Nam cum de suo erga Diuam studio remisisset, nec tam frequens iam esset in sacris mysterijs frequentandis, aliaque pietatis officia, quę pro more Sodalitatum tractârat, segnius exequeretur; euenit, vt cum amico quodam suo publicam oppidi viam perlustraret. Ibat periculi securus, cum vnus aliquis quasi iniuriam vindicaturus, quam ab hoc nullam acceperat, sica repente stri- n. 17.

cta

cta ipsum adoritur, toto corporis impetu vulnus infligit, & hominem humi affligit. Nemo dubitauit ictum fuisse lethiferum: domum igitur deportatum sacris omnibus, vt moriturum, procurant. Sub hæc dum chirurgus accitur, afferri sibi libellum iubet, quo Virginis officium continetur. Illud quippe singulis diebus persoluere non omiserat, tametsi pijs alijs exercitationibus supersederat. Ridebant alij, quod moribundus de officio recitando cogitaret: instabat tamen nihilo remissius, id muneris eo die nõdum se perfecisse dictitans; nolle ea in negligentia morte præoccupari. Adest interea chirurgus, vulnus detegit, inspicit; periculosum esse negat. Etenim mucro magno impetu actus, vtpote ab homine, qui robore ac viribus valebat plurimum, vt attigit cranium, retortus vncini in modum, atque inde dilapsus cute ac carne dirupta, caput magna ex parte sauciauerat, leuiter tamen; neque enim vlterius quicquam penetrauit.

Partes aliquas Virtutis retinere prodest.

Id

Id verò humanitus fieri non potuiſſe teſtatus eſt chirurgus. Quid plura? Eiuſdem iuſſu, proximo die iuuenis è lecto ſurrexit: didicitque in Marianis officijs deſidiam ſemper noxiam: eorum verò curam ſalutarem eſſe.

XXX. Ita in alio pœna ſimul ac clementia Virginis eluxit. Vilnæ Dominica Quinquageſimæ Pater in cohortatione Sodales monuerat, vt inſanis Bacchi ferijs, omnes ſe domi continerent; & quaſi diuinans adiecerat, futurum forſitan, vt qui domi manere noctu nollet, ante cineralia ad cineres abiret. Non audijt vnus cænatum alio egreſſus: in reditu, globo lethali propè cor traiectus eſt. Hæc non magni delicti pœna fuit: Vide pariter clementiam. Quis vel ad vnum momentum poſſe viuere crediidiſſet, ſic vulneratum? Vixit tamen, dum accerſito Sacerdoti bis animi labes exponeret, ſacroque Viatico muniretur. Quo accepto, animam ſtatim agere cœpit. Mortuus eſt autem ipſa nocte Feriam quartam Ci-

nerum

Cur boni ob leues noxas puniantur.

nerum præcedente, vt non vanum colligas fuisse præsagium, salubris admonitionis negligentem ad Quadragesimam fortassis vitam nō producturum. Enimuerò subit hic admirari, cur sæpius eos, qui cæteroquin integram vitam degunt, vbi ab officij linea vel leuiter egrediuntur, velox à tergo vindicta consequatur, vti in duobus, quos nunc recensui, videre licet. Ac cogitanti illud occurrit, Deum Deiparamque, Parentum more, leues quoque noxas filiorum non sinere impunitas, ne incogitans animus ijs insuescat; sed pœna admonitus citò ad officium parentumque in gratiam redeat: seruorum aut desperatorum delicta sero, sed grauissimè vindicant. vt in beneficijs merito referendum sit, pœnis ad cœlum reuocari.

CIↃ.IↃ XCIV. XXXI. Adolescens nobilissimus alterum adolescentem Taurini in pietate tuendum susceperat, quem alij ad corruptelam ad se pertrahere nitebantur. Cum itaque viam sibi ad hunc

hunc obſeptam viderent, vi facere aggrediuntur, circumſtant patronum illum viginti iuuenes gladijs ſtrictis; punctim cæſimq; petunt hominem ſola virtute & B. Virginis ſubſidio tectum, nullum tamen ad viuã cutem vulnus penetrauit; veſtibus benè diſciſſis ipſe incolumis euaſit; Et Patronæ ſuæ & ſui patrocinij beneficio defenſus.

XXXII. Alia quoque pericula à Sodalium ceruice depulſa ſunt. Nam Neapoli Cõceptæ Virginis alumnus, dum per alienum rus iter facit, repẽtè inermem oblatrantium canum cohors inuadit: affligunt ſolo miſerum, ac primò veſtes in fruſta concidere, deinde etiam manũ hianti ore concerpere, perq; illam tractum, vſq; ad ſepem ſpinis ac dumis aſperam, acerbè vexare. Sed Conceptæ Virginis nomen inuocanti, Numen præſto fuit. Nam mox vbi tempeſtas illa deferbuit, non niſi impreſſorum dentium characteres ac notas in manu agnouit, nulla prorſus vulnerum acerbitate. CIↃ. IↃCV.

XXXIII.

XXXIII. Biturigibus à maiori vi Sodalem ſuum defendit B. Virgo. Nam cum fulmen magna vi illapſum adoleſcentem medium corripuiſſet, loco procul abreptum inſtarq; turbinis variè circumactum in extremũ diſcrimen adduxerat; cùm opportunè ille Deiparæ nomen & opem inclamauit, ac ſine alia noxa, prætérquam veſtium, incolumis euaſit. Hęc de periculis euitatis dicta ſint: de morbis pauca ſubiungo.

CAPVT VIII.

SODALES ÆGRI *ſanantur.*

I.

An. CIↃ. IↃCII. COmpendio atque quaſi per ſaturam has ſanationes recenſebo. Veſontione quidam ad luctam vltimam iam inunctus, Sodalitatis voto ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt.

Eodem. Idem in Tarraconenſi euenit. In eodem voto perpetui cuiuſdam doloris reme-

remedium reperit ſenator quidam Gratianopolites, & Traiectenſis Decanus. Eadem medicina profuit Baroni in Sodalitate Burdigalenſi; Medico in Petrochorienſi; Alteri cuidam in Billomenſi. Dolæ grauiſſimos artuum dolores precibus ad D. Virginem emiſſis quidam pepulit.

(margin: CIↃ. IↃCXII. — CIↃ. IↃCIIX. — CIↃ. IↃCVII.)

II. Lugduni ad Sodalitatem receptus eſt adoleſcens, qui annis ipſis duodecim hemicranio laborauerat; octiduo vno ab adſcriptione elapſo capitis illa vexatio ſponte deſijt. *Eodem.*

III. Ingolſtadij cuidam ita corpus intumuerat, vt medendi artifices conclamarent. Sed Sodalibus in ſuo Sacello Virginis opem communibus votis ſollicitantibus, tumor illico cœpit ſubſidere; & ille intra paucos dies ſurgere. Alter aqua intercute ſuffuſus in ipſa deſperatione ſalutis, ſalútem inuenit, cùm eo ipſo tempore in cenſum Sodalium relatus, oleoque ſacro delibutus, poſtridie ſanus, ſaluuſque fuit. *Eodem.*

IV. Quidam ex Sodalitate Iuriſperi- *CIↃ. IↃC IV.*

peritorum Dolana ardentiſſima febri iactatus, cum aliquot dies iacuiſſet, feſtoque die horas recenſendo eam in animo deſignaſſet qua in Sacellum côueniunt Sodales, ſic morbum fugauit: *Egóne*, inquit, *cæteris conuenientibus decumbam, & hic otiabor iners?* ſurrexit impiger, & (dictu mirum) ex tam moleſta ægritudine alacriter emerſit abijtque illico Deiparæ in ſociorum conſpectu gratulaturus.

CIƆ.IƆ LXXXVI V. Non diſſimile fuit, quod Aletino accidit. Ardebat ille febri, ſed maiore cupiditate ad Sodalitatem accedendi. Quo ſi iret, non deſperabat de valetudine recuperanda. Iuit vrente æſtu, & domum incolumis reuertit. Certè conuentuum frequentationem rem optimam eſſe oportet, quæ tam graues morbos tam facile diſpellit.

CIƆ. IƆCXII. VI. Sodalis Antuerpienſis obſtructis calculo renibus, colicis doloribus, & febri periculoſa laborabat. Deſeruerat eum Medicus contra

tot

tot hostes impares suas vires non vanè coniectans. Sed B. Matris ope implorata, triplici malo exemptus triplex beneficium agnouit.

VII Sodalis Duacensis impeditioris linguæ vitium Patronæ Magnæ beneficio emendauit, vt commodè postideà locutus sit. Huic promptũ linguæ vsum: alteri cuidam oculorũ integritatem Patrona Sodalium concessit. Hæc ancilla fuit; quæ cũ molesta lippientis oculi defluxu affligeretur cereos duos Sodalitati Eustadianæ, tum inchoatæ vouit se oblaturã: à voto dolor remisit & lippitudo sequenti statim die absterſa est. *Eodem.* CIↃ. IↃC XV.

VIII. Quidam Religionis candidatus magna vrinæ sistendæ difficultate exercitus, cùm ad sacram familiam parum ob id idoneum se fore arbitraretur, Sodalitio calicem aureum deuouet: & Virgini Salutationes quinque genu flexo quotidie peragendas. Sensit illico mali remediũ; nisi quod ijs diebus, quibus promissæ salutationis fidem aut omitte- CIↃ. IↃCIX. *Fides D. Virgini seruanda.*

bat,

bat, aut negligentius soluebat, malum recrudescebat.

Oculorũ dolor abactus. CIↃ.IↃ XCIII. CIↃ.IↃCV. IX. Neapoli alius, D. Virginis auxilio dolorem oculorum, grano instar ciceris inde eiecto, curauit. Alteri Lugduni vim videndi aut restituit aut conseruauit, quam ille acu propè expunxerat, medicique penitus desperarant.

Nausea depulsa. Eodem. X. Nausea Olyssippone quendam non procul à morte habebat. Obtulit se ægro visendam Virgo cum Filio calathum deferente plenum pomis: simul puer offerre nauseabundo cælestes delicias; hic præ donis Puerum Matremq; venerari. vix à conspectu se illi abstulerant, cum nauseam morbumq; pariter abscessisse sensit. Visa est eadem Virgo potionem ægro cuidam Neapolitano Sodali infundere. de quo & alijs pluribus alij. *Manuale Sodal. §. 2.*

Voto officij parthenani cõualescit. XI. Burdigalæ niueo amictu ægro cuidam Sodali se eadem spectãdam obtulit, morbumque profligauit; quod ille in summa valetudinis despe-

desperatione vouisset, anno integro ꟾↄ.
Æditui Partheniani munere se per- ꟾↄCIX.
quam diligenter functurum. Voto ꟾↄ.
perpetuæ castitatis ab eadem illâ In- ꟾↄXC.
golstadiensis quidam morbi grauis-
simi remedium impetrauit.

XII. Ac fuit, cùm contra Medi- CꟾↄꟾↄLXXX.
corum leges opitulari potuit *Salus infirmorum* MARIA. Consultus medicus domi conclusit laborantem, vetuitque prodire Adolescentem, Dilingani cœtus alumnum periculosè ægrum. Sodalis sollicitus ne legem die Dominico sacris interesse iubentem migraret, statuit mandatum humanum posthabere diuino. Commendat se Virgini Matri, prodit, tendit ad templum; interea loci viæque, ecce tibi, rumpitur intestinus abscessus, hominemque copioso pure ac sanguine eiectato repente sanum destituit: gratus adolescens porro pergit ad ædem sacrisque assistit certiore medicina reperta.

XIII. Omitto innumera, ne prolixus sim: & in vno hoc finio; *Res B. Virgini*

Aa quod,

ommodata magnum commodum. quod, vt accepi refero. Leodij *Pannos lineos quatuor conopeo è Sacelli fornice suspendendo Sodalis cuiusdam v-*
CIↃ. IↃCX. *xor commodarat. Interim maritus natus annos octoginta duos in morbũ lapsus lecto affigitur. Et iã tres ipsos dies decubuerat, cùm dissuto conopeo panni referuntur. Vxor lauandos seponit. Postero die cũ nihilo melius haberet æger, recordatur illa pannorum in honorem Deiparæ suspensorum; speiq; plena aliquid per eos clementissimam matrẽ efficere posse, vnum igni applicatum calefacit, calefactum mariti dorso admouet. Mirum dictu. Vix admouerat & is omnem dolorem quasi abstergi in cõtracta corporis parte sensit. Dein alterum etiam calore imbutum pectori apponit; & simul in ea corporis parte doloris omnis sensus discedit. Rogat maritus sopito dolore, quid sibi factum sit; intellecto, quod erat, surgit; & firmatæ valetudinis beneficium illi acceptum fert, cui debuit.* Ita nihil adeò exiguũ putari debet, quod non iuuet, si Virginis Sospitatricis honori dicatũ sit.

CAPVT IX.

BENEFICIA ANImi accipiunt Sodales.

QVæ toto hoc opuſculo narrata ſunt, huc tendunt, vt cognoſcas, quanto animorum bono Sodalitates inſtitutæ ſint & frequentatæ. Placet tamen idem alijs exemplis breuiter confirmare.

I. Dilingani annales referunt beneficio Sodalitatis in quam olim quidam conſcriptus fuerat periculis ereptum, ad frugem reductum fuiſſe. Sic enim ſcribunt: Vir annorum quadraginta natu in aleam proiectus & vinum, nocte quadam ſopore excuſſo videbat oculis obijci ſuis Virginem honeſtiſſima forma inter duos verendo grauique ore viros adſtantem. Hos grauia eius crimina ſingulatim recenſere, acriter obiurgare, mortis genus horrificum eminari, CIↃ. IↃCII.

 niſi

nisi ad frugem redeat. Externatum attonitumque metu ac minis hominem Virgo tamen iubet spem concipere & mala perpetrata pœnitendo corrigere: si placeret consilium, eam se ope non defuturam, quippe memorem adhuc eorũ, quæ puer olim bene laudabiliterque egisset, (Sodalis hic in primis pueritiæ annis erat) ad hæc ille in memoriam amoris erga Matrem Dei regressus (erat enim haud vulgaris in illa ætate Deiparæ cultor) mox copiosis infusus lachrymis aditum ad Sacerdotem è Societate Iesv accelerare, soli visa expositurus. Huiusce suasu vitæ vniuersæ commissa cum dolore comemorat; improborum vitat consortia, rationemque rectius posthac viuendi in libello conscriptam à Patre accipit. Est tanti vel semel cultui Virginis addictum fuisse.

Prodest Sodalem fuisse.

Terroribus nocturnis liberantur.

II. Quendam Malacæ nocturni dudum terrores, & plurimus in cubiculum lapis intempesta nocte imissus; trepidum & exanimatum reddi-

de-

derant: Sed in Sodalitium cooptatus laruas videre, tumultusque audire desijt. Flexiæ Sodalis nocte concubia siti vrgente è lecto se proripuit; sacraque corolla brachio circumiecta vti nunquam sine ea quasi parmula sua egredi quoquam consueuerat, ad puteum descendit. Sed ecce horrificum spectrum ex aduerso incurrit, atque penè inuolat in oculos; Rosarium brachio inuolutum tradi sibi imperiosè postulat; ni faxit, asperrima quæque minitatur. Negat ille se daturum; laruæque vim afferenti fortiter obluctatur. Inter quam pugnam iam quadraginta pedes à puteo abstractus erat. Qua vt se violentia eximeret, Angeli Salutationem exorsus est; cuius enunciandæ, vt fecit initium, velut Africo discussa nubecula, minax antea spectrum momento euanuit. CIↃ.IↃCIV. CIↃ.IↃCXII.

III. Hic ab externa Dæmonum vi Virginis virtute exemptus est; alium Viennæ in Gallijs stygijs iam ferè mancipatum eadem patrona in li- *ADæmonum consortio abducitur.* An. CIↃ.IↃCXI.

 ber-

bertatem vindicauit; vt eius Sodalitij historia prodit. *Fuit hic alia in vrbe Societatis Scholis addictus, puer ingenij bonitate, morumque integritate Magistro suo amabilis. Qui sensim exitiali profligatorum Sodalium contagione deprauatus, in peiora lapsus eò tandem deuenit, vt pestiferis magiæ illecebris captus & irretitus pessimam cum Dæmonibus malis familiaritatem contraxerit. Tum ergo quicquid dirarum eludendis oculis, fascinandis auribus, domibus effringendis, iniurijs vindicandis, cupiditatibus potiundis, alijs nequitijs exercendis inseruiebat, id omne è fecunda inferorum cloaca hauriebat, & singulari dono phialam acceperat stygia plenam aqua, & hydris quibusdam infandisque monstris in exitium mortalium inuentis (vt Dæmon affirmabat) refertam. Duos in illa disciplina annos iam exegerat miser, cum Doctor præclarus impensæ operæ mercedem, ac velut didactron exigit, cultum sui, Christi eiurationem. Sed viuebant in Iuuenis animo*

etiam

etiamnum Christianæ rationis & pietatis antiquæ semina: vnde & ad horrendi pacti mentionem attonitus hæsit, reique tantæ pensitandæ diem perendinum petijt. Spectris interim, minis, pollicitationibus diu noctúque vrgetur; à quibus se expediendi hoc demum reperit consilium. Lugdunum contendit, vbi Magistrum quondam suum, cui charum se fuisse meminerat, versari inaudijt, eiusque arbitrio potestatiq; se totum cõmittere statuit. In via, ne id faceret, variè oppugnatus memoratur. Demum sciscitari ausus adolescens, *cur sibi tanto tẽpore Dei præsidio ac fauore destituto pepercerint, nec mortem, quam modò tã ferociter minarentur, intulerint: cui illi; nec promptã sibi voluntatẽ, nec conatũ defuisse responderunt, sed prohibitos inuictis magni* Dei *imperijs, Reginæq; illius, cuius olim puer clientelæ se cõmisisset, auctoritate coërcitos. Obstupuit oppidò iuuenis admirabilem Clementißimæ Virginis in se charitatem, cuius à complexu præsidioque nec dum* *Vide cur fidas.*

se depulsum audiebat, cum ipse tamen ab illius castris transfuga, Sodality legibus contemptis & MARIAM *Matrem & virtutem omnem ab animo suo pepulisset.* Quid multis? Magistrũ Viennæ reperit; rem omnem aperit; munera acherontica tradit, ad virtutem & conscientiæ tranquillitatem redit. Quo in facto id omnes notent velim, quam infidum sit Dæmonis comercium, quouis momento perniciem struit, & ni Magni & Boni DEI virtus cohiberet, etiam inferret. Vt merito omnes ab eo quamprimũ se auellere debeant, cum infensi sibi tùm Dei opem certam exspectare non possint, cum ipsi ab illo tam improbè profugerint.

A flagitio patrãdo absterrentur. Eodem. IV. Sodalem alium Angelopoli in Mexico in peius ruentem, dum vrbem cum socijs obambulat, graueq; animo scelus versat, vir grandæuus vultu graui ac subirato adoritur, & percusso fortiter pectore: *Tune,* inquit, *qui B. Virginis Sodalitio nomen dederis hæc mente concipere, hæc ani-*

mo

mo audeas tractare facinora? Ad quæ cùm ſubitò linquente animo corruiſſet Iuuenis, accurrunt comites, & percuſſore nullo conſpecto territi ad Sacerdotem adducunt. Ibi expiatus agnouit Tutelaris beneficium fuiſſe, impunè cogitationem flagitij non abiuiſſe.

V. Magnus quondam Virginis cultor vniceque deditus, in turpe prolapſus crimen, homines ſeque vt fugeret, in exilium abijt. Nox hominem in ſilua oppreſſit; ſimul patrati mali conſcientia, dolor, lacrymæ, deſperatio miſerum corripuere. Vt ſcelus expiaret, in flumen proximum ſe dare mortemque tanti doloris remedium arceſſere conſtituit. B. tamen Virginem prius vti ſibi clemens propitia ſit, inuocat. Vix ediderat voces vltimas, cum matronam videt inſignis pulchritudinis, quæ ad eum conuerſa: *Bonum animum ſume,* inquit, *audacter me ſequere.* Hæc effata flumen ingreditur. Quod ille cum facit parens dicto, miratur quaſi marmor

In ſpem eriguntur.

CIↃ. IↃXC.

ſubſtratum pedibus,& hinc atque illinc liquidas diſceſſiſſe vndas, ita in aduerſam ripam incolumis euaſit. Tum confirmatus Brigantiam redire, vnde abierat, iubetur. mox puro ſeſe inſinuans cælo clariſſima luce Virgo pulcherrimam faciem abſcondit. Ille meliora remedia malis ſuis apud Patres Societatis inuenit.

Ad religionem animantur. CIↃ.IↃXCIII. VI. Rhutenenſis Sodalis ſacram militiam meditabatur; huic vigili atque precanti ſe Religioſorum patrona mira in luce blandiſſimè obtulit, animoſque ad cæpta abſoluenda addidit. Sodalem alium Mexicanum vndequaq; improbum certo prodi- CIↃ.IↃCXI. gio ad Religionem vocauit, frigide petenti ſtatim aditum patefecit, hærenti clarum ſignum impetrauit. Nā Crucifixi imago, ante quam & quotidie ſepties orationem Dominicam & Angeli ſalutationem dicere conſueuerat, hoc ſolo bonus, & tum efflictim precabatur, à pariete ter ſeipſam dimouit : quo viſo abrupit ſe à vitâ priore, & omnem occaſionem præcidit.

VII.

VII. Magnum caſtitatis ſiue tuendæ ſiue conſequendæ præſidium, in conſtanti ad D. Virginem oratione poſitum eſſe ſupra docui. Id duobus ſequentibus exemplis confirmo. quorum prius ijſdem verbis reddo, quibus perſcriptum eſt. *Iuuenis quidam anno ætatis quinto in quoddam flagitium prolapſus ad annum vſque vitæ decimum octauum in eo fœdum in modum demerſus iacuerat. Interea loci, forma, ingenium, morum amœnitas cunctis non amabilem modo, ſed admirabilem quoque reddebat, vt dignus etiam inter Sodales cooptari videretur. Ignotum nimirum erat quæ animi deformitas ſub extraria illa venuſtate lateret. quæ tamen fœditas ita ſeſe hoc anno prodidit, vt ſummam Emendationis deſperationem oſtenderet. Hic pater quidam Societatis adoriri adoleſcentem, emendandæ vitæ & à peccandi illecebris rationes ac vias monſtrare, medicamenta item ſanando morbo ſalutaria præſcribere. Ille contra negare hæc ſibi profutura, quod*

Lib. 2. c. 8. n. 6.

CIↃ. IↃCII.

huiusmodi remedia omnia mali, quo laborabat, vis & Improbitas eluderet: Rogare proinde, vt precibus suis alia illis valentiora sibi à DEO *impetraret. Spondet Sacerdos facturum, simulque hortatur adolescentem, vt quod a se peteret id etiam à Matre Misericordiæ votis quotidianis contenderet. Obsequitur hortatori, & ad diem quo eandem Matrem filius cælo inuectam honore summo cumulauit, de peccatis iterum confessus indicat confessario, sibi iam vitæ melioris spem non dubiam affulgere. Ex quo enim,* inquit, *venerari Diuam Virginem, & ab ea vitijs meis flagitare studui medicinam, animaduerti homines peruersos, quorum vsu consuetudineque gaudebam, a me alienari, meq; ire desertum. Et nunc quidem ita liber sum & expeditus ab omnibus vt exsequi iussa tua facile queam: nec aliunde scio bonum hoc mihi tantum, quā a prouisu* DEI *manasse. Tu igitur impera mihi quod voles, & me finge, vt voles: nullum faxo in me obsequium nullum officium desideres.*

Mali fugiunt B. Virginis sectatores

deres. Atque hinc duo mihi conſidera, lector. primum nullum adeò mentibus inolitum hærere flagitiũ, quod B. MARIÆ Virginis patrocinio diligenter quæſito, non eluatur: vt proinde quicunque prauis cupidinibus nocenter aduruntur, ad hanc Aquam ſalutis frequēter debeant accurrere. Alterum eſt, malos ſocios pati non poſſe, vt cum bonis conſortium ineatur: & eum quem D. Virgini familiārem vident execrantur, certi ſe excludi abs te, ſi bonis te aggreges: vt vel hinc poſſis eos cognoſcere malos eſſe, ſi nolent te bonis adiungi.

VIII. Poſterius de tuenda caſtitate valere preces ad Virginem fuſas teſtatur. Mamertinus à veſana muliere improbè ſollicitatus obnixè Reginæ Virginum opem in hoc periculo implorauit. Nec defuit clienti vocata Virgo, quippe, ne vllo ſenſu eius animus emolliretur, repente illi viſa mulier horrenda ſpecie in ſpectrum commutata, horrido terribilique totius oris habitu, conuerſo in angues cri-

Caſtitatē ſeruant. CIↃ. IↃ XCVI.

Forma impudicæ fœminæ.

crine, quid multis? Furiarum quarta soror visa est. Quo spectaculo Venerei omnes motus quieuere, castitatisque amor altius animo impressus est. Quo hic fæminam cultu formaque conspexit; tali mulieres omnes, Circeum genus, prædicas, si quæ castitati insidias moliantur, Virgo tota pulchra ostendere voluit.

In dubijs consiliũ inueniunt. CIↃ. IↃ XCIX.

IX. Auenionensis in re dubia, quæ eius plurimum intererat, dum Rosarium in æde sacra attentè percurrit, propè finem obdormiuerat, cùm Virginem forma eximia & blando aduersum se ore adstantem conspicatur. Expergefactus visi vehementia, precationem absoluit, & spe plenus repetit domum. Ecce iterum nocturno in somno sese videndam B. Virgo offert, certumque hominem nominat, à quo quid facto opus sit, ediscat. vix illuxerat, cum ille ipse, quem pia patrona edixerat, pro foribus adfuit, eiusque præsenti patrocinio è certa præsentique ignominia ereptus est.

X. Bi-

X. Biturigibus Sodalitatis alumnus alius ad res philoſophicas percipiendas Bœotica quadam ſtupiditate ſuffuſus, & plumbeo velut ingenio, cùm penitus hebeſceret, votis Virgini Matri nuncupatis, huic duritiæ mentis amoliendæ tantum poſtea perſpicacitatis nactus eſt, affuſo ipſi Virginis operâ clariſſimo lumine, vt de Philoſophicis ænigmatis abſtruſiſſima quæque liquidò peruideret. Quo de beneficio alia inuenies in Manuali Sodalitatis. *c. 1. p. 1. §. 2.*

XI. Ad extremum huc referri poteſt ea gratia, quæ Sodalitatibus à ſummis Pontificibus è Theſauro Ecclesiæ, abunde conceditur, qua pœnis in crimina ſtatutis eximuntur, atque Indulgentia dicitur. Quanta autem quamque patens ea ſit, in libellis Sodalitatum atque Legibus videre cuiuis licebit. Quanto verò in precio habenda ſit, intelligent omnes, qui acerrimas poſt mortem pœnas luendas ſupereſſe nouerunt illis, qui dum vita manebat, non ſatis eas expiarũt. *Indulgẽtia illis conceſſa. Gregor. XIII. in Bulla Erectionis.*

XII. Cir-

XII. Circa has verò Indulgentias dubia quædam enucleanda ſunt, quæ quorundam Sodalium ſubinde animos ſollicitant. Sed vt reſolutio pondus habeat maius, non noſtris
c. 4. n. 4. verbis reſpondebimus: ſed prout libro primo polliciti ſumus, literas Romanæ primariæ ad Lugdunenſes Sodales datas inſeremus, ſicut eas ipſi Romani ad nos perſcripſerunt. Sic ſe habent:

ROMANA PRIMA PRIMARIA. B. M. VIRGINIS ANNVNCIATÆ CONGREGATIO.

Perilluſt. Congreg. Lugdunen. B. Mariæ Virginis Aſſumptæ Salutem, & gratiam Deiparæ Virginis.

PRincipium veſtrarum literarum in quo nos certiores facitis de felici progreſſu veſtræ Sodalitatis non eſt cur ſcribamus nobis voluptatem attu-

attulisse; quod etiam nobis tacentibus vos non latere existimamus. Quid enim tam fraternæ pietati congruit, quam vt fratres inter se res secundas pariter atque aduersas communicent? De fratribus loquimur, qui in spiritu concordes cum MARIA Matre Domini vnanimiter in oratione perse . rant, quorum vnum cor, atque anima vna in diuersis corporibus meritò dici potest. Nam carnales fratres de diuidenda inter se terrena hæreditate sollicitos, quorum gratiam raram esse quidam non iniuria conqueritur, nihil moramur. Thomas ille nobilis Anglus, quem nobis commendastis, & vestri causa & suæ virtutis merito nullum à nobis fraternæ charitatis officium frustrà desiderasset, nisi ei visum fuisset ad Sodalitatem B. Virginis Assumptæ, quæ in Domo Professa Patrum Societatis IESV statis diebus conuenire solet & nostræ iam pridem aggregata fuit, sese conferre, ratus fortasse illã statui suo magis congruere,

ete-

etenim noſtra Sodalitas licet ab initio cuiuſuis ordinis Sodales admitteret, dummodò ceteras qualitates haberent ex inſtitutis, & legibus noſtris requiſitas, attamē multis ab hinc añis cœpit ab ijs tantum frequentari, qui literis operam nauant, quamuis non ſolum dicentes, ſed etiam ex ſcholis digreſſi atque adeo Doctoratus (vt vulgo dicitur) gradum aſſecuti in ea Sodales exiſtant.

Poſtremò quod de Indulgentijs ſententiam noſtram exquiritis, nos Bulla Greg. XIII. inſpecta rem hanc non eſſe adeò obſcura exiſtimamus. Sunt enim quædam Indulgentiæ, in quibus locus exprimitur quales ſunt quæ conceduntur quadrageſimali tempore viſitantibus Eccleſiam Societatis IESV, vel aliam ſi in loco vbi Sodales morari contigerit Eccleſia Societatis non adſit, ibique ſepties orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam recitantibus: de quibus ambigere non oportet, cum Bulla diſſertis verbis non de ſacello

Soda-

Sodalitio ſed de Eccleſia Societatis IESV mentionem faciat, quamuis ſub hoc nomine etiam Sacellum, ſeu Oratorium Sodalitatis cum Eccleſijs eiuſdem Societatis cohæreat intelligi poſſe non ignoremus: Sed tamen prior interpetratio apud nos conſuetudine præualuit. Quæda verò ſunt, in quibus nullus locus adijcitur, cuiuſmodi ſunt, quæ conceduntur pro infirmis, vel defunctis orantibus, & miſſę ſacrificium diebus feriatis audientibus, ad quas obtinendas nõ credimus neceſſe habere Sodales ad Sacellum Congreg. conuenire ibique preces effundere quia indulgentiarũ conceſſio cũ ſit fauorabilis, nõ debet reſtringi, ſed latè interpretari. Reſtringeretur autẽ procul dubiò, ſi neceſſitas indiceretur Sodalibus pro illis conſequendis ad Sacellum accedere, cum ad Oratorium Sodalitatis non ſemper pateat a cceſſus, eæ verò precationes plerumque ſtatim pro temporis neceſſitate ſint offerendæ. Quod verò ad Indulgẽtias Plenarias,

quæ

quæ conceduntur omnibus in die Annunciationis, & Sodalibus quinquies in anno visitantibus Ecclesiam Societatis ibiq; vel alibi Sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentũ sumentibus res parũ habet dubitationis, nisiquod nomen Ecclesiæ etiã Sodalitatis Oratoriũ comprehendere, & ratio, & cõsuetudo longæua obtinuit. Deniq; vt paucis rem totam absoluamus, sic habetote: exceptis indulgentijs quæ conceduntur Sodalibus in ingressu Sodalitatis (quod nos de ingressu solemni accipimus hoc est post completum tempus probationis) nec nõ ijs qui Congregationibus intersunt, tam publicis, quam priuatis diuinis officijs spiritualibus colloquijs exhortationibus, & alijs pijs officijs per Sodalitium (vt verbis Bullæ vtamur) ordinandis quę locales procul dubiò sunt, & exceptis alijs de quibus supra diximus, ceteras vbiuis locorum Sodalibus esse concessas: Sodalibus, inquam; nã ad eos, qui se à nostra Sodalitate segregarunt, non pertinẽt. Cæte-

terum si quis cum diplomate Congregationis in aliam Vrbem migrauerit in qua Sodalitatis Conuentus non extat, vel in ea ipsa ciuitate manserit, ita tamen impeditus vt Sodalitio interesse non possit Communionem ei indulgentiarum & bonorum spiritualium non negamus, dummodò pro viribus, quæ ad Sodales spectant exerceat, quod ex Bulla non obscurè colligitur, & apud nos seruatur, & ante triennium Rmus. Pater Societatis IESV Generalis Præpositus ad preces Eustadianæ Sodalitatis in Germania à nobis consultus respondit, cuius responsi exemplar apud nos asseruatur. Hæc habuimus, quæ ad literas vestras nobis iucundissimas rescriberemus. Optamus vos valere, ac nostri in Domino memores esse. Datum Romæ in Oratorio nostræ Congregationis ad Collegium Romanum Societatis IESV Die 25. Augusti 1619.

XIII. Hucusque literæ Romanæ ad Lugdunenses. Dubia verò ab Eusta-

ſtadienſibus propoſita, & ab admodum R. P. Generalem Societ. IESV pro ea poteſtate, quam ipſi ſummi Pontifices conceſſerunt, vt libro primo capite quarto expoſuimus, diſſoluta ſunt, hæc ſubijciunt.

Die prima Iunij Anni 1616. à Prima Primaria Congreg. B. M. Virginis Annunciatæ in Collegio Rom. Soc. IESV fuerunt propoſita Rmo. P. Mutio Vitelleſcho eiuſdem Soc. Præpoſito Generali Infraſcripta dubia.

I. An illi Sodales, quorum impedimentum legitimum iudicatum fuerit à Congreg. gaudeant omnibus Gratijs, Indulgentijs, ac Priuilegijs, ſi præſtent opera præſcripta in Bulla Erectionis, quamuis non frequentent, & remaneant in eadem ciuitate, & loco.

II. An Sodales diſcedentes ex vna Sodalitate bona cum venia, & cũ literis patentibus ſi commigrent ad locum vbi pariter eſt Sodalitas Romanæ Primariæ fœderata, fruantur omnibus Gratijs Indulgentijs ac Priuile-

uilegijs si legitime impediti non frequentent eam Sodalitatem.

III. An Sodales qui bona cum venia, & cum literis patentibus deueniunt, ad locum vbi est Sodalitas Romanæ aggregata gaudeant Indulgentijs Gratijs & Priuilegijs si absque legitimo impedimento non frequentent, an potius eo ipso censeantur exclusi à numero Sodalium.

IV. Cuiusnam sit statuere quæ sint impedimenta legitima non frequentandi, &c.

Ad suprascripta Dubia

Idem Rmus. P. Mutius Vitelleschus Præpositus Generalis respondit die 6. Iunij 1616.

AD primum respondit gaudere etiam remanentes in eadem ciuitate, & loco.

Ad secundum respondit etiam frui commorantes in loco alio vbi est Congregatio.

Ad tertium respondit nō gaudere Sodales qui absque legitimo impedimento non frequentant,

Ad

Ad quartum. Respondit statuere quæ sint impedimenta legitima, & illa approbare ad illius loci Congregationem pertinere, in quo commoratur Sodalis, de quo agitur iuxta Regulas ac statuta cuiusque Congregationis à superioribus Societatis approbatas.

Ita est vt dicitur.

Nicolaus de Almazan,
Secretarius Societat.

lic. 1. c. 4. XIV. Atque hinc videas verè dictum esse à nobis totam potestatem condendarum, interpretandarumq; legum penes Societatis IESV Præpositum Generalem consistere; & frustra singularium quarundam Sodalitatum personas nonnullas resistere velle, ne vel reformentur vel exigantur aliqua à Sodalibus; quasi inualida sint idcirco, quia ad ipsorum stomachum constituta non faciunt. Verum hi sicut à Primaria dependere se

se confiteri debent, ita ab eadem Congregationum præsidibus parendi pulcherrimum exemplum condiscunt.

XV. Illud adhuc dubium nonnullis meritò scrupulum mouet, *An illi, qui legibus Sodalitatum non obtemperant, cum earum obseruandarũ est opportunitas, nihilominus Gratijs Indulgentiarum fruantur?* quo in dubio illud responderi potest, quando legislator, aut is qui gratiam Indulgentiarum largitur speciatim id exprimit, vt illis non fruantur, qui legum negligentes sunt, sine dubio nihil consequi, tametsi conentur. Ita Confraternitas Rosarij, vt refert Nauarrus, decreto tertio suo negat quidem peccare eos qui statuta negligunt, bonorum tamen participes fieri simul etiam negat. Gregorius quoque XIII. Pontifex Maximus in priore Bulla, qua Congregationes institutas confirmauit, noluit Indulgentijs gaudere illos, qui leges aliquas violassent. Verba eius sunt: *Hos vero*

Miscell. 25. de Orat.

ex confratribus, seu socijs ipsis qui per mensem integrum, hoc est quatuor septimanas, ea non præstiterint, quæ Sodalitas in quarta & tertia Regula præscribit, de Confeßione, Communione, & Orationibus, cessante legitimo impedimento, ab omnibus, & singulis indulgentijs, & gratijs, donec à superiore Sodalitatis, illis hæc noxa condonata fuerit, exclusos esse volumus, atque decernimus. Ex quibus colligere licet, excludi subinde à Communione gratiarum illos, qui in legum obseruatione cessatores sunt. Sed nunc ad finẽ Sodalis nostri tendamus. Quod an nunc quoque fiat, incertum est & ab illis resolui debet, qui ius interpretandi habent.

CAPVT X.

SODALES FELICITER è vita abeunt.

HVc cursus fuit; hæc meta Sodalibus præfixa, vt cum vitam omni-

nibus officijs Marianis abſolutam, duxerint, eandem feliciter morte abſoluant. Pauca ex multis ſelecta attingam: non vt deſiderium benè moriendi apud quenquam excitem, ſed benè viuendi. vetus enim dictum eſt, *Bene eos mori, qui benè vixerint.*

I. Leodij quidam diuturno mor- CIↃ.
bo afflictus, ea nocte, quæ diē ſupre- IↃCVI.
mum anteceſſit, Dæmones complures equo cubiculum inuectos conſpexit, qui tria identidem ei crimina opprobrabant. Verum quòd illa confeſſione iam dudum expiaſſet, facile riſit inanes calumnias; hoſteſque magna animi conſtantia profligauit. Succeſſere candidati miro lumine perfuſi, qui tanta animum morientis voluptate perfuderunt, vt iam æternis delicijs frui videretur. Eorum vnus lecto aſſidens eodem veſperi circa horam ſextam migraturum illum edixit. Accinxit ſe proinde Sodalis itineri æterno. Celebriores interea preces iterare; B. Virginē potiſſimum comitem accerſere: for-

mulam illam, quam Sodalitatis ingressu primo nuncuparat, frequentius iterare. Denique hora sexta viuendi finem, vti Angelus monuerat, fecit.
CIↃ.IↃ CXXVII. Quod de formula repetita memoraui, in mentem reuocat Nobilē Dominum Henricum Vendium Serenissimi Electoris Bauari Consiliarium, qui semihora, quàm moreretur, cùm in Sodalitate ab omnibus repetitum iri intellexisset, ab alio descriptam, manu ferè mortua subscripsit, & viuere desijt, cum patrona æternū victurus. Eandem formam quidam primo recitans seque Magnæ Virgini mancipio dans, quantas in morte vires cepit? Res in Dilinganis commentarijs sic narratur. Iacobus Tinenskhi Bilinensis Bohemus paucos menses in Academia Dilingana posuerat, cum correptus vngarico quē vocamus, morbo, Sacramentis pœnitentiæ, vnctionisque ad supremum iter instructus est, Sacrosancta Eucharistia quam sumere genus morbi vetabat, coram religiosè adorata.

cum

cum autem pridem inter Sodales referri petijsset eius rei eodem die quo & obijt compos est factus præsente, Patre, Præfecto, Secretario, alijs: obseruatum est, eum formula solenni vouendi pronunciata, rationis vsuram habuisse, cum ea prius ac postea fere caruisset. nouus itaque Sodalis magno delibutus cernebatur animi gaudio, quod ora iam morientia suauem in risum resoluta monstrabant. sed & pugnandum fuisse argumenta sunt: nam sinistra parieti obuersus vultum tristiorem territoq; similem identidem ostendebat, ad dextram autem conuersus, molestia leuari visus frontem exporrigebat, tumque crucifixum manu prenderet pectori apprimere, exosculari. Est cum ab hoste acrius appetitus crucem velut monstrum illud abacturus in iactum vibraret, inhibitus autem causamque rogatus *lupum*, ait, *cernebam illic, qui tamen iam ad aquæ lustralis aspersum successiuit.* Iamque mortis momentum aderat, cum inusitata quadam

ratione, cunctisq; qui aderant ad stupentibus cantu elatione ter ingeminat *Sancta Maria ora pro nobis*, quæ verba tam lætâ est fronte prosecutus, vt de spe melioris vitæ tum ab illo velut prægustata nemo dubitaret. Et vero lætcorem adspectum vultus & ora morientis retinebant, magis etiam quam vel fuerant ante viuentis, ad Patronam itaque suam concessit XIV. Calend. Octobris, vnici Diei pedatu cum morte congressus, verius victor quàm victus. En vt Sodales suos fouet illa Beatissima vel diurnos, ne dum diuturnos.

CIↃ. II. De Aniciensi quodam Virgi-
IↃCIV. nis Assumptæ alumno hæc memorantur. *Vnus artificio sutor, alioqui imperitus tanto cum pietatis sensu moribundus vim mortis perferebat, vt domesticos externosque non semel in admirationem raperet.* O quam bonum, *inclamabat*, ferre iugum Domini ab adolescentia? quàm iucundum relictis seculi sordibus in cruce Domini gloriari? Video B. Stephanum

num ſtantem à dextris Filij Dei, nimirum vt mihi currenti aut potius curſum conſummanti, Brauium æternæ felicitatis prætendat. *Poſt aliquot dies aduocatis, quos habebat, duobus filijs, maiori natu dixit:* Fili mi, imminet mihi, Deo ita iubente dies ſupremus: vnum à te velim, quod vt facias, enixè poſtulo & impero: mihi videlicet vt ſuccedas, meumque vt occupes locum in Sodalitio Aſſumptæ Virginis. *Tum ad minorem conuerſus:* Ni pellem, *inquit*, moreſque immutaris, faciam meis apud Deum precibus, vt ante annum mortem cum vita commutes. *Et verè eum propria non fefellit opinio. Nam & ille Sodalitati nomen dedit; & hic miſerè dicam an impiè ante nonum menſem extinctus eſt.*

III. Murcienſis apud ignotos dië ſuum obijt. Inuentus eſt in ſupremo morbo interiore cilicio veſtitus; audituſq; Reginam Angelorum compellare, multoſque nominatim cælites, quaſi ad ſe aduentantes ſalutare. CIↃ. IↃ LXXXVI.

CIƆ. IƆXC. IV. Pars vna felicis mortis est, mori die, quo velis. Rogarat Brugensis quidam miræ virtutis Sodalis Deiparam, vt die aliquo, qui in honorem ipsius festi celebresque sunt, è vita sibi discedere liceret, impetrauit. Nam Purificatæ Virginis ferijs, inter viuos esse desijt, melius æuum agitare cæpit.

CIƆ. IƆCXI. V. Louanij Sacerdos ac Theologus vir doctus & grauis in morbum etiam Medicorum iudicio non valde periculosum inciderat. Is post paucos dies sororem hora intempestiua ad se vocat, rogatque vt extremo viatico se communiendum curet. Negabant, qui simul aderant, tum quidem opus esse hac festinatione, præsertim hoc temporis, tam leui periculo. Quibus ille: *Festinate*, inquit; *nam mors, quam longe abesse creditis, in vicino est. Breuis vsura vitæ superest, horarum vix duarum.* Mirari illi; tergiuersari. *Atqui*, inquit, *Virgo* MARIA *mihi adstitit; & vt intra horas duas pransus paratus in procinctu essem,*

sem, admonuit. ad beatitudinem proficiscendum esse. Paruit instanti Soror: Sacerdotem aduocauit: sacris procuratus est; mente integra, magno pietatis sensu, collacrymātibus omnibus, altera hora elapsa viuere desijt.

VI. Non dissimile est, quod P. Franciscus Veron refert de Bartholomæo Vergara Sigoniensis Sodalitij Alumno Chirurgi Regij filio adolescente spectatæ virtutis, B. Virgini vnice dedito, cuius effigiem ex ea, quam S. Lucas depinxit expressam, perpetuo suspensam gestabat è collo, vt de eo scribit Tursellinus. *Hic cum in Vigilia D. Michaëlis Archangeli Septemb. mensis cænaret cum parentibus quatuorque Sororibus, sibi multum negotij nocte illa imminere & instare prædixit. Nocte proxima media pater Bartholomæi diuini prouidentia Numinis è somno excitatus, vbi insolito more ingemiscentem filiū audiuit, surgit è lecto & in filij cubiculum, quod suo proximum erat, in-* CIƆ. IƆ XCIII. *Manual.* §. 1.

gressus, offendit illum in strato sedendem & in brachia inclinatum; quod anhelandi difficultas respirare non sineret, ac penè suffocaret. Percontanti, vt haberet; Morior, *inquit,* nec id affirmo fallaciter; Dei namq; Genitrix ita mihi prædixit, sed nequaquam sacris non procuratis. Quocirca confessioni & Eucharistiæ quamprimum danda opera *Tum pater;* Cras fiet illud, fili: in præsentia conquiesce. Minime verò, *inquit,* cras enim nullum mihi iam est. *Nox erat intempesta: aduocatur pater è Societ. Iesv: qui, vt postea narrauit, interioribus stimulis, vt mutaretur, agitatus est.* ..*um accedit, Bartholomæum trina* ..*ctio exanimarat: sed vbi pedem* ..*anguentis cubiculum P. Caspar Pe-*..*rosa intulit, reuixit æger; & quæ de B. Virgine audiuisset, narrauit.* Subiunguntur post hæc de Confessione totius vitæ facta, de sacra Eucharistia percepta, de vltima inunctione; de felici post sesqui horam obitu. Sed duo præterea memoratu digna referun-

runtur. *Quin & illud obseruatum est,* inquit auctor, *quendam ignotum, & in illis Medici Vergara ædibus nunquam antea visum, constituendis rebus diligentem operam nauasse, altare composuisse, candelas ac cereos domi accendisse, obstupescentibusque domesticis, & dolore turbante nihil agentibus omnia valde prudenter ordinasse.* Credibile est Tutelarem Angelum fuisse. Additur, eum habitum oris & formam demortui fuisse, vt nemo mortuum crederet, nisi qui immobilem adspexisset. Quid addi felicitatis ad talem mortem potest?

VII. Nouo domi Nobilis adolescens subita febricula decessit. Hic ad vltimam luctam instructus, iussit canem nigerrimum scutica abigi, vt B. Virgo, quam aduentare cernebat, commodum ad se accessum haberet: quam etiam lecto iam adstantem manibus iunctis venerabundus alloquebatur: *O Virgo, ô* MARIA, *O patrona mea dulcissima, tuum ne desere tibi castimoniæ voto obstrictum,* CIƆ.IƆ CIX.

in hora mortis suscipe. dixit repetitisque frequenter IESV ac MARIÆ nominibus, cum ea ad superos abijt.

CIↃ. IↃCV. VIII. Anicij Baro quidam fortitudinis militaris opinione & rebus gestis clarus, ab adolescentia Martyrij cupiditate flagrauit, & ea in inimicos semper fuit voluntate, vt paucis ante morbum diebus cuidam è familiaribus data occasione dixerit, se præceptum Apostoli de temperanda ira mordicus tenuisse: neq; vnquam solem super iracundiam suam occidisse. Hic in extremis Dæmonem sese importune ingerentem malaque consilia suggerentem, ausus est ijsdē verbis, quibus olim D. Martinus alloqui: *Quid adstas cruenta bestia? nihil in me, funeste, reperies.* Tum psalmo quinquagesimo alijsq; precibus recitatis solito serenior factus: *En ego*, inquit, *te video pulcherrima Virgo? ô verè benigna parens, quæ præsto semper es tuis in calamitate.* Nec plura post has voces, quam orationem: *In manus tuas*, locutus, emisit animā,

Dei-

Deiparam Virginem, vt credimus, præeuntem ſubſecutus.

IX. Terrentur ſubinde in vltima lucta Sodales, vt manifeſtius patronę ſuæ ſubſidium illis adfuiſſe conſtet. Id ſequentia duo demonſtrăt. Viuere deſijt Cameraci Rdus. Dominus de Rauſin Belloranus, quem Louanium per complures annos philoſophiam publicè profitentem vidit, & abeuntem Theologicâ etiam Laureâ donauit, quem deinde Cameracum Pœnitentiarij dignitate præſtantem, in pœnitentibus audiendis, iuuandis mirâ charitate cum vitæ etiam imminutione æſtuantem, ac ſummis infimiſque percharum eſt admirata. Is in Virginis, cui erat addictiſſimus, Sodalitio omnes propemodum magiſtratus magnâ cum laude geſſerat, vltimâ verò ægritudine, duabus prope horis priuſquam vitâ excederet, cum inter multa à noſtræ Societatis Sacerdote (à quo hæc excepta ſunt) moneretur, Virginem, quam ſanus præcipuo cultu proſequutus eſſet ad CIↃ. IↃ CXIV.

futuram periclitanti, & contra coniuratos hoſtes ſumpturam arma, ac in extremâ cauſsâ patrocinaturam: reſpondet ille, ſe in ea ſpes vltimas collocaſſe, atque hæc fatus interquieſcit paululum: mox verò velut abreptus à ſenſibus in has horroris plenas voces erumpit: *Abyſſum, Abyſſum*: cumque voce illâ ſenſum motumque omnem amiſiſſe videbatur, cùm breui ſibi reſtitutus ex ingenti horrore factus ſecurior: *Deus Bone* exclamat, *quæ ſeſe miſi iam viſa obiecêre, quàm formidabilia, quam horrenda conſpexi?* Verum B. V. MARIA opportunè perterrito mihi adfuit, ſuoque aduentu diſſipauit vniuerſa. Atque in his ferè vocibus optimâ ſalutis ſpe relictà in Virginis patrocinio tutus ac ridens exceſſit.

CIↃ. IↃCX. X. Horrorem quoque habet in conſolationem deſitum, quod ſequitur. Conſtantiæ vixit Sodalis admodum Reuerendus & Nobilis vir Ioannes Fridericus à Neuchingen Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, is

in

in letifero cubans morbo Sacramentis iam comunitus adeo puram studuit conseruare conscientiam, vt cum nocte quadam leuiusculum ei quiddam occurreret, eoque angeretur, nulla Sacerdotis copia circumstantibus forte qualem qualem culpā aperiret. rogans, vt si voce sensuúe forsitan deficeretur ipsi saltem confessario suo indicatum irent & absolutionem impetrarent. Attamen cum dein grauibus tentamentorum stimulis premeretur, & ex Diui Bernardi consilio ad B. Virginis opem confugeret, videt quidem ostento diuino Matrem Dei Sacrosanctæ Triadi supplicantem, veruntamen subiratam, nec adeo suppetijs promptā. quo viso immane quantum exterritus ille turbatusque, rem cuidam Societatis Sacerdoti anxius exponit, à quo in spem meliorem erectus iubetur prius à Matre ad miserationem propensa precibus fatiganda non desistere quam voti fiat potens; obsequitur ille: eadem visa identidem repe-

repetita cernit. At Virginem non vt primo minitabundam , ſed blando hilaroque vultu reſpicientem,ipſoq; aſpectu auxilia ſua promittentem. viſa non fuiſſe ſomnia claruit euentu;ſiquidem deinceps vt eidem patri retulit, ne minima quidem tentationis aura fuit afflatus, ac denique ſpei plenus animam optimæ Patronæ reddidit.

XI. Eodem loco alius inter vltimos dolores hymnos ſuauiter modulans noctem traduxit. Coloniæ alius ridenti ſimilis diſceſſit, cum pridie Virginem cum Filio atq; ſuo cuſtode Angelo conſpexiſſet, qui eum accerſerent.Refert ex Bencio Veron.

CIϽ IϽ LXXXVI

Man. §.1. Idem de Heiligenſtadienſis Sodalitij Præfecto, de Gandenſi Senatore, de Diuionenſi quodam, de alijs digna lectu memorat. quædam huc attexere placuit: vnum ſuperius memorare memini.

l. 2. c. 5. §. 15. CIϽ. IϽ XCVIII.

XII. Biſuntinus mox moriturus in has ſubinde voces erumpebat: *Non te offendam Domine, non te of-*

fendam: credo, credo; opitulare Virgo MARIA. IESV *bone miserere mei, adiuua me.* & similes. Manu interim crucem vibrabat, vt facile ei cum aliquo certamen esse conijceres. Tandem velut è magna contentione, ait auctor, respirans, ter *Victoria* ingeminat. Rogatur, quid tandem rei? quieto respondet animo à se quosdam præeuntes videri, quos exoptaret & subsequi: Angelos, interrogatus, fuisse dixit; ad quæ verba placidissimè obdormiuit in Domino. Duces bonos in morte! si modò viui sequi eos consueuerimus.

XIII. Viennensem scribit cum adstantium incredibili voluptate B. Virginem præsentem compellasse, illius sibi aduentum gratulatum, oculisque in sublime defixis, magna voce ac maiore, quàm pro viribus, in diuinæ Matris laudem se effudisse: Et cum magnam partem carminis *Salue Regina* percurrisset, subiunxisse illa S. Elizabethæ, *Vnde sibi tantum bonum, vt ad se veniret Mater Domini?*

mini? multaque morientem talia dixisse; quæ Sodalitij meritò cuique desiderium inijcere potuerint.

XIV. Res multorum sermonibus celebrata est, quam de Dilingano quodam socio illustri familia oriundo idem commemorat. Sed ex ipsis fastis Dilinganorum iuuabit rem diligenter descriptam audire. Dilingæ molesta quædam lues dysenteriæ conuictorum Collegium occupauit.
ꝏ.ɪↄxc. laborarunt ea adolescentes quinquaginta inter illos. Ioannes Bapt. à Prato Italus prognatione, stirpe nobilis puer, mirificos iam breui tempore fecerat in virtute progressus cum tẽtari eadem lue cœpit. Enimuero virtus locum hic habuit elucescendi, patientia, modestia, pietas. nihil eum petere audisses, nullam parentum facere mentionem, nec eos de inualetudine sua fieri velle certiores. Assistebant lectulo Germani duo fratres, vbertim afflentes hos ille si vis oculis ad omne virtutis studium pręcipuè ad cultum, obseruantiamque di-

diuinæ Matris eſt cohortatus animaduerſo autem hiſce verbis lachrimas incitari fraternas, dextera apprę-henſis: valete inquit fratres dulciſſimi, proq́ue me Deo ſupplicate. procul habete fletum, luctum, lamenta. Morte bonorum eſt innocentium cælestes cum augentur, tum plures ad Deum patroni comparantur. Vos igitur fratres mei ponite mærorem ac læti eſſe, equidem lætus, libensq́ue ſupremum nunc vale mundo dico. Vix vnus morbi dies abierat, cum quaſi prẹſagus mortis, ſacra myſteria potiri poſtulauit, & rite potitus eſt. At ſecundum quietem ſubito aliquãdo exclamauit. O Pater quid vidi? aderat enim Societatis Sacerdos adoleſcenti à ſacris confeſſionibus. Rogant Patri quid ergo vidiſſet. Reſpondit tabulam conſpexi opere fabrefactam elegantiſſimo, in qua tabula Beata Virgo nomen mihi meum plerorumq́ue Sodalium aureis deſcriptum litteris oſtendit ſpemq́ue fecit certiſſimam me poſt breuem in flam-

flamma purgante moram inter Cælites receptum iri. Hanc patronam meam, mi Pater, multis ſtipatam Virginibus à me nunc diſcedentem ſequi eſt animus. Pertæſum eſt vitæ promiſſa beatitate; æterna me præſtolantur. Age vero, ſubijcit Sacerdos, ſi ita ſe res habet per ego te diuinæ Matris amorem rogo, vt vbi inter cæleſtes receptus fueris, morbo Sodales depopulanti finem à Deo impetres. Recepit adoleſcens legationem tam neceſſariam, & abijt vita. Mirum dictu ab eius exceſſu mali vis ita remiſit, vt nemo poſtilla ſit ab eo tentatus. Etiam illud mirum quod medentes adoleſcentis corpuſculum inteſtino pure ſcatere ab eoque ſuffocandum profeſſi, mirati ſunt oppido, nihil omnino terri odoris efflari: quin illico, poſtquam efflata eſt anima lætus quidam ac floridus vigor faciem omnem cohoneſtauit, ipſo cadauere animæ felicitatem haud obſcure præ ſe ferente. Hæc ita geſta cum Sodalibus quoque Ingolſtadi-

enſi-

enſibus translegerentur, tantus eſt motus animorum factus, vt cõfeſtim Sodales quidam votum Deo perpetuandæ caſtitatis nuncuparent. Idem vouendi genus alium Sodalem ex morbo à medicis deſperato aſſeruit, ac Sodalibus incolumem breui reſtituit, certam mortem feliciter propulſatam admiratis. Vnde & felicem obitum & quam ad impetrandum vim habeant Sodales perſpicere licet.

XV. Illuſtriſſimum eſt in hoc genere, quod à compluribus narratur de Henrico ab Heiden Canonico Treuerenſi, adoleſcente & morum elegantia & nobilitate generis clariſſimo. Hic cum ſeptennium ipſum à prima pueritia ætatem in Collegio Germanico Romæ egiſſet; iamque ſuorum euocatione domum redire meditaretur, in febrim lethiferam incidit. Admonitus à Sacerdote de fatali die, ad S. Andreæ Apoſtoli corpus, quod Malphi colitur, pro valetudine peregrinationem vouet: deinde *Eodem.*

inde certam pecuniam assignat, qua crux argentea D. Apollinari Collegij patrono, facienda; & palla altari parthenio obuelando, locaretur. Mox quasi in somnum prolapsus; atque iterum experrectus aduocato conscientiæ arbitro: *O pater pater,* inquit, *quæ vidi? Quænam, mi Henrice?* inquit ille. *Quæ nec oculis,* inquit, *nec auribus, nec sensu alio percipi possunt.* Tum vrgentibus, eo vultu, quo solent è magno primum metu recreati: *Salus,* inquit, *mea, in angusto fuit. Actorum in me coram illo Tribunali magna copia visq; fuit. propè propius ab interitu ac condemnatione absfui: & trahi iam me ad supplicium credidi. Adfuit verò opportune Misericordiæ Mater Diuiq; tutelares Andreas & Apollinaris. & illa Quo vos istum? aut quid vobis cum illo, qui tot annos mihi in mea Congregatione seruiuit? Andreas peregrinationem obtendebat, quam ad tumulum instituere vouerā. D. Apollinaris comitibus reliquis Collegij nostri Patronis, crucem auream osten-*

ostendebat, quam fieri mandaueram. His defensoribus res mea stetit; cum repente somno metuq́; solutum me lætor. Quarta post hora lætissimus mortalia hæc reliquit.

XVI. Alius è Sodalitate Louaniensi ad annum vsque sexagesimum ætatis cælibem castamq; vitam egerat, rarus Virginis cultor. Qui cum morbo vrgente à morte iam nihil abesset: Benè habet, inquit, Sodales: quæ duo semper mihi fuere maxima vitæ præsidia, nunc sentio, quam vera sint, quam solida morienti solatia. Vnum quod Sodalis Dominam ac Patronam meam obsequijs meis (vtinam accuratioribus) coluerim: alterum quod pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, diebus Dominicis omnibus & Diuorum festis frequentarim. Denique fiduciæ plenus diem obijt, & ad æmulationem vitæ mortisque plurimos prouocauit. CIↃ. IↃCIV.

XVII. Cameriensis morbo viribus exhaustis, è lectulo nihilominus se deiecit, vt Christo in sacra ho- CIↃ. IↃCV.

ſtia aduenienti ſupplicabundns accideret. Tum capite præ reuerentia nudo Virginem Beatam compellans: Tuus, O Virgo, inquit, ſum; Tibi mancupio datus; ſerua tuum. Equidem ſalutem meam depoſitam crederem, niſi me tibi tradidiſſem. ſub hæc Dæmon fauces obſtringere velle cæpit, ne in laudem Deiparæ plura diſſereret. Sed ope eius Iesvque nomine appellato, & ab hoſte ſe exemit, & iterum iterumque cruce pectori admota, Iesvque vocato è vita migrauit.

CIↃ.IↃC IX. XVIII. Muſſipontanus collecta omni atque effuſa vi naturæ, idem Sanctiſſimum Iesv nomen inclamãs extremum cum eo ſpiritum edidit. In quo conatu alius itidem Hildeſij demortuus eſt Dilingæ Ioannes Scribonius piè morientium Sodalium exemplum fuit.

CIↃ.IↃ LXXX. Is anno priori inter Sodales receptus, ita in omni virtutum genere promouit, vt Chriſtus Dominus ei ſe in ſpecie puerili ſpectandum obijceret, gaudioque mirifico

fico perfuſum relinqueret, infixa pectori ſuauitas ad virtutem intendendam accendit. Quapropter quem inuiſere dignatus eſt Dei filius, & Mater videre voluit, namque octo diebus antequam expiraret, Regina Cælorum obtulit ei ſeſe mirabili luce circumfuſa contuendam, imminentis obſes beatitatis. Exhilaratus hac ſpecie Ioannes, VII. Cal. Maias feliciſſimo exitu mortalia cum æternis commutauit.

XIX. Quærat quiſpiam qua ratione & ipſe poſſit fortunato adeo fine vitam claudere? Bononienſis quidam ex eo Sodalitio, quod Iesv & Mariæ nuncupatur, docere poterit. Nam iſte quodam die Sodalitatis moderatorem adijt, rogauitque vt ſibi peculiaribus à Deo ſtimulis incitato, conſilium daret, ad inſignem vitæ mutationem tentandam: *Ecquis enim,* inquit, *id nouit, an non repentino aliquo caſu è vitæ ſtatione mihi diſcedendum ſit?* Veram eam eſſe diuini ſpiritus motionem indicabant la- CIↃ. CIↃVIII. *Quæ ſit optima*

 cry-

ratio benè moriendi.

crymæ, feruor, & verba ipſa, quibus illa dicebantur. Pater collaudata pia voluntate, hæc potiſſimum præſcribit virtutis perfectæ adiumēta, vt maculas animi frequenter elueret & ſingulis feſtis diebus ſacro epulo ſe reficeret. Pater ille monitis diligenter: Iamque menſis alterque menſis his officijs piè conſumptus fuerat, cum die quodam feſto incolumis domo exijt, rei diuinæ interfuit, ſimulque accubuit; de ſacris perorantem audijt, Xenodochium inuiſit, liberalem peregrinis ſtipem impertijt. Mox pranſurus domum redijt. Sed ecce tibi conſcenſis ſcalis, ante ianuam concidit; ſedet in ea, quæ prima occurrit ſede, & inuocatione nominis IESV & MARIÆ animam Deo reddidit. Non potuit paratior abire. Qui à limine ac viá non aberrat, is nec cœlo aberrat. Salutem certo reperit, quiſquis in ea quærenda ſocordiæ locum non relinquit.

Concluſio operis.

XX. Atque hæc ſunt, Sodales optimi, quæ de SODALE PARTHENIO ſiue

ſiue inſtruendo, ſiue ornando ſcribenda eſſe duxi. Ex quibus ad extremum duo nobis prudenti ratiocinatione deducenda arbitror. Primum, Quàm beata Sodaliũ fortuna, quantaque animo æſtimatio de Sodalitiorum inſtitutione concipienda ſit. Nam à Viris Sapientiſſimis ac Religioſiſſimis inuenta, Sūmorum Pontificum auctorirate corroborata, clariſſimorum omnis generis atque ordinis hominum vſu comprobata, fauore Numinis ac Beatiſſimæ Patronæ noſtræ præſidio defenſa, cæleſtibusq; incrementis aucta, per totum orbem propagata, multis ſupra naturam rebus illuſtrata, in magnam omnino ſui admirationem rapient, amoreque maximo ſuccendent illos, qui res magnas ſincerè æſtimant: omnesque plurimum ſibi gratulari debent, quòd in illud conſortium ſint admiſſi, cui benedixit Dominus, quod benigno oculo VIRGO MARIA ſemper adſpicit ac tuetur; quod tot beneficijs abundat, tot pulcher-

Vnde magni facienda Sodalitas

rimis virtutum omnium exemplis instructum est. Verè in nos dici potest, Sodales: *O fortunatos nimium bona si sua norint Parthenios!*

Vnde alterum sequitur, vt omni studio conatuq; annitamur tantum bonum conseruare, ne culpa nostra splendor illius infuscetur, aut obsolescat; & si quid detritum est, vt in veterem statum nitoremq; restituatur; Quod cum toto hoc opusculo sæpius admonuerim, longiore oratione supersedére possem. Quanquam de ea re, quam DEVS ac DEIPARA tanti facit, satis dici nihil potest. Illud tamen præ oculis ante omnia haberi velim Sodales non sibi solis, sed alijs quoque natos fuisse, vt suis exemplis ad virtutem omnes allicerent ac promouerent. Vnde initio huius operis Sodalem speculum quoddam esse dixi, quod D. Virginis mores in se reciperet, & alijs repræsentaret. Videte dignitatem vestram, Sodales, imago quædam diuina, speculum iustitiæ, norma quædam rectè viuendi, simu-

lacrum B. Virginis quoddam ſpecimenque virtutum illius eſtis. Magna omnino dignitas, & præ qua nullas ego auorum ac quorumuis maiorum mihi imagines optem. Sed ſimul videte, quanta vobis neceſſitas optimæ vitæ ſit impoſita. Speculum eſtis, politos eſſe terſoſque vos oportet; morum aſperitas atque inæqualitas procul abſint, placidi, ſuaues, mites Deum optimum planiſſimè referunt. Volo Sodalem conſtantem, ſolidæq; virtutis. nam qui interruptim boni ſunt; aut qui externam tantum compoſitionem ſectantur, illi mihi aquam aut iridem repræſentant. Nam ſicut aqua motu aliquo ventóue agitata conciſas obiecti partes refert, monſtrumque potius hominis tortuoſum repræſentat, quam hominem: & Iris ob partium inæqualitatem colorem aliquem blandum oculis, nō ſolem, cuius alioqui imago eſt, obtutui noſtro obijcit. Ita externa tantum ſpecies virtutis, ſplendoris aliquid habet, Deum tamen aut

Deiparam integrè non refert. Sic mobiles & quauis seu animi perturbatione seu aliorum impulsu à recta semita, quam insistere cæperunt, digressi deartuatum quiddam virtutis simulacrum ostentant. Opacum speculum esse oportere aiunt, ne formæ transuolent & ad oculos nostros nõ reflectantur. Memorant stultum quendam per vitrum diaphanum lunam aspexisse; ratumque eam vultus sui imaginem mirè sibi gratulatum fuisse, quod vultu tam insigni micantique foret. Quam multi falso speculo bona propria iactitant! cum in eis occulendis laborare deberent. Quanto melius id speculum fuit, de quo Pausanias in Arcadicis, quod intuenti nunquam formam propriam sed Deorum tantum signa & Iouis solium ostentabat. Ita Sodalis ille optimus est, qui cum plurima laude dignissima gesserit, laudem suam non requirat; sed Deum alijs ostendere, vti munus suum ita laudem quoque existimet. Verum quoque specu-

ſpeculum eſſe volo, non monſtrificum, qualia in templo Smyrnæ Plinius dicata memorat. Sunt aliqua quæ os contemplantis mirè in arctum adductum, immani vero hiatu in altum adducerent: alia, quæ labra compreſſa ſine modo vtrinque in latera diducerent: alia, quæ naſum ſimum & ſtrumoſum referrent; alia verò, quæ præacutum & enormiter prominentem: apage hæc ſpecula. Quicunque Sodalem intuetur, non ille pauonem aut ſuem immundam, aut canem aut aſinum videre ſe credat; ſed modeſtiæ, caſtitatis, alacritatis, amoris diuini ſpecimen pulcherrimum. Deus bone auerte, ne Sodales vnquam offenſioni ſcandaloque ſint. Nihil eſt monſtro ſimilius, quam Sodalis ſceleratus: alij potius Sodale conſpecto vitia ſua agnoſcant atque vt in ſpeculo Socratico, diſcant odiſſe libidines, helluationes, blaſphemias, & quicquid hominem fœdat. Quid multis? Videte dignitatem veſtram Sodales, ſpeculum eſtis B. Virginis.

Qui vos posthac intuebuntur, existimabunt sibi imagines MARIÆ Virginis esse propositas. Illa Virgo erat, ait S. Ambrosius, non solum corpore sed etiam mente: corde humilis, verbis grauis animo prudens, loquēdi parcior. nullum lædere, omnibus benè velle, maioribus assurgere, æqualibus non inuidere, iactantiam fugere, rationem sequi & amare. Nihil in oculis toruum, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis. Hoc est, Sodales, archetypon vestrum, hoc exprimere, hoc intuentibus ostendere debetis, non dico si honorem sed si nomen Sodalis id est Mariani imitatoris retinere vultis. Non pigeat laboris, non difficultas absterreat, si volueritis Deo dante Virgine patrocinante, aliorum optimis exemplis instigantibus, pulcherrimam hanc imaginem absoluetis.

Tv verò Magne Devs & tv Magna Dei Parens habe Tibi quicquid hoc libelli eſt, qualecunque, Veſtro honori ſcriptum. Semen hoc eſſe volui, quod in Sodalium animos illapſum in vberem ſegetem excreſceret: ſed volui tantum, quod ſupereſt, vires excedit meas. Tibi proprium eſt, ô Patrona Virgo rigare fouereque plantas: Tuum eſt, Optime Devs, incrementum dare. Vobis creſcant Sodales, veſtro honori ſeruiant, vobis olim Bonis vnicè optimis in æuum omne perfruantur.

Deo Deiparæqve Gloria.



§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§

INDEX TITVLORVM.

LIBER I.

Communibus Sodalium officijs instruitur. pag. 1.

CAPVT I.

De

LIBER II.

Virtutum Exemplis Marianis instruitur. 181.

Liber III.

Bonus Beneficijs, Desertor aut negligens pœnis afficitur.

Capvt I.

INDEX RERVM.

A.

An-

C.

nio-

Dolus

Ebri-

die

Pu-

Ro-

Vestes.

V.

Omnia ad Maiorem DEI & DEIparæ Virginis Gloriam.